BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLVII
E
31
NAPOLI

XLVII c 34 31

2

PHILOSTORGII CAPPADOCIS,

Veteris ſub THEODOSIO IVNIORE Scriptoris,

ECCLESIASTICÆ HISTORIÆ

A Conſtantino M. Ariiq; initiis ad ſua vſque tempora,

LIBRI XII.

à PHOTIO Patriarcha Conſtantinopolitano, peculiari (extra Bibliothecam eius hactenus editam) opere, in Epitomen contracti.

Nunc primum editi

à IACOBO GOTHOFREDO:

Vnà cum *Verſione*, *Supplementis* nonnullis, *Indiceq;* accurato, & prolixioribus DISSERTATIONIBVS.

NAPOLI

GENEVÆ,

Sumptibus Iacobi Chouët.

CIↃ IↃC XLIII

ILLVSTRISSIMIS
ET
POTENTISSIMIS
Vnitarum Belgij Prouinciarum Ordinibus,

IACOBVS GOTHOFREDVS P. F.

Q*VIBVS ſuâ vi propriaq́; virtute nixis Potentum gratiam emereri datum eſt, eos demùm bene-natos beatoſq́; prædicare par eſt: quando, hanc non alienæ magis indulgentiæ felicitatem adſcribere, quàm indoli ſuæ mercedem adſignare poſſunt. Verùm, vt rara hæc priuatorum meſſis eſt, ita beatitudinis iſtius adſequendæ*

ſpes adhuc altera & ſuccedanea quædam ſupereſt, eòdem ſemper per externa quædam præſidia euadendi. In hiſce verò nomen quoque meum nunc apud vos profiteor, ORDINES ILLVSTRISSIMI: *Niſi enim, Patriæ meæ, vobis ſemper-dicatiſſimæ, commendatione fiſus, niſi beneficio quoque veſtro iam vobis addictus, niſi ſuſcepti demùm argumenti dignitate ſuffultus, ad Vos nunc ambirem, næ mihi iure-merito metuendum foret, ne cum offenſione potius aliquâ veſtrâ, quàm bonâ gratiâ à vobis recedere neceſſe haberem: Nunc, cùm meriti vacuus ipſe, precariis tamen illis extraq; me poſitis munitus, hanc vobis operam adprobare inſtituerim, neq; inſubidum me prorſus viſum vobis iri ſperare licet. Enimverò, notum omnibus, quanta* Ciuitati noſtræ, *tam alioquin diſpari diſparatæq;, vobiſcum conteſſerationis iura intercedant: Arctiſſima profectò illa, à genuinâ geminaq; libertate, cuius tuendæ par vtrubiq; ſtudium, æquâ diuini Numinis in vtroſque benignitate. Vos verò noſtis, opinor, quo quantoq; affectu proſpera ſemper-veſtra, non dicam auribus excipere, verùm quotidianis apud Deum precibus efflagitare adſueuerimus. At nos nouimus, intimoq; ſenſu recolimus recondimusq; tot illa beneuolentiæ,*

quæ

quę hanc in Rempublicam extare ſubinde voluiſtis, argumenta. Inde igitur eam in ſpem nunc erigor, neque eius Reipublicę ciuem à vobis aſpernandum, cui in commune tam enixè adhæreſcitis factumq́; cupitis: ſed neque velut incognitum prorſus prætereundum, quem ſub Auctoritate haud ita pridem veſtrâ in Batauiam ſolemniter inuitatum & vos puto meminiſtis, & ipſe gratiſſimâ mente repeto: Neq; velut importunum amoliendum, qui haud ignobile, hancq́; ad diem ἀνέκδοτον Hiſtorię Eccleſiaſticę ſegmentum nuncupatum vobis veniat: Quo profectò genere (liceat enim mihi per Indulgentiam hîc veſtram paulò prolixius immorari) poſt ſupremam Inſtrumenti Diuini auctoritatem, Chriſtianos inter, nullum ad vtilitatem fructuoſius, vel ad dignitatem amplius, vel ad gentium omnium notitiam illuſtrius dari poſſit: Iſthic enim theſaurus eſt, vbi Chriſtianę fidei natales & incrementa condita habentur: vbi perpetuę Diuinę bonitatis in tuendâ Eccleſiâ ſuâ documenta continentur: vbi vindictę contra irreuocabilis ad coërcendam hominum prauitatem exempla proponuntur: vbi inuictę vere fidelium in fide conſtantia memoriaq́; frequentatur: Vnde veterrimę ſanæq́; doctrinę præiudicia repeti, vnde legitimę diſciplinę

Canones hauriri, vnde caſtus caſtæue cærimoniæ, quæq; alia priſci moris rituſve ſunt, depromi, vnde Prudentiæ Chriſtianæ, in adminiſtrandis rebus ſimul Eccleſiaſticis ſimul politicis momenta deſumi, vnde ſolemnes in Eccleſia turbonum, ſiue illi in hæreſin ſiue in ſchiſma deflectant, errores fraudesq; detegi, profligandorúmque eorum ratio ſimùl iniri, vbi gliſcentis de more corruptelæ impoſturæve gradus obſeruari poſſunt: vbi legitima Magiſtratuum in Eccleſia poteſtas tam ſolidè firmata reperitur. Quibus accedat omnibus, quod ad Antiquitatis iſtius auctoritatem in negotio Religionis prouocari iamdiu ſolemne eſt, vt proinde fugitiuam eam incorruptámque ſiſti publicè tot nominibus interſit: ne inſcitia eius alioquin veriq; indiligentia egregium incurioſis ſicubi præſidium ſubducat, vel adulteratio fucum nec-opinantibus quandoque faciat. Quare laudabile cumprimis inſtitutum eorum haberi oportet, qui auorum patrumve memoria primi ſingulos ferme æui illius Patres ſcriptoresq; vulgauêre, quive hâc adhuc ætate noſtra neſcio quid Antiquitatis iſtius, per tantum æui occulta, vnde-vnde eruere & eruderare conantur. Commendabile deinceps eorum conſilium, qui vniuerſam veteris Eccleſiæ faciem, apud plures ſparſam, vndecumque

cumq́ collectam, vnum in corpus componere comportaréque adlaborarunt. Probanda demùm eorum induſtria, qui ab aliis hanc in partem inuecta ſcriptáque perperàm, modeſtè arguere, veríque tantum ſtudio caſtigare, vel etiam de eo genere fugientia quædam captare obſeruaréque ſuum in animum induxerunt. Optimum, inquam, factum iſtud omne, quando rem Hiſtoriámque Eccleſiaſticam ſua quique pro virili adiutare illi connituntur. Cui certe illuſtrandæ triplex iſthæc ratio viáque propoſita eſt: Vetera ſcilicet, prout ea ſeſe primùm dant, in publicum efferendo, legitimum Hiſtoriæ corpus concinnando, næuos poſtremùm aliorum diſpungendo, vel certe nouis obſeruationibus hiſtoriæ iſtius cenſum locupletando. Quorum primum illud, virgulæ, quod aiunt, diuinæ eſt, vbi nempe veteris monetæ fideique ſpectatæ monumentum aliquod ex abdito ſitúve primùm in vulgus editur, fideque optimâ ſiſtitur, de verſionibus etiam fors, Notíſque, vel Diſſertationibus, ſubſidiisq́ aliis, vt eo maiore cum fructu legi, certiuſque impendi laudaríve poßit, cumulatius. Secundum illud, ingentis operæ induſtriæque, vbi ſuo quæq́ vel minima loco, ſuo tempori, velut diuulſa ſparſaque Virbij membra corpori aptantur. Quod & ipſum

duplici adhuc ratione perficitur: ſiue καθ' ὁμάδα, *quotiens ſumma Hiſtoriæ capita, per diuiſas tamen Epochas certaſque ætates, continuâ narratione ſerièque ſub vnum conſpectum eandémque continentiam dantur, ne diuulſa alioquin diſtractáque materies, dùm vellicatim ſaltuatimq́; proponitur, haud æque ad memoriam iudiciúmque faciat: Quod egregio exemplo fecêre potiſſimi per ſolemnes annorum* Centurias, *Magdeburgenſes: opere, niſi apud iniquos alienarum vigiliarum æſtimatores, etſi haud plane inculpato, laudabili tamen cum primis vtilique: ſiue per annos ſingulos & expanſos* κατὰ πλάτος, *rebus ad Eccleſiam ſpectantibus in* Annales *Faſtoſq́; digeſtis: Quam viam magna diligentia, pari induſtria, ante alios Eminentiſſimus Baronius iniit Annalibus Eccleſiaſticis (ſuis etſi etiam illi nauis nonnullis alicubi laborare deprehendantur) Quâ alioquin ratione nulla ad veri fidem illuminandam efficax æquè, ob exactam videl. diſtinctámque temporum lucem, quæ præcipua fax Hiſtoriæ omnis exiſtit. Poſtrema è tribus Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ illuſtrandæ ratio,* ϛοχαϛικῆς *vnius Iudiciíque propriè eſt, quotiens videl. legitima* κρίσεως *(non illam dico, quæ in ſyllabâ ætatem trahit, quæque in odium & faſtidium*

faſtidium venit, verùm quæ ſcriptorum omnium Iudex arbitraue iure ſuo ſedet, ope) quà ſpuria ſuppoſititiáque à legitimis accuratè diſtinguuntur, quo in cenſu egregiam operam ſumpſit Pientiſſimus Doctiſſimuſque apud vos Andreas Riuetus: *quà priorum Interpretationum vitia emendantur, quod in ſcriptoribus Eccleſiaſticis vel maximè opus norunt qui in his ſeriò verſantur, quà aliorum errores* κρύψεις*ve euentilantur, qui* Caſaubonianarum Exercitationum *ſcopus fuerat: quà denique nouis identidem obſeruationibus Eccleſiaſtica illuſtrantur, cuiuſmodi hâc ætate noſtrâ ſcriptores noui plures feliciſſimi exoriuntur.*

Quæ cùm ita ſint, Ordines Celsissimi, *eáq; ſit Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ dignitas, illuſtrandæq; eius ratio multiplex, audeo & ego nunc, fiduciæ apud vos haud planè immodicus, poſt varias hoc in genere præluſiones, rediuiuum hunc vobis auctorem, meámque adeò ſimul in eo edendo illuſtrandóque operam, dicare. Haud abſurdo cæteroquin apud Potentes munere: quando, eiuſdem proculdubio pietatis animíque cenſeri debet, iuxta Eccleſiarum curam, veræq; religionis defenſionem, prouidere illud, vti geſta Eccleſiaſtica ſarta-tecta habeantur, atque ita ad*

poſteros, ſuco omni fraudéque ſemotá, tranſmittantur. Neque vetera quoque me deficiunt exempla ſcriptorum, qui ſuos proinde de rebus Eccleſiaſticis commentarios Potentibus pridem dicauêre: Sozomenus in his, qui ſuos Theodoſio Iuniori Imperatori inſcripſit: cuius alioquin Principis pietas ſæculique felicitas alios eodem in genere ſcriptores plures exciuit: Dein & Nicephorus Calliſti, qui ſuam & ipſemet miſcellam Hiſtoriam ad Andronicum ſeniorem Imperatorem emiſit: Vt omittam recentiorum præiudicia, quibus id familiare atq; in promiſcuo. Sed enim conueniens iſtud vobis cum primis, ILLVSTRISSIMI ORDINES, *argumentum: Iam primum, quod de Republicâ Iudaica vulgatum, deque hac noſtrâ compertiſſimum, iidem ferme Reipublicæ quoque veſtræ Eccleſiæq; apud vos reſtitutæ natales Annaléſque exiſtunt: Tantâ etiam prærogatiuâ, vt ex quo Fidei Libertatiſque vexillum domi feliciter ſemel extuliſtis, proceſſus deinceps veſtri, victoriæque & incrementa, fortiſſimis feliciſſimiſq; Celſiſſimæ* ARAVSIO-NASSOVICÆ *gentis factis conſultíſque, non ad Imperij magis veſtri fines tutandos prolatandóſque pertinere viſa ſint, quàm totidem prouidentiæ diuinæ argumenta exiſtant in tuendâ nobiliſſimâ Eccleſiâ,*

vnde

vnde in alias quoque authoritas felicitáſque præſta eſſe poſſit. Pietatis adhæc in Eccleſiam veſtræ documenta ecquis abunde memorare poſſit? Illuſtre cumprimis, inter innumera iam cenſetur Synodus *ante annos haud ita multos, pro vnitate Eccleſiæ, non è veſtris modò, verum è toto penè orbe qui vobiſcum fidei communione coniungitur, contracta: Cenſebuntur & deinceps cura veſtra in erigenda propagandáque fide verè Chriſtiana per Orientem quoque ipſum per Legatos veſtros ſuſcepta: imperatâ in id quoque nobiliſſimâ* Noui Fœderis *editione: vbi Authenticum cum vulgatâ hodie per oras illas dialecto* παραλλήλως *exhibentur, quò ita ſequiora ibi, atque ad ſeruitutem proiecta ingenia, ad puriorem maſculámque Euangelij lucem vel ſic erigantur: Quod quidem opus ad finem hîc egregiè perductum, fidei cuſtodiæque meæ commendatum vulgari ſeſe flagitatione publicâ nimiopere poſtulat. Quare his tot ſiue rationibus motus, ſiue exemplis munitus, præſidiiſque quæ initio memoraui circumfuſus, venio & hac ipsâ nunc oportunitate eò vos quoque* Ordines Potentissimi, *quantum in me, incenſum, vti ad cœtera decora trophæaque veſtra, pietatiſque in commune ſtudia, inque literas lite-*

ratóſque propenſiſſimum affectum, & hanc porrò gloriam adiugare curamve capeſſere, eoque etiam nomine Felices eſſe velitis, quò genuina in poſterum veteris Eccleſiaſticæ hiſtoriæ facies ad æternitatem conſignata tranſmittatur: qualem orbis Chriſtianus iamdudùm efflagitat, & veris vberiorem multò, & fictis-falſis purgatiorem: Quod vt erudito hoc ſæcŭlo procliuius, poſteà quàm tam multa, exinde ex quo priores huic operi manum admouere cœperunt, in dias luminis oras prodiêre, ex quo item viri vtriuſque ſectæ doctiſſimi, immane quantum, materiam hanc verſantes ſubigentéſque illuſtriorem reddidêre, ita vacua ſeſe vobis potiſſimùm prouincia hæc vindicandam ſiſtit: Quò non tantùm Pietas vos veſtra aurigatur, verùm tot illa inſuper quæ domi habetis tam illuſtri operi conficiendo ſiue inſtrumenta, ſiue ornamenta exſtimulant. Beata enimuerò Batauia ditióque veſtra omnis præſtantiſſimorum paſſim virorum, amœniorúmque ingeniorum, proſperrimâ famâ, quibus hanc operam delegare poſſitis, prouentu. Felices vos præſidiis in id omnibus æque neceſſariis inſtructiſſimi Quanquam neque eò ſuam dubio procul operam denegaturi erunt

è vi-

è viciniâ clariſsimi viri multi, in participatum curæ huius ſi fors vocati, Vos modò auctores fieri velitis. Fortean erunt & quos ad tantum celeuma promptos animos, angulus hic terrarum Adiutores ſocioſque ſufficiat: Et ſi non ex aſſe ſolidiue capaces ex æquo futuri omnes, vti ſuffecit pro ſuo inſtituto, ſummis toto orbe, ſi benè reputo, ſubſidiis impendiiſque ſuffultus Baronius, in partem certe quique virilem ſuos impigrè læti-lubentes ſupponant humeros. Infantiam ipſemet meam hìc prodam neceſſe eſt: Dudùm eſt, cùm & ego tale aliquid animo meo voluto, delectâ interim ſepoſitâque ſtudiis meis, à rerum actu ſi quando vacuis, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſiue parte ſiue Epòcha quadam nobiliſſima: Cui adcurandæ maturandæque, toto deinceps animo pectoreque adſpirante Diuino Numine, incumbere fas erit, vbi vel iſti voluntatis meæ ſpecimini gratiam apud vos aliquam prono fauore conſtitiſſe comperero. Quæ vti votorum meorum pars magna nunc eſt, ita longe maxima illa, apud Deum Omnipotente, Celſiſsimi Potentiſsimique ORDINES, *Vti glorioſiſsimo quoque huic quod dixi cœpto, egregio publico, inſtaurandæ inquam Veteri veræque Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, domi vobis*

pax ſolida, conſtet, foris iuges procedant victoriarum cumuli, plaudente, Republica noſtra, me verò triumphos veſtros deinceps porrò, quod hactenus ſemper feci, deuotâ mente proſecuturo. Kal. Maij A. D.

M. DC. XLII.

PROLEGO-

PROLEGOMENA.

Vbi 1 de *Philoſtorgio* ipſo, ſectáque eius, 2 & *Hiſtoriâ*. 3 déque hâc *Photij Epitomâ*. 4 & *Nicephori Calliſti* plagiis. 5 Addita poſtremùm *Excuſatio* pro hac editione.

VULGATO iam more receptum eſt, & vtilitas ipſa ſuadet, vt cùm Scriptores, noui potiſſimùm, in publicum efferuntur, ad προθεωρίαν nonnulla his præmittantur, quæ & *Lectores libentius ad lectionem producant*, *&* *cùm eò venerint*, *euidentiorem præſtent intellectum*. Id verò mihi quoque nunc, Philoſtorgium edituro, cum maximè facto opus puto, ad defenſionem quoque aliquam tùm operis, tum & Editionis huius.

PHILOSTORGII igitur (nam inde, à vita ſcriptoris inquam, præfari oportet) quod equidem ſciam, nemo tēporum iſtorum æqualis, nemo ſœculo illi proximus, meminit: Scriptores tantum nonnulli Conſtantinopolitani labentis æui, eius meminêre, vel etiam pauca quędam ex eius Hiſtoriâ defloraûere. In his *Eunomianus* quidam occurrit, cuius in Philoſtorgij Hiſtoriam

epigramma ad me vltrò tranſmiſſum ab Ampliſſimo V. P. *Puteano*, veteri amico meo, è Codice Epigrammatum, olim Palatino, nunc Vaticano. Vetus is proculdubio ſcriptor; incertum tamen quo tempore vixerit: quando & hoc nomine plures alij occurrunt: Inter alios Eunomianus quidam apud Suidam *duobus locis*, in v. Εὐνομιανὸς, & in v. ἥλωσε, quem ſub Iuſtiniano Imp. Beliſarius è baptiſmo ſuſcepit. Hunc verò Epigrammatis authorem Orthodoxum fuiſſe, vel ipſum oſtendit. Extat & alterum vetus Epigramma in Hiſtoriam Philoſtorgij, indidem à me acceptum. Et hactenùs quidem Scriptores vorſa adſtrictáque numeris oratione. *Ioannes* verò Antiochenſis, *libro* περὶ ἀρχαιολογίας, Heraclio Imperante, ſub initium ſeptimi ſæculi, nonnulla è Philoſtorgij hiſtoriâ deſumpſit, quæ habes in ſummi viri, amicíque mei CL. *Salmaſij* Plinianis lectionibus. *Photius* deinceps, nono ſæculo inclinante, Michaële fermè & Leone Philoſopho imperante, cenſuram in hanc hiſtoriam exeruit, in *Bibliothecâ* primùm ſuâ, *Num.* 40, mox pleniùs & accuratius in hâc, quam nunc damus, Epitomâ. *Suidas* poſtea ſub Ioanne Zimiſco, vel certè ſub Alexio Comneno, ex Philoſtorgij Hiſtoriâ nonnulla in Lexicon ſuum transfudit. *Nicetas* inde Choniates decimotertio ſæculo ſub Manuele & Andronico Comnenis quædam exinde *in theſaurum ſuum Orthodoxæ fidei* tranſtulit. *Nicephorus* tandem Calliſti, ſub eodem Andronico Imp, multa ex hâc Philoſtorgij Hiſtoriâ mutuauit. Et hactenùs quidem Philoſtorgij memoria

apud

apud vetuſtiores conſiſtit: qui etiam non vltrà fermè eius meminêre, quàm velut Eccleſiaſtici ſcriptoris, vel etiam hæretici, vel denique vt ſcripta ab eo cenſerent cúmque aliis contenderent. Ex ipſo igitur Philoſtorgio potiſſimum nonnulla quæ ad vitam, ſcriptáque eius faciunt, nunc repetenda nobis ſunt.

Primùm itaque, quod *Nomen* ipſius attinet, id ne cuiquam fraudi ſit, memorat ipſe, *lib.8.c.10.* cognominem ſibi quendam alium Philoſtorgium, Medicorum Principem, ὃς ἄριστος ἰατρῶν ὑπῆρχε ſub Valentiniano & Valente Impp. cui & duo filij fuêre, Philagrius & Poſidonius, & hic quidem in medicinâ pariter præſtantiſſimus.

Parentes ſuos ipſe Philoſtorgius memorat, *lib.9.c.9.* Nempe patrem ſuum Carterium nominat: Quo alioquin nomine plures Carterij hoc æuo ipſo occurrunt: Carterius primùm Antaradi in Syriâ Epiſcopus ſub Conſtantio Imp. quem & ab Arianis in exilium actum ſcribit Athanaſius, *apologiâ ad Conſtantium p.547.* & ex eo Theodoritus, *lib.2.hiſto.Eccleſ.c.15.* Carterius item Macedonianæ ſectæ quidam deſignatur apud Socratem, *lib.5.cap.23.extremo*, & ex eo Nicephorum, *lib.12.cap.30* qui videlicet ab Eutropio Macedonianorum preſbytero ſeparatos conuentus agente diſſenſit. Carterius rurſum alius monaſterio præfectus ſub Valente Imp. vna cum Diodoro, qui poſteà Tarſenſis Epiſcopus factus fuit, quíque Ioannis Chryſoſtomi, vt & Theodori Mopſueſtiæ & Maximi Seleuciæ præceptor fuit, memoratur à Ioanne Chryſoſtomo, *lib.3.contra vituperium vitæ monaſticæ*,

Socrate, *lib.6.cap3.* & Sozomeno, *lib.8.cap.2.* & exinde à Nicephoro, *lib.13.cap.2.* Tandem & Philoſtorgius ipſe, *lib.9. cap.18*, Carterium quendam memorat ſub eodem Valente Imp. qui Palęſtinæ Epiſcopus mortuo Theodulo Chæratoporum ab Eunomianis factus, cuíque mortuo Ioannes ſuffectus fuit.

Mater Philoſtorgio fuit Eulampia, quod idem ſcribit, *dicto lib.9.cap.9.* eaque Anyſij preſbyteri filia vna cum quatuor fratribus. Hunc verò Anyſium auum ſuum maternum Boriſſi, vico ſecundæ Cappadociæ, habitaſſe *ibidem* ſcribit: Qui Anyſius alioquin & officio & ſœculo ſectáque haud multum diuerſus eſt ab Anyſio diacono Baſilij, ſi modo ibi (vt Cornarius vult) legendum, διακόνῳ τοῦ Βασιλείου, quem memorat Epiphanius, *hæreſi Photinian.71.* Et ſic, Philoſtorgium à matre Cappadocem fuiſſe liquet. *Vnde domo* verò à patre Philoſtorgius, vbi idem natus fuerit, nuſpiam diſertè in hic Eclogis ipſe prodit: Illud ſaltem indicat, *lib.10. cap.6.* ſeſe in tractu aliquo Orientis trans Conſtantinopolim, imò & trans Dacoram Cappadociæ, ſiue natum ſiue infantem conſtitiſſe: quando ſcribit, viginti annos natum ſeſe Coſtantinopolim proficiſcētem in tranſitu Eunomium Dacoræ in Cappadocia vidiſſe: ἐνταῦθα (Dacoræ ſcilicet) δὲ αὐτόν φησι καὶ φιλοστόργιος εἰκοστὸν ἔτος ἄγων ἐν Κωνσταντινουπόλει παραγεγονὼς θεάσασθαι. vbi ἐν Κωνσταντινουπόλει παραγεγονὼς eſt, *Conſtantinopolim proficiſcens*: ἐν, pro εἰς: ſic apud Xenophontem ἔλθοι ἐν τῇ ἑλλάδι, loco ἔλθοι εἰς τὴν ἑλλάδα: & παραγίνεσθαι pro proficiſci: pariter vt apud Xenophontem & Æſchynem,

παραγ

παραγίνεσθαι πρὸς τὸν ἀγῶνα. Sedenim, quemadmodum à matre Cappadocem ſeſe ipſe facit, ita Eunomianus epigrammate, de quo ſupra, Cappadocem eum fuiſſe diſerte teſtatur: ſic enim epigrammatis ipſius lemma habet, Εὐνομιανοῦ εἰς ἱστορίαν Φιλοστοργίου τοῦ ἐκ Καππαδοκίας. Eunomiani certe hæretici, cuiuſmodi Philoſtorgij parentes, & ipſe quoque Philoſtorgius fuit, cùm in *Orientis* tractu conſtiterint (à Ciliciâ montéque Tauro ad Helleſpontum & Conſtantinopolim vſque, teſte vel Sozomeno, *lib.6. cap.27. inf.*) in Cappadociâ vel maximè fuêre: Imò & Eunomius ipſe, ſectæ huius princeps, Cappadox fuit; teſte vel Philoſtorgio ipſo, *lib.3.c.20: lib.6 cap.3: lib.10.cap.6: lib.11.cap.5:* & Sozomeno, *lib.7.cap.17:* (etſi Baſilius *Galatam* eum vocet; *lib.1. aduerſus eum p.2.*) Quin & Theophronius, qui peculiaris & ipſe cuiuſdam inter Eunomianos ſectæ fuit, Cappadox & ipſe extitit, eodem Sozomeno auctore, *lib.7.cap.17:* & Socrate, *lib.5. cap.23.* Denique videas paſſim Philoſtorgium in hiſtoriâ ſuâ de Cappadociâ ita agentem, locáque eius vel minima deſignantem, vt arripuiſſe eum celebrandæ patriæ ſuæ occaſionem & vt familiarem ſatis colligas. 5 3

Natus autem Philoſtorgius ſub Valentiniano & Valente Impp. Annum circiter Domini CCCLXVIII: vt ex ipſâ primùm Philoſtorgij narrationum ſerie apparet, *lib. 9. cap.9.* poſt ea quippe quæ narrauit *cap. prox.* 8, de Eunomio in exilium pulſo (quod vtique congruit anno 368) de ſe parentibúſque ſuis ilicò agit; & quidem ante Demophili ordinationem in Epiſcopatu Conſtanti-

nop. de quo *cap.* 10: quod vtique congruit Anno Domini CCCLXX: Tùm ex eo, quòd *lib.* 10. *cap.* 6. teſtatur (quod & modò iam alio fine indicaui) ſeſe vigeſimum ætatis annum egiſſe, quo tempore Eunomius Cæſareâ pulſus in propriis agris Dacoræ conſtitit, eúmque ibidem vidit: Atquin congruit iſtud Anno Domini CCCLXXXVIII: de quo alioquin Eunomij exilio Socrates quoque; *lib.* 5. *cap.* 10. *in pr.* & Sozomenus, *lib.* 7. *cap.* 17. Quæ cùm ita ſint, hinc patet, Philoſtorgium quinquageſimum ſeptimum fermè annum egiſſe eo tempore annóque, vbi hiſtoriam ſuam deſiit, anno inquam Domini CDXXV.

Quod *Pueritiam Adoleſcentiámque* eius attinet, profectum ſeſe, vti dixi, ipſe prodit, *d. lib.* 10 *cap.* 6. Conſtantinopolim anno ætatis viceſimo, ínque tranſitu Eunomium Dacoræ in Cappadocia vidiſſe. Fuit hæc ſcilicet eius, pro more tùm recepto, próque ætate, ἱστορίας ἕνεκα peregrinatio: Vnde iam Eunomium tanquam ἱστορούμενον ſeu viſum ſibi accuratâ ἐκφράσει depingit: multáque ſingularia (tùm proculdubio) viſa ſibi ad Romanos delata, ac nominatim Conſtantinopoli, memorat, *lib.* 3. *cap.* 11. & in his ſignatè Taurelephantos, Dráconum maximorum exuuias, Monocerotis imaginem Conſtantinopoli expreſſam, varia ſimiarum genera, & in his quoque panâ; ſed & pſittacum. Quam vrbem & deinceps accurate ſeſe inſpexiſſe multis oſtendit, & iis quidem quæ de eâ ex profeſſo & accurate agit, *lib.* 2. *cap.* 9. & *lib.* 3. *cap.* 2.

Artibus porrò *liberalibus* & ſæcularibus Philoſtorgium

pro æui

pro æui pariter vſu, variis excultum fuiſſe reperio. *Philoſophiæ* inter alias operatum eum, naturaliſque hiſtoriæ notitiam comparaſſe ſibi docent ea quæ de Terræmotuum cauſis differit, *lib.11. cap.7*: quæ de Fluminibus ſubterraneis *lib.3. cap.9*: quæ de variis & ſingularibus Orientalium & Meridionalium regionum animalibus, dotibus & fructibus, *lib.3.cap.11.* quæque idem ad Hypatiæ Philoſophæ commendationem refert, *lib.8.cap.7.*

Geographiam quoque perdidicit: vt oſtendunt tot illa quæ datâ vel arreptâ occaſione exinde prolixe ſæpe depromit: veluti, de Getis ſeu Gothis, *lib.2.cap.5.* de Sabæis, *lib.2.cap.6.& lib.3 cap.4*: de Diuu inſula *lib 3 cap.4*: de Auxumitis & Homeritis, *lib.3.cap.6*: de Rubri Maris ſinubus *d.cap.6*: de Tigri fluuio, *lib.3 cap.7*: de Euphrate *lib.3. cap.8*: de quatuor Paradiſi fluminibus vt & de Paradiſo ipſo, *lib.3. cap.9.10*: de Alpibus Succiis & Iuliis, *lib.3. cap.24*: de Paneade, *lib.7.cap.3.in f.*: de Ælia ſeu Hieroſolyma, *lib.7. cap.11.& 14*: de Mazaca Cæſareâ *lib.9. cap. 12*: de Scythis & Neuris *lib.9.cap.17*: Etſi haud felici ſemper talo Geographica tractet. Infantiam certe alicubi ſuam, circa Occidentales ſaltem regiones, prodit, veluti circa Galliam, Britanniam, & Hiſpaniam. *lib.1.cap.5. lib.9 cap.17.* vt & incredunda nonnulla de quatuor Paradiſi fluminibus commentatur, *d.lib.3.cap.9.10.*

Poeticen quoque & Mythicam Gentilium attigiſſe eum fidem faciunt ea quæ de Sphynge & Oedipo, & mythologia Gentilium ſcribit, *lib.3.cap.11.*

Medicinæ etiam ſtudioſum eum haud abſurde colli-

gat quis, non modò quòd datâ operâ quinque præſtantiſſimos æui ſui Medicos memoret: puta, Sopolim, *lib.3. cap.15*: Oribaſium, *lib. 7. cap. 15*: Philoſtorgium, Poſidonium, quem & ſibi viſum ait, & Magnum, *lib.8 cap.10*: verùm etiam morbos, mórborúmque cauſas & remedia ediſſerit, *lib.3.cap.10*: *lib.4. cap.7*: *lib.7.cap.3*: *l.b.11 cap 8*: Idque forte etiam Aëtij principis ſui exemplo, qui & ipſe non medicinam tantum didicit, verùm & fecit, vt ipſemet Philoſtorgius teſtatur, *lib.3. cap.15*: vt & Sozomenus, *lib.3. cap.14.*

Curioſas etiam artes, *Mathematicam*, *ſideralem ſcientiam*, Aſtrologiam, ἀστεροθεάμονα τέχνην, imò & ἀποτελεσματικὴν ſectatum Philoſtorgium multis conſtat. Inde enim crebræ eius, non tantum obſeruationes, verùm & accuratæ deſcriptiones, imò & Interpretationes, ſignorum viſionúmque: In quibus, Crucis ſignum viſum tempore expeditionis Conſtantini M. aduerſus Maxentium, quod deſcribit, *lib.1.cap.6*: Alterum item, quod tempore expeditionis Conſtantij aduerſus Magnentium apparuit, *lib. 3.cap.26*: vbi quid eo ſignificatum fuerit interpretatur: Aſtrum item xiphoeides, quod ſub Theodoſio M illuxit, poſt victoriam eius de Maximo Tyranno, eo Roma digreſſuro, *lib.10. cap.9*: vbi de eius initio, luce, ſtellarum ad id concurſu, motu ab aſtrorum curſu diuerſo, finéque eius, prolixè & accurate diſſerit. Eclipſin quoque, ſimul & aſtrum quoddam, ſub Theodoſio Iun. memorat, *lib.12.cap.7.& 8*: quod & ipſum à Comete aduerſus vulgi opinionem accurate diſtinguit: Horúmque omnium

omnium vt & terræmotuum præſagia paſſim enarrat. Tandem & Hypatiam Philoſopham, de qua *ſup*, ob peritiam maximè circa ἀστροθεάμονα τέχνην, commendat, *lib.8.cap.9.* Curioſus & circa hæc, quòd in θεοπτολογίαις, miraculis, viſionibus memorandis frequens eſt, non ad ſuæ modo hæreſeos principum (de quo poſteà) vel etiam Chriſtianæ religionis commendationem, verùm etiam in commune, in θέαμα, prodigiis & portentis monſtríſque aliis paſſim toto opere referendis, vt *lib.10. cap.11.& lib.11.cap.7.*

His, inquam, artibus inſtructum imbutúmque ſeſe prodit Philoſtorgius, Aſtronomia inquam, Geographia, Philoſophia, & Poëtica: Quæ illius æui literatura κατὰ τὸν κοσμικὸν λόγον fuit, ſeu vt noſter ipſe loquitur, *lib. 8.cap.1:* ἡ ἔξωθεν καλουμένη παίδευσις: vt exemplo quoque Didymi Alexandrini ſcriptoris Eccleſiaſtici liquet, apud Socratem *lib.4. cap.20:* Theodoritum, *lib.4.cap.27:* Sozomenum, *lib.3.cap.14:* Etſi aliàs, quod Mathematicam ἀποτελεσματικὴν attinet, ſeu Aſtrologiam, ea Chriſtianis improbata: de quo innumera ſunt Patrum teſtimonia: vnde quoque ea probro data ad Epiſcopatum vocatis, quod eam aliquando exercuiſſent, veluti Euſebio Emiſeno, vt fidem facit vel Georgius Laodiceæ Epiſcopus, *in eius vita*, apud Socratem, *lib.2.cap.6:* & Sozomenum, *lib.3.cap.5.*

Variâ inſuper auctorum lectione animum imbuiſſe ſe Philoſtorgium ex eius ſcriptis abundè liquet, vbi varios auctores variáque ſcripta laudat, veluti Ioſephum, Philonem, Euſebium Cæſarienſem, Porphy-

rium, Methodium, Baſilium Magnum, Apollinarium, Aſterium, Eunomium, &c.

In *Sacræ Scripturæ* lectione adprimè verſatum eum multis patet: nam & Apocryphorum Canonicorúmque librorum recenſum aliquem egit, iam non dico quàm benè, veluti Machabæorum, *lib.1.cap.1*: variáque è ſacro Codice loca hiſtoriáſque depromit, vel ad ea adludit: *lib.3.cap.4. in pr.8.9.10: lib.7.c.9.14.pag.102.103.in f.lib.9.cap.2: lib.12.cap.6.& 8 in f.*

Pietatem eius ſpirant piæ appoſitæque *ſententiæ*, vt cæteroquin Photius eum οἰκείως γνωμολογεῖν cēſet, *in Biblioth. n.* 40: Quales ſunt ſententiæ ſequentes: de exemplis fortitudinis, in ſacrâ potiſſimùm ſcripturâ memoratis, quæ vim maximè habere ait incendendi ad bellum, *lib. 2.cap.5*: de ineffabili Dei ſapientiâ circa flumina, ceu venas neceſſariorum præbitrices & circa maria, *lib. 3.cap.9*: de Oraculis diuinis quæ eludi minimè poſſunt, quod ἐν τοῖς χρησμοῖς ἀμετάπτωτον vocat: item τὸ τῶν δεσποτικῶν λογίων καὶ ἀκαταίσχυντον σεβασμιώτατον, itémque ait, μή ποτε διαπεσεῖν δεσποτικὴν ἀπόφασιν, *lib.7. cap. 9. & 14. in pr. & circa f*: de dæmonum & oraculorum fraudibus & falſimonia, quod τῶν χρησμῶν τὸ ἀσθενὲς καὶ πεπλανημένον vocat, *lib. 7. cap. 12. & 15: & lib. 9. cap.15*: de Dei benignitate, déque iræ diuinæ flagellis egregiè & prolixè, *lib.12.cap.8*: ac nominatim de terræmotibus, quos variis exemplis ibidem demonſtrat, ex ſolâ Dei voluntate ad conuerſionem & emendationem peccatorum fieri: μόνῃ δὲ τῇ θείᾳ γνώμῃ, πρὸς ἐπιστροφὴν καὶ διόρθωσιν τῶν ἁμαρτανομένων: de diuinâ poſtremùm

ſtremùm potentiâ nulli interdicto obnoxia, omnéſque res ad nutum ſuum dirigente *d.lib.12.cap.8. in f.*

Quin & ſuum ſummúmque in Iudæos odium idem prodit, *lib.3.cap.4: lib.7.cap.9.14:* itémque in Apoſtatas, *lib. 7.cap. 10. & 13:* & Paganos, vt apparet ex iis quæ ſcribit, *lib.3.cap.26. 27: lib.7. cap.14:* imò toto fermè *libro 7: & lib. 11.cap.2: & lib.12. cap.8*: ac nominatim *d.lib.11.cap.2*, vbi felicitatis Theodoſij M. (cui alioquin minus fauit) cauſam repetit à feruidiſſimo eius contra idola zolo: τοῦ θερμοῦ, inquit, μοι δοκῶ καὶ τῷ εἰδώλων ζήλῳ τοῦτο γέρας ἐξενεγκεῖν. Deinde, vel eo maximè, quod & ipſe poſt tot alios, veluti poſt Euſebium, Methodium, aduerſus Porphyrium pro Chriſtianis ſcripſiſſe ſe prodit, *lib.10.cap.10*: Tandem eo quoque, quod vt dixi oraculorum gentilitiorum vanitatem haud ſemel traducit, *lib.7.c.12. & 15: & lib.9.c.15.*

Quinimò & *hæreticos* quóque quoſdam, hæreticáſque hypotheſes apertè damnat Philoſtorgius: veluti, Maris & Theognidis ſententiam, qui, *Deum antequam Filium generaret Patrem fuiſſe* exiſtimabat, *vt pote vim generandi habentem*: ὅς τὸν θεὸν καὶ πρὸ τοῦ γεννῆσαι τὸν υἱὸν πατέρα εἶναι, ἅτε δὴ τὴν δύναμιν ἔχοντα τοῦ γεννῆσαι, quam ipſe ἀτοπίαν vocat *lib.2.cap.16*: Borborianos item & Manichæos ſuggillat, *lib.3. cap.15*: Theodoſium quoque Lydiæ Epiſcopum, quod à muliebribus voluptatibus penitus abhorruerit, dixerítque, *Chriſtum ſui naturâ* τρεπτὸν *mutabilem fuiſſe, verum cura virtutum eximiarum in immutabilem ſtatum exaltatum*: quem ideò hæreſeos & impietatis ipſe arguit *lib.8. cap.3. & 4*: vt & eo nomine, quòd dixerit, Deum *neque*

loqui neque audire, etſi manus ei auréſque affingantur. Demophilum pariter Ep.Conſtantinopol. διασύρει, *lib.9. cap.* 14, quòd aliquando dixerit, *Corpus Filij compulſum in diuinitatem in incertiſſimum receſſiſſe, quomodo lactis ſextarius in vniuerſum maris corpus iactatũ*, τὸ σῶμα τοῦ υἱοῦ ἀναχυθὲν τῇ θεότητι εἰς τὸ ἀδηλότατον κεχωρηκέναι, ὃν τρόπον καὶ γάλακτος ξέστης πρὸς παντὶ τῆς θαλάσσης ἐμβληθεὶς συστήματι. Idẽ & Poſidonij medici ſententiã damnat, *lib.8.cap.*10, quâ ſtatuebat, *Nullam vim dæmonum eſſe, quæ hominis naturam damno afficere poſſet, ſiue neminem dæmonum vi furore debachari, verùm humorum tantum cacochymia.* Quid amplius? Imò & Arij quoque, quem alioquin velut ſectæ ſuæ Principem ἀρχηγὸν agnoſcit, de quo mox, ſententias quaſdam de Deo & ipſe damnat, *lib.*10. *cap.*2: veluti, quod dixerit Arius, Deum vniuerſorum πολυμερῆ καὶ πολυσώματον eſſe: Rurſum, quod docuerit, Deum neque οὐσίαν, neque ὑπόστασιν, neque quidquam eorum quod nominatur eſſe: vt & circa Filium, quod dixerit, neque ab eo Deum cognoſci & comprehendi poſſe, *lib.* 2.*c.*3: Arianorum itẽ inter ſe ſub diuiſorum tres diuerſas ſententias damnat, *lib.*10 *cap.*3: quorum alij ſtatuebant, Filium κατὰ τὸ προσγνῶσθαι ἑκάτερον, alij κατὰ φύσιν θεὸν, alij denique quod Filius ἐκ μὴ ὄντων ἑκάτερος πέφυκε δημιουργεῖν.

Ieiunij quoque religionem commendat ipſe, *lib.*10.*cap.* 12: vbi ait, Quartæ feriæ & paraſceues ieiunium non in ſolâ carnium abſtinentiâ conſiſtere, verùm κατοιίζεσθαι, ne cibi quidquam omninò vel alimenti ad veſperam vſque ſumatur: Mox & exemplum quoddam ſubiicit Eudoxij cuiuſdam preſbyteri, inſignis Ieiunatoris.

Idem

Idem & *Martyres, reliquiáſq; Sanctorum* in honore habuit, eorúmque miracula effert: vt colligitur ex iis quæ ſcribit, *lib.3 cap.2: lib.4.cap.4 in ſ: lib.7.cap.1.4.9.*

Et in *Monachos* tamen iniquiorem ſeſe ſatis prodit, iis quæ ſcribit, *lib.3.cap.13: lib.11.cap.5. Imaginum* certe cultum exertè damnauit, *lib.2.cap.vlt:* & maximè *lib.7.cap.3:* vbi de ſtatua hæmorrhouſæ Paneade agens, ait, *fas non fuiſſe, æneam aliamve quam materiam adorare*, οὐ γὰρ ἦν θέμις χαλκῆν ἢ ἄλλην ὕλην προσκυνεῖν: tranſlatæque illius è foro in diaconicum Eccleſiæ cauſam hanc reddit, nempe vt decentiore tantum ſitu ea eſſet, & vt maiore cum voluptate ad eam ſpectandam accederent volentes, archetypíque ipſius ita deſiderium oſtenderent.

Et nihilominùs tamen, etſi in quamplurimis aliis aliqua pietatis ratio Philoſtorgio conſtiterit, impius certe in eo aperte fuit, quod ſectâ *Arianus* extiterit, quod & Photius & veteris epigrammatis auctor, imò & Nicephorus iam olim obſeruarunt, & ſic Filium ἑτερούσιον, Patréque minorem crediderit: quare & Arium quo ad doctrinam de Filio ὑπερθειάζει, *lib.2.cap.3:* & Deum Patrem ſolum δημιουργὸν facit. Ariani enim, vt & Eunomiani, Filium non δημιουργὸν, verùm ὑπουργὸν peculiari voce & ὑπηρέτην, & ὄργανον εἰς δημιουργίαν dicebant, teſte Athanaſio, Nyſſeno, Cyrillo, & aliis. Cùm verò plures Arianæ hæreſeos ſurculi fuerint, Eunomianus propalàm fuit Philoſtorgius, quod hactenus minus obſeruatum: ídque traditâ à parentibus ſucceſſione: Nempe enim Carterium patrem ſuum Eunomianum fuiſſe diſerte ait, *lib.9.cap.9:* qui

& vxorem ſuam, Philoſtorgij matrem, eò quóque perduxerit: ea verò deinceps tum fratres, tum & Anyſium patrem Philoſtorgij auum, alióſque propinquos. Inde igitur & ipſe Philoſtorgius Eunomianus fuit: vnde rectè Nicetas, *theſauro orthodoxæ fidei lib.5. cap.30*: *Aëtianum* eum nominat i. Eunomianum: Aëtius enim primus huius ſectæ auctor extitit, quam deinceps Eunomius percoluit & propagauit: vnde & promiſcuè Aëtiani, Eunomianíque (& hoc potiſſimùm nomine) vocati: vt & *Anomæi*, ſcilicet quia diſſimilem Patri Filium aſſerebant: Eunomianorum quippe Philoſtorgiíque adeò ſententia fuit, Filium neque ὁμοούσιον Patri, neque ὁμοιούσιον eſſe, quibus vtríſque iuxta aduerſi fuêre Eunomiani, fuit & Philoſtorgius, ſic vt pro eodē fermè is vtrumque hic vſurparit, ὁμοούσιον, inquam, & ὁμοιούσιον: vide vel *lib.8.cap.16*: vnde & Arium Arianóſque qui ὁμοιούσιον ſaltem profitebantur, damnat, *lib.10.cap.2.3.4*: Imò Filium Patri ἀνόμοιον quoad ſubſtantiam diſertè profitebantur: eóſque adeò etiam damnabant, qui ὁμοιότατον aſſerebant, *lib.6.cap.1*: item qui ἀπαραλλάκτως ὅμοιον, quam ſententiam & ipſe Philoſtorgius damnat, *lib.2.cap.16: lib. 4. cap.vlt. lib. 5. cap.1: lib.8 cap.4*: vbi diſertè, τῆς ἐκθέσμου πολιτείας τὸ ἀπαράλλακτον vocat. Hinc igitur *Anomœus* dictus Eunomius, *lib.9.cap.13*: & Eunomiani, *Anomoei*: quo tamen nomine ſeſe dici ægrè ferebant, *lib.4.cap.vlt*: & verò Philoſtorgius ipſe hoc nomen ab iis (atque adeò à ſe) procul eſſe voluit, *lib.6. cap.2: & lib.9.cap.13*: Nempe, quia, cùm vrgerentur Eunomiani, etſi, vt diximus, Filium ὁμοιότατον, etſi ἀπαραλλάκτως

ὅμοιον

ἀνόμοιον negarent, attamen ὅμοιον quadam adhuc ratione adſerebant: ὅμοιον inquam, κατὰ τοὺς μονογενοῦς Θεοῦ πρὸς τὸν ἀπαθῶς γεγεννηκότα πατέρα προσήκοντας λόγους, vt ait *lib. 6. cap. 1:* Filium igitur Patre minorem Eunomiani ſtatuebant: ſic quidem, vt Filium ἀναδέστερον τοῦ πατρὸς δοῦλον καὶ ὑπηρέτην ſtatuerent *lib. 6. cap. 2:* Quemadmodum & Spiritum Sanctum, Filij φῶς δεύτερον vocabant (vt quidem ipſe tento) Hinc igitur & Philoſtorgius, *lib. 3. cap. 13*, varias inter δοξολογίας ſeu hymnologiæ formulas Antiochiæ vſurpatas, hanc maximè ſeſe probare ait, Πατρὶ δι' υἱοῦ ἐν ἁγίῳ πνεύματι: eam nempe, quæ & inæqualem Patri Filium, & Filio inæqualem Spiritum διαῤῥήδην & apertiſſimè omnium faceret. Fuit & hæc Eunomianum ſententia, de B. Virgine Maria, Ioſephum ei poſt Saluatoris partum iunctum fuiſſe, *lib. 6. cap. 2:* Fuit & delirium iſtud, Deum optimè quantus quantus eſt cognoſci comprehendíque poſſe, & vt Chryſoſtomus hanc ſententiam ſummatim effert, παντελῆ καὶ ὁλόκληρον τὴν τελείαν τοῦ Θεοῦ γνῶσιν, item εἰδέναι τί τὴν οὐσίαν ἐστὶν ὁ Θεός. Quod & ipſum Philoſtorgius delirat: qui & ideò Arium ipſum *lib. 2. cap. 3: & lib. 10. cap. 2:* vt & Euſebium Cæſarienſem, alióſque, *lib. 1. cap. 2,* id negantes reprehendit, eóſque adeò abſurdis teneri peccaréque, ἀτόποις ἐνέχεσθαι καὶ ἁμαρτάνειν, ſcribit, quod Deum ἄγνωστόν τε καὶ ἀκατάληπτον πανταχοῦ καὶ ἀνεννόητον ſtatuerent. Fuit & peculiaris quoque apud Eunomianos baptiſmatis ratio: nam & ab aliis, etiam ab Arianis, baptizatos rebaptizabant, *lib. 10. cap. 4:* Et vnicâ tantum merſione baptiſma peragebant; in mortem videl. Domini (nam hanc rationem

reddebant) baptizantes, quam ſemel tantum, non verò bis terue, pro nobis Dominus ſuſtinuit. *d.cap.*4. Hanc igitur fidem, hanc ſectam ſecutus Philoſtorgius, totus quantus Eunomianus extitit: ad cuius ſectæ commendationem, defenſionémque, vt poſtea oſtendam, tota eius hiſtoria comparata eſt. In tantùm verò idem ab Eunomio ſtetit, vt etiam Eudoxium & Eudoxianos (& ipſos alioquin Eunomianos) qui ab Eunomio receſſerant, damnaret: de quo mox, cùm de hiſtoriâ eius dicemus. Imò & nouam quoque inter Eunomianos ſectam, quam Lucianus Eunomij ſororis filius inuexerat, proſcindit. *lib.*12.*cap.*9.

Fabulis quoque ſeu μυθολογίαις attendiſſe eum teſtatur Photius, *in Biblioth.* quò pertinent viſiones, quas ipſe memorat. *lib.*3.*cap.*15: *lib.*7.*cap.*7: *lib.*10.*cap.*4: Quomodo fermè hæretici, & in his proculdubio Eunomiani quoque, μυθολογίαις indulſêre.

Et hæc quidem de Philoſtorgio hactenùs: ſic, vt ne leui quidem indicio ex hiſce Eclogis colligi ſatis poſſit, quonam is munere defunctus ſit: vti neque aliunde conſtare poteſt, quonam is anno hiſtoriam ſuam conſcripſerit, quóve is diem obierit. De ſcriptis tandem eius non aliud habemus, quàm quod ipſemet de tribus ingenij ſui monumentis indicium facit, præter Eccleſiaſticam inquam hiſtoriam ſcripſiſſe ſe ipſe prodit Eunomij encomium, & aduerſus Porphyrium pro Chriſtianis.

II. Nunc de hac Philoſtorgij *Eccleſiaſticâ Hiſtoria* (à quâ

(à qua & ideò ἐκκλησιαστικὸς φιλοσόργιος à Nicephoro Calliſti nuncupatur *lib.12.cap.29*)videndum nobis eſt. Vbi primò notandum, libris duodecim cum Hiſtoriam ſuam complexum fuiſſe, ἰσαρίθμως, pro numero literarum nominis ſui: ita quidem, vt ſinguli libri à ſingulis nominis ipſius literis, ordine earum ſeruato, inciperent, atque adeò omnes per acroſtichin nomen ipſius conficerent & explerent: ὧν αἱ ἀπαρχαὶ συντιθέμεναι, ait Photius, *in Bibliothecâ*, τὸ τοῦ συγγραφέως ἀπαρτίζουσι φιλοσοργίου ὄνομα: vel, vt initio huius Epitomæ ait, ὅτι ἐν δώδεκα λόγοις αὐτοῦ ἡ ἱστορία παράγεται, ἀπαρτιζόντων αὐτοῦ τοὔνομα τῶν κατὰ τοὺς λόγους ἀρχομένων γραμμάτων ἐν τάξει συντιθεμένων. De quo & vetus Epigramma.

> Γράμματα δώδεκ᾽ ἔχει φιλοσόργιος, οὔνομα καλόν:
> Τοὔνεκα δὴ κατὰ γράμμα λόγους αὐτὸς ἔγραψε τοὺς,
> Ἀρξάμενος πρώτου ἀπὸ γράμματος, εἶτεν ἐφεξῆς
> Καὶ διὰ τῆς αὐτοῦ ἀρχῆς ἑὸν οὔνομα γράψας.

Sic ſanè & vetuſtiſſima Plautinarum Comœdiarum argumenta ipſius Comœdiæ titulum per ἀκροστιχίδα continent: ſic & capita Ethica ſeu παραινετικὰ ξε Baſilij Macedonis Imp. ſcripta ſunt. Sic & Nicephorus ipſe, Philoſtorgij in quamplurimis ſequax, in libris ſuis hiſtoriæ pariter Eccleſiaſticæ, hanc nominis ſui ἀκροστιχίδα, ſimili φιλεργίᾳ, ſeruauit.

Secundo obſeruandum, duobus voluminibus hanc Philoſtorgij hiſtoriam comprehenſam fuiſſe, quod ex Photio in *Bibliothecâ* clarum: vbi vtriúſque diſtinctas periochas, epochas, imò & diſtinctam à ſe lectionem fa-

ctam indicat: Καὶ ἡ μὲν ἱςορία αὐτοῦ δι' ἑνὸς βιβλίου, τόμοις ἓξ συμπληρωθὲν μέχρι τοῦδε ϖρόεισι χρόνου. Et mox. Ἐν ἄλλῳ βιβλίῳ καὶ ἕτεροι λόγοι ἕξ.

Tertiò obſeruandum, Philoſtorgium hanc hiſtoriam ſuam *ſub Theodoſio Iun.* ſcripſiſſe: ſub quo eodem & Socrates, Theodoritus & Sozomenus ſuas ſcripſêre. Fuit hæc ſcil. Theodoſij Iun. ætas, vt quemadmodum in alio quoque genere ſcriptores varios ea nacta eſt, ita & ſcriptores Eccleſiaſticos plures per Orientem exciuerit. Nempe, cùm poſt Euſebium Pamphyli Cæſarienſem Epiſcopum nulli tùm extarent per Orientem Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſcriptores, qui res deinceps poſt eum in Eccleſiâ geſtas, integro ſœculi decurſu, vno tenore vnúmque in corpus compegiſſent, iuſta hæc tùm multis materies viſa, ſub pientiſſimo humaniſſimóque & literatiſſimo Principe Theodoſio, ad nouam aliquam συμαδοποιίαν conficiendam: Idque ideò, quia non tantum ſparſa hæc diſiectáque, vti dixi, materies foret, verùm etiam variè admodum tradita extaret, diſcrepantibus inter ſe multorum circa res in Eccleſiâ geſtas, opinionibus & narrationibus, vt diſertè ſcribit Sozomenus, *lib.* 5. *cap.* 1: de quo mox plura. Exorti itaque tùm paſſim, qui rem hanc ad curam ſuam reuocarent, propoſitâ ſibi eâdem nobiliſſimâ Epochâ, à fine ſcilicet Euſebij, ſeu ab Arij in Eccleſia diſſidio, Conſtantiníque adeò Magni initiis, ad Valentiniani 3. Imp. & Theodoſij Iun. tùm tempora, per centum triginta plus minus annos: In quibus Philippus Sidetes, Sabinus, Theodorus Moſpueſtiæus,

ſtiæus, Socrates, Theodoritus, Sozomenus, & Philoſtorgius noſter. Et ita quidem ἀθρόως ſeu cumulatè quatuor hi poſteriores, vt quiſnam ex iis prior manum huic operi admouerit in incerto ſit: ac nominatim vtrum Philoſtorgius tres illos præuerterit, quod Baronius cenſuiſſe videtur, an verò ſubſecutus ſit: nullo enim certo ſatis certo indicio id vel ex hâc Epitomâ vel aliunde colligere hactenùs potui: Etſi de Sozomeno illud facilè concedam, eum poſt Philoſtorgium ſcripſiſſe: Nam, cùm diuerſas ſæpe eiuſdem rei narrationes in hiſtoriâ ſuâ ſternat, ac nominatim, *lib.2.cap.20.in f. & 23. in princ. lib.3.cap.3. in princ.* vbi diuerſam Arianorum & Macedonianorum ſententiam refert: vt & *lib.3.cap.18.in princ.* vbi Arianorum pariter narrationem memorat: *& lib.8.cap.* 15. 18. 23, Philoſtorgium certè nominatim Sozomenus perſtrinxiſſe videri poſſit *lib.2.cap.*23, quo loci eam ὑπόληψιν improbat, quâ quidam dicebant, Indos ab Æthyopibus ad Chriſtianam fidem traductos: ita enim ibi legam, οὐκ ἐξ Αἰθιόπων, non verò ἐξ αἰθιοπων. Ea verò narratio apud Philoſtorgium occurrit, *lib.3.cap.6* & *lib.9.cap.1*, de Theophilo videlicet Indo qui *Aethyops* dictus fuit, quíque ex Æthyopia ad Indos religionis cauſa profectus, eos ad eam traduxiſſe dicitur. Verum de hoc ſentiat quiſque vti volet. Illud exploratum, omnes illos quos dixi, & in his Philoſtorgium, eâdem ætate ſcripſiſſe, imò & eodem filo, ductâ per eaſdem obſeruationes oratione: non tantum vt vagam ſparſámque hiſtoriam Eccleſiaſticam colligerent, verùm etiam (quod

quarto loco hîc notandum) vt ad ſuæ ſinguli quíque ſectæ ſententiæque defenſionem eam aptarent , eáſque adeò narrationes ex iis quæ variè circunferebantur, quę cauſæ ſuæ ſeruirent, deligerent. Quod vt de Socrate & Sozomeno iam in comperto eſt , quorum Nouatianiſmos, aliáque in quibus ἐν τοῖς δόγμασιν οὐ λίαν ἀκριβοὶ fuére, alij iam abundè notarunt, imo & iam olim Photius idem noſter in *Bibliothecâ ſuâ.*11. obſeruauit, ita de Philoſtorgio quoq; iam olim idē Photius notauit. Vt proinde mirari non debuerit Nicephorus Calliſti , *hiſtor. ſuæ præfat.* cur ſcriptores hi quatuor , Socrates, inquam, Theodoritus, Philoſtorgius & Sozomenus , eandem ſibi materiam propoſuerint , ac maximè cùm & ipſe eodem loci rectè obſeruet, eos in quibuſdam variè inter ſe diſſentire, Epiſcoporúmque contentiones prout cuíque viſum eſt, commemorare ; omnéſque varias quaſdam nouáſque res ab aliis minimè dictas hiſtoriis ſuis inſeruiſſe. Hoc ſcilicet Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ pridem , & quidem ſub Theodoſio Iun. fatum fuit, vt non Orthodoxos ſeu Catholicos ea ſcriptores modo nacta ſit, eóſque adhuc futiles ſæpè & verboſos , quod de Philippi Sidetæ , qui libris triginta ſex *hiſtoriam Chriſtianam*, peculiari ſibi iſthoc titulo , ſub eodem Theodoſio Iun. executus fuerat, Socratis iudicium eſt ; *lib.*4 *cap.*14 , Photiíque adeò noſtri *Bibliothecæ n.*35, vt & Nicephori, ex Socrate, *lib.*14. *cap.*29, verùm etiam hæreſi vel ſchiſmati implicitos. Vt omittam nunc, præter Socratem & Sozomenum, Georgium Laodicenum, Thalaſſium, in hís qnoque fuit *Sabinus* ille Ma-

le Macedonianus ſeu Semi-Arianus, Heracleæ Thraciæ Epiſcopus ſub eodem Theodoſio Iun: qui συναγωγὴν τῶν συνοδικῶν, i. collectionem ſynodalium actorum & ἱερατικῶν epiſtolarum (quæ hiſtoriæ Eccleſiaſticæ vel præcipua ὕλη ſeu materies eſt. v. Sozomenum *fine præfat. ſuæ*) ſcripſit: cuius meminit Socrates, *lib. 1. cap. 5. pag. 508. cap. 6. pag. 515: lib. 2. cap. 11. 13. 16: lib. 3. cap. penult. pag. 640: lib. 4. ap. 17.* Enimuerò, Sabinum hunc Catholicis paſſim obtrectaſſe, iiſque quæ pro ὁμοούσιῳ vel aduerſus ſuos facerent, atque adeò Catholicorum epiſtolis ſilentio tranſmiſſis, ſuorum contra hinc epiſtolis relatis, inde ſcelenbus omiſſis, omnia ad ſcopum ſuum peruertiſſe Socrates ſcribit. In his verò nomen quoque ſuũ profeſſus eſt, & vel maximè Philoſtorgius, de Ario, Aëtio, Eunomióque, vt antea oſtendi, totus. Nempe, vt cœteroquin epiſtolas ſuas ſynodicas hæretici ſchiſmaticíque pro cauſæ ſuæ defenſione efferre ſoliti ſunt, ita & ſcriptores quoque iidem nacti qui rerum geſtarum fidem ordinémque ad ſuum quíque finem ſcopúmque accommodarent. Quæ quidem res, vt omittam nunc cauſas alias, & pertinaces olim hæreticorum ſpiritus armauit, & intricatam ſæpe perplexámque illius æui hiſtoriam fecit: de quo extant Socratis querelæ, *lib. 1. cap. 3. in f. & cap. 7. in f. & lib 2. cap. 1: lib. 4. cap. 17. & præfat. lib. 6. in f.* vt & Sozomeni *lib. 1. cap. 1.* quæ apud Suidam quoque *in v.* Ἀκάκιος, & Nicephorum Calliſti *lib. 1. cap. 1. in f.* occurrunt. Hinc factum ſcilicet, vt inſecuti ſcriptores, εἰς ἐναντίας huiuſmodi γραφαῖς ἐντυχόντες, vel operoſe deinceps verum extricare quiuerint

(σκολιὸν quippe λίαν hæc res κατανοῆσαι τὴν ἀκρίβειαν,) vel certe à fuco fraudéque ſibi haud liquidò ſemper cauere potuerint. Exemplo eſſe poteſt vel Epiphanius, qui vbi ad Meletianos Arianóſque deuentum eſt, hæreticorum ſchiſmaticorúmque commentarios actáque ſecutus, fœdos ſeſe in errores non vno loco induit. Hinc paſſim iam inter ſe diſſentire ſcriptores, prout hunc vel illum è prioribus ſectantur: Hinc Socratẽ Sozomenúmq; inter non vno locó (hac quoque proculdubio de cauſâ) διαφωνίαι, quod à Photio *Biblioth. n.*30. & Nicephoro *lib.*1. *cap.*1. notatum. Hinc diſſenſus frequentes, quos & notauit Nicetas Choniates, *theſauro orthodoxæ fidei lib.*5 inter Euſebium, Theodoritum, Socratem, Sozomenum. Theodorum Mopſueſtiæum, Philoſtorgium, Theophanem. Quare Lectori propoſitâ quacunque tandem veteris memoriæ Eccleſiaſticæ particula; ſummâ attentione acríque ilicò iudicio opus: illud inquam in auctorum iſtorum actorúmque recenſu adnitendum vel maxime, (quæ Iudiciariæ ſeu ſacræ κρίσεως pars vel potiſſima eſt,) vti à primo ſectam ſcriptoris cuiuſque, geniúmque adeò exploratum habeat: Vnde de ſcopo ſeu inſtituto cuiuſque, fidéque adeò dictorum, conſtare liquido poſſit: quando ad ſuum illi finem magis, quàm veri ſemper fidem ſcripta ſua concinnant, odio videlicet gratiáve: Multa nempe, vt Nicephorus recte de his ipſis ſcriptoribus animaduertit, τὰ μὲν καίρια commẽtantes, nõ pauca verò etiã τῶν ἀναγκαίων prætermittentes, ſæpiſſime ἑκόντας τοῦ παθόντος τὸ προσπαθεῖν &c. Inluſtre verò cumpri-

cumprimis eius rei exemplum præbet hæc Philoſtorgij hiſtoria. Ibi quippe illo ſemel explorato, quòd is Arianus, & de Aëtij quidem Eunomiíque gregalibus fuerit, & ſic Eunomianus, quod ſupra demonſtratum eſt, ſincerum exinde de totâ ferme eius hiſtoriâ iudicium fieri poteſt: Et iſtud quidem in ſummam, in Arij Aëtiíque & Eunomij gratiam eam conſcriptam. Quomodo & diſerte Eunomianus, de quo ſupra, veteris epigrammatis auctor, eam *hiſtoriam Aëtij* vocauit:

Ἱστορίην ἐτέλεσσ' Ἀθίου. χαρίτεσσι σοφῇσι,
– Πράγματ' ἀληθείης ποικίλ' ὑφηνάμενος.

Ita enim ibi repono, ἐτέλεσσ' Ἀθίου, non ἐτέλεσσα θεοῦ; Quod ſequentia liquido oſtendunt: Nempe indicatum voluit is, etſi Philoſtorgius in hæretici gratiam Hiſtoriam iſtam conſcripſiſſet, duo tamen adhuc in eâ occurrere quę ſiue ad voluptatem ſiue ad vtilitatem Lectorum faciant: nempe, quod & χαρίτεσσι σοφῇσι conſcripta ea ſit, & vera multa eâ contineantur intexta: de quibus poſteà. Ἄθιος verò hic non alius eſt ab Aëtio, qui peculiari proprióque Ἀθίου nomine olim deſignatus, teſte Socrate, *lib.* 2. *cap.* 28: & Sozomeno *lib.* 3. *cap.* 14. Atque vt in Arij Aëtijque & Eunomij gratiam in commune hæc à Philoſtorgio hiſtoria conſcripta fuit, ita duplici rurſum ſpecialiore fine ſcriptam eam comperio: Primò quidem aduerſus Catholicos homoouſiaſtas, vel etiam aduerſus homoiouſiaſtas: Deinde (quem ſcopum neque Photius ipſe indicauit) aduerſus Eudoxium & Eudoxianos, quò videlic. χωρισμοῦ ſeu ſchiſmatis inter ipſos Eunomianos

exorti cauſam inuidiámque penes illos collocaret. Vtrúmque, vt dixi, pro Aëtio Eunomióque, atque adeò & pro Ario: Quomodo & hac ipſâ tempeſtate Sabinus, de quo ſuprà, pro Macedonio & Macedonianis ſuam ſcripſit hiſtoriam: ſingulis ad ſuæ hæreſeos defenſionem tùm ſcribentibus: & nominatim Arianis, Eunomianis & Macedonianis: quæ tres ſane hæreſes, Ariana inquam, Eunomiana, Macedoniana, quibus & quarta Apollinariorum ſocianda, eâ Theodoſij Iun. ætate potiſſimùm caput efferebant, τότε ἐπιπολάζουσαι αἱρέσεις· quibus contra enixe tum obuiam ibatur, vt ex Socrate, *lib.1. cap. 3. in f.* & Theodoreto *lib. vlt: in f.* diſçere eſt, imò & ex nonnullis præterea ipſiuſmet Theodoſij Imp. conſtitutionibus, puta *l.49. 50. 58. 69. 60. Cod. Theod. de hæreticis.* Ad ſuæ proinde cauſæ defenſionem ſuas illi Hiſtorias edidêre, & inter cœteros quoque Philoſtorgius noſter in Arij, Aëtij, Eunomiíque vt dixi gratiã, tum aduerſus Catholicos, & homoiouſiaſtas, tũ aduerſus Eudoxianos, à quibus pariter appetebantur. Hinc igitur ad duplicem hunc finem concinnata cõparatáq; eius hiſtoria omnis:

De priore ſcopo finéque prius. Hùc ſcilicet pertinet, quod diuiſionis in Eccleſiâ næuum ab Ario in Catholicos deriuare adnititur: Eum verò in finem, de his quæ ante ſynodum Nicænam facta agens *lib.1. cap.3.* ſcribit, Arium cùm de Epiſcopo Alexandrino ageretur eligendo, ſuffragia in ſe inclinantia Alexandro vltro ceſſiſſe donaſſe: cùm contra Hiſtorici alij Arij venenum ex inuidiâ eius ob prælatum ſibi Alexandrum ortum

ortum velint. Eodem fine, *lib.1.cap.4*, narrat, Alexandrum quendam nomine *Baucalim* cùm alterum ab Ario gradum teneret, initium diſſenſionis Alexandrum inter Ariúmque feciſſe, indéque ſimul ὁμοουσίου prædicationem tum primùm adinuentam ἐπιτεχνασθῆναι· Cùm contra veteres orthodoxi, etiam nomen ipſum ὁμοουσίου à veteribus vſurpatum contenderint: de quo. v. Athanaſium in decretis Synodi Nicenæ *contra Arianos p.420.421.422.423*, & ep. *de Synodis Arimini & Seleuciæ p.707*. & epiſt. *ad Africanos p.723*. Eodem fine *lib.1.cap.7*, ſcribit, ante ſynodum quoque Nicænam Alexandrum Alexandriæ Ep. cùm Nicomediæ verſaretur, & in Oſium Ep. Cordubæ, quíque cum eo erant, Epiſcopos incidiſſet, Synodicis ſuffragiis de prædicando Filio ὁμοουσίῳ, Arióque condemnando, cóueniſſe: vt ita adſtruat, ex compacto rem omnem aduerſus Arianos actam, vocémque ὁμοουσίου inter Catholicos præmeditatam ad Synodum Nicænam allatam. Quod Synodum Nicænam ipſam attinet, eodem fine ſemper ſcribit, *lib.1.cap.9.10.& lib.2.cap.1.* Arianos quoque ferme omnes ad Synodi ſententiam traductos, vi ſcilicet metúve, ſed tamen ὁμοιούσιον ſub voce ὁμοουσίου occultantes. Eodem fine *d.lib. 2. cap. 1.* poſt Synodum Nicænam Euſebianos ſeu Arianos ad ἑτερούσιον rediiſſe, contra Conſtantinum eos qui fidei Nicænæ aperte reluctati fuerant ab exilio reuocaſſe, & ipſum (quæ ingens calumnia eſt) ὁμοούσιον publicis literis laceraſſe, quibus & Alexander Ep. ſubſcripſerit, cui & ideò Ariani iam communicauerint: verùm Alexandrum ad ὁμοού-

σιον mox reuerſum, quâ cauſa Arius ab eo & ab Eccleſia receſſerit. Quæ omnia precario falſóque dici in Alexandri, imò & Conſtantini, iniuriam ex aliis ſcriptoribus clarum. Et hæc quidem de primâ Arij ab Eccleſiâ ſeceſſione ſub Conſtantino M. Sub Conſtantio pariter totalis Antiochiæ ſeceſſionis ab homoouſiaſtis inuidiam penes Catholicos collocat: nempe narrat, etſi Ariani vſque tum Antiochiæ precibus hymníſque & conſultationibus, omnibúſque aliis, excepto tantum myſtico ſacrificio cum illis communicaſſent, vbi Aëtius diuerſam fidei ſuæ δοξολογίαν inuexiſſet, ruptis omnibus quibus antea coniungebantur amicitiæ & conſuetudinis vinculis, Arianis maximè materiam præbuiſſe in diuerſa eundi, εἰς ἀντίπαλον τούτοις μάλιστα περισχισθῆναι καταστῆσαι μοῖραν. Et hæc quidem Philoſtorgius de diuiſionis in Eccleſiâ cauſis, in Catholicorum inuidiam, ſuorum contra ſeu Arianorum, Aëtiíque defenſionem. Quò pertinent & perpetuæ hoc opere, ſuorum laudes & encomia, contra Catholicorum ψόγος καὶ διαβολή. Quod & iam olim obſeruauit veteris Epigrammatis auctor, hoc lemmate. Εἰς τὴν ἱστορίαν Φιλοστοργίου τοῦ Ἀρειανοῦ καὶ πάσης κακίας πεπληρωμένου: οὐδὲν γὰρ ἄλλο ἱστόρησεν ἢ ψόγον τῶν ὀρθοδόξων. Idem obſeruauit & Photius in Bibliothecâ. ἐξαίρει, inquit, τοὺς Ἀρειανίζοντας ἅπαντας, λοιδορίαις πλύνει τοὺς ὀρθοδόξους, ὡς εἶναι τὴν ἱστορίαν αὐτοῦ μὴ ἱστορίαν μᾶλλον, ἀλλ' ἐγκώμιον μὲν τῶν αἱρετικῶν, ψόγον δὲ γυμνὸν καὶ κατηγορίαν τῶν ὀρθοδόξων. Et rurſum initio huius Epitomæ. ἡ δὲ ἱστορία τῶν αἱρετιζόντων ἐστὶν ἐγκώμιον αὐτῶν, ὥσπερ καὶ τῶν ὀρθοδόξων διαβολὴ καὶ ψόγος μᾶλλον ἢ ἱστορία.

A ſuo-

A ſuorum commendatione initium ducamus, in quibus laudandis nullum modum tenuiſſe cum, *οὐκ ἔχειν κόρον* Photius cum ait, *lib.*8 *cap.*2.*in fin.* In genere præcipuos huius ſectæ viros à miraculis paſſim commendat: veluti Aëtium, *lib.* 5. *cap.* 2: *lib.*9.*cap.*1. Theophilum Indum *lib.*3.*cap.*4: *lib.*4 *cap.*7: & apud Photium *in Biblioth.n.* 40. Euſebium Nicomed. *lib.*5.*cap.*7: Agapetum Synadorum Ep. *lib.*2.*cap.*8. Eunomium *lib.*9.*cap.*1: Leontium Ep. Tripolitanum. *d.lib.*9. *cap.*1: Candidum: *ibid.* Arrianum *ibid.* Florentium, *ibid.* Euagrium, *ibid.* Idem in *Lucianum* martyrem (quem Ariani velut hæreſeos ſuæ principem, formulæque ſuæ auctorem efferebant) ſtudium ſuum non vno loco prodit: nam & in eius ſolius gratiam Helenopolim ab Helenâ Conſtantini M. matre, *κατ' ἄλλο μὲν οὐδὲν*, excitatam ſcribit, *lib.*2.*cap.*13, cùm tamen alij referant, id ideò factum, quod Helena ibi nata eſſet. Idem ad commendationem eius miraculum narrat de delato à delphino eius corpore *ibid.* Memorat & *lib.* 2. *cap.*14: hiſtoriam de Euchariſtiâ citra altare in carcere ab eodem Luciano in pectus recubante adminiſtrata. Idem tandem Luciani huius diſcipulos ſtudioſè recenſet, *lib.*1.*cap.*8: *lib.*2.*cap.*3.15.16: quorum videlicet peculiare ſodalitium ſeu *φατρεία* tùm erat, eorum inquam qui ſe Luciani martyris diſcipulos iactabant, atque inter ſe *συλλουκιανισταὶ* audiebant: In his verò memorat Arianorum anteſignanos, Euſebium Nicomedienſem, *d.lib.*1. *cap.*8: *lib.* 2. *cap.*13.15. Antonium Tarſi Ciliciæ Ep. Leontium Antiochenũ, Marin Chalcedonis, Theo-

gnin Niceæ, Aſterium Cappadociæ: etſi horum opiniones nonnullas ipſe proſcribat. Hinc & *Euſebij* iſtius *Nicomedienſis* laudes, quem & Magni cognomento honeſtat *lib.1.cap.9:* & apud Photium, *in Bibl:* cuius & miracula vitámque ſummoperè extollit *lib. 5. cap. 7:* & apud Photium *d.loco:* Hinc & *Euſebij Cæſarienſis* laudes, etſi & hunc in nonnullis reprehendat *lib.1.cap.2:* Hinc *Arij*, quem quo ad ſententiam de Filio ὑπερθειάζει, etſi & hunc pariter in nonnullis reprehendat *lib.2.cap.3:* Hinc *Vlphilæ* Gothorum Ep. Ariani, quem alterum Moſen quoque à Conſtantino M. vocatum ſcribit *lib.2.cap.5:* Hinc, *Theophili Indi* Ariani, cuius miracula itineráque pro fide Arianâ prolixè memorat *lib.3. cap.4.5.6.* vt & honores ei ab Imper. Conſtantio exhibitos *lib.4. cap.7.* quemque ait, non peculiaris alicuius ciuitatis curam ſortitum, verùm κοινὸν ὥσπερ ἄγαλμα ob virtutem ab homodoxis habitum. *lib.3 cap.6.in fin.* eundémque imperatæ à Conſtantio Galli Cæſaris cœdi ſeſe oppoſuiſſe. *lib.4. cap.1.* viciſſim à ſe exilij irrogati veniam Conſtantium ab eo petiiſſe *lib.4. cap.7:* miraculo deníque ſoláque manuum impoſitione Conſtantij vxorem ab eo curatam *ibid.* Hùc pertinent *Leontij* Ep. Antiocheni laudes, à quo Aëtius Diaconus ordinatus *lib.3. cap.17.18:* & inter alia encomium iſtud, quod is ſuâ tempeſtate nihil prorſus de ſacris Antiochiæ curis, imò de vniuersâ pietate adulterari καπηλεῦσαι ſuſtinuerit *lib.3. cap.18:* eiúſque ope nonnulli à periculo apud Gallum C. erepti fuerint. *l.b.3. cap.27.* Enimuerò in *Aëtio, Eunomioq́;* principibus ſuis cumprimis commen-

dandis

dandis incumbit: Quos & ſolos ait repurgaſſe dogmata pietatis cum tempore contaminata: ἐξαίρει δὲ, inquit Photius, ἐν μὲν λόγοις μάλιστα Ἀέτιον καὶ Εὐνόμιον, μόνους ἀνακαθᾶραι τὰ τῆς εὐσεβείας δόγματα τῷ χρόνῳ συγκεχωσμένα πρεσβευόμενος. Vnde & Eunomianus poëta, quomodo nos emendamus, eum Ἀθίου, id eſt, *Aëtij hiſtoriam ſcripſiſſe* ſignatè ait. Huc verò pertinet prolixa narratio de Aëtij vitâ *lib.3. cap.15.* vbi inter coetera viſiones ei oblatas memorat, quibus ἀκαταμάχητον i. quod in omnibus congreſſibus & diſputationibus ſemper victor futurus eſſet, ei promiſſum ſcribit: Et verò victorias eius Philoſtorgius aduerſus Baſilium & Euſtathium effert *lib.3. cap.15. & 16*, vt & in Synodo Conſtantinopolitanâ ſub Conſtantio *lib.4. c.12.* Eiuſdémque miracula deprædicat *lib.7. cap.2. & lib.9. cap.1.* Tandem excitatum eum, diuinitus ſcilicet, ſcribit, vt Athanaſio reſiſteret, vel, vt ipſe ait, contra flaret, τὸν αἰγυπτιον *lib.3. cap.17.* Omnium verò maximè in *Eunomij* ſui, Eunomianus ipſe, laudes, plenis velis fertur: cuius & peculiare encomium ſcripſiſſe ſe ait, *lib.3. cap.21*: & his ipſis Eccleſiaſticæ hiſtoriæ libris varias eius laudes adſpergit *lib.10. cap.6.* eiuſdémque ſcripta commendat. *ibid:* miracula effingit, fingendóque nihil non abſurdi ſcribit *lib.9. cap.1.* Zelum eius erga fidem ſuam effert *lib.4. cap.5. lib.6. cap.4.* vt & erga Aëtium *lib.5. cap.3.* conſtantiam item quod conſtanter renuerit ſubſcribere fidei Ariminenſi & Aëtij abdicationi, & ideò Epiſcopatum deſerere maluerit *lib.6. cap.3*: tandem & auerſionem ab homoouſiaſtis, quod videlicet ab his penitus ſeſe ſecreuerit,

eóque obtentu Epiſcopatum recuſauerit *lib.3. cap.19.*

Ab eâdem mente ſunt & *Imperatorum Cæſarumq;* laudes, qui Arianæ, Aëtianæque hæreſi, eiúſque ſectatoribus fauerant: veluti *Conſtantij* Imp. laudes *lib.3.cap.2.* (extra Galli C. cœdem, Synodóſque pro ὁμοιούσιῳ habitas:) quem inter alia commendat ob Eccleſias Conſtantinopoli excitatas, reliquiáſque Sanctorum eò tranſlatas, *lib.3.cap.2.* ob legationem pro pietate ad Homeritas & Auxumitas miſſam *lib.3.cap.4.* ob humanitatem eius erga Veteranionem Tyrannum *lib.3. cap.22.24.26.* ob victoriam de Tyrannis, crucíſque in id ſignum exhibitum. *d.c.26*: ob id quod in mortem Galli C. non duraſſet, inuidiámq; adeò cœſi eius in Euſebium Præpoſitũ S.Cubiculi deriuat *l.4. c.1.* *Gallo* verò Cæſari aperte fauet, ob ea quę is in Aëtium humaniter conſuluit, *lib.3. cap.27.* Hinc igitur non tantum eum à fortitudine rebúſque præclarè aduerſus Perſas geſtis commendat *lib.3.cap.27*: verùm etiam acerbiter ab eo geſta diluit, *d.c.vlt.* Conſtantij contra infelicitatem, Galli cœdi imputat *lib.5. cap.4*: viceuerſa Iulianum de Galli C. cœdis authoribus vindictam recte ſumpſiſſe ſcribit *lib.4. cap.1. in fin.* qui idem & Aëtium reuocauit, qui propter Gallum C. periculum & exilium ſubierat *lib.6. cap.7.* Et hæc de ſuorum laudib. in quas fertur Philoſtorgius.

E contra plena eius Hiſtoria eſt, vt iam ſupra quoque diximus, maledictorum, conuiciorum, calumniarum, διαβολῆς καὶ ψόγου, aduerſus Catholicos homoouſiaſtas, imò & aduerſus homoiouſiaſtas. Primus in his *Alexander*

Ep.A-

Ep. Alexandrinus, in quem vt dixi diuiſionis in Eccleſiâ næuum ab Ario deriuat *lib.1.cap.3.4.* eiuſdémq; τερπίλειαν in fide incuſat *lib.2.c.1. & 7.* In his & *Euſtathius* Ep. Antiochenus, quem à Conſtantino M. ſtupri conuictum in exilium miſſum ait, *lib.2.cap.7.* In his, & vel maximè, *Athanaſius* Ep. Alexandrinus, de quo multa περτδίται. Ordinationem primum eius vi dolo factam ait, ideóque ab aliis eum in eadem Synodo anathemati ſubiectum, falsóq; ordinationem ſuam tanquam communi liberóq; conſenſu factam ad Imper. Conſtantinum retuliſſe, qui ideò eam confirmarit *lib.2.cap.11*: Verùm mox, cùm Imperator rei veritatem reſciuiſſet, Synodum Tyriam indixiſſe, vt ibi ordinationis ſuæ rationem redderet *lib.2. cap.12.* Athanaſium eò venire noluiſſe, culpæ ſcil. conſcium, imò & cum eò tandem veniſſet, iudicio ſeſe ſiſtere noluiſſe. *d.c.12.* Ibidem ſcortum in Euſebium Synodi coryphæum immiſiſſe, verùm fallaciam detectam: Duplicíſque adeò criminis Athanaſium conuictum, & prauæ ſcil. ordinationis & calumniæ, ideóque depoſitum. *d.c.12.* vbi & impudentiam ei obiectat. Suffectúmque ei à Conſtantino M. Gregorium mentitur. *d.c.12. & c.vlt.* Et hæc ſub Conſtantino M. de Athanaſio. Sub Conſtantio itidem ait, ſedem ab eo repetitam non habitâ ratione eorum qui eum depoſuerant. *d.c.vlt.* & ideò ſede pulſum à Conſtantio. *lib.3. cap.3.* Exindéque eidem exprobrat, quod ad Occidentis Imperatorem Conſtantem cõfugerit *lib.3.cap.3. & 12*: corruptóſque ab eo muneribus eos qui apud Conſtantem in authoritate erant, & in his

Euſtathium Comitem rerum priuatarum. *d.c.12*: minaces inde à Conſtante ad Conſtantium literas eum retuliſſe. *ibid.* In itinere ordinationes extra diœceſim ſuam feciſſe, *ibid*: ἀρχηγὸν item fuiſſe cœdis Georgij Alexandrini, *lib.7.cap.12.* Tandem ſcribit, eum præ Apollinario, Baſilio & Gregorio Nazianzeno, ſtrenuis ὁμοουσίου propugnatoribus, penè puerum fuiſſe, apud Suidam *in v.* Ἀπολλινάριος, Βασίλειος, Γρηγόριος. Et hæc in Athanaſium, Idem Philoſtorgius & conuerſos ab Arianiſmo ad ὁμοούσιον diſcerpit, veluti *Aëtium* alterum Palæſtinæ Epiſcopum, & *Maximum* Hieroſolymorum, *lib.3.cap.12.* Diſcerpit & *Baſilium* Ancyræ, eiúſque inuidiam notat ob Eudoxium factum Epiſcopum Antiochenum, *lib.4.cap.6*: actáque eius pro ὁμοιουσίῳ aduerſus Aëtium, Eudoxium & Theophilum, *lib.4.cap.8.9.10*: vt & inconſtantiam eius quod modò ὅμοιον κατὰ πάντα Filium, modò ὁμοιούσιον prodiderit, *lib.4.cap.8.9*: facta item eius machinationibus quibuſdam aduerſus ἑτεροούσιον, *lib.4. cap.11.* calumnias item eius apud Conſtantium Imp. aduerſus Theophilum, Aëtium & Serram, *lib.5.cap.4.* *Acacij* potiſſimùm Cæſareæ Palæſtinæ Epiſcopi verſutiam, ὑπόκρισιν, & calumnias contra Aëtium, & contra Eunomium carpit, *lib.4.cap.12*: *lib.5. cap.1.* & 2. *lib.6. cap.4*: Hinc Photius *in Bibl.* κατηγορεῖ δὲ, inquit, Ἀκακίου μάλιστα τοῦ Καισαρείας τῆς κατὰ Παλαιστίνην ἐπισκοπήσαντος δεινότητά τε καὶ ἀνυπέρβλητον καὶ κακουργίαν ἄμαχον, μεθ' ὧν καὶ πάντων φησὶ κατισχῦσαι τῶν τε ὁμοφρονεῖν δοκούντων, εἰς ἔχθραν δή τινα καταστάντων, καὶ τῶν τἀναντία θρησκευόντων. Hùc quoque pertinet, quod Catholicis falſas doctrinas falſo imputat, veluti

veluti Baſilio & Gregorio Nazianzeno, itémque Apollinario, *lib.8.cap.13*: vt & clades, veluti Nicomedienſem, *lib.4.cap.10*: cœdéſque, veluti Gregorij Athanaſio, vt antea dixi: vt & Hypatiæ Philoſophæ, iis qui ὁμοούσιον prædicabant, *lib.8. cap.9.* Tandem hùc ſpectat indictum Monachis odium, *lib.3.cap.13: & lib.11.c.5:* nempe, quia monachi Arianæ hæreſi valde reſtiterant, contrà Nicænæ fidei adhæſerant: teſte Sozomeno, *lib.3.cap.12: & lib.6.cap.27.*

Quanquam inter hæc, eſt & vbi ingenui hominis teſtimonia apud eum comparent: nam & celeberrimos quoſdam inter Catholicos viros debitis laudibus non defraudat, apud Suidam, & apud Photium *in Bibliothec. n.40.* & in hâc Epitoma *lib.8. cap.11.* Idémque multa vltrò fatetur, καὶ αὐτός φησι, συνομολογεῖ, quæ alioquin Ariani facta negabant, *lib.1.cap.1.& 9.*

Neque intra priuatas tantum perſonas hæc Philoſtorgij, ſiue mentiendi, ſiue maledicendi, libido, auerſúsue eius animus, ſtetit, verùm etiam, ad Gentilium ſcriptorum morem proximè, aduerſus Catholicos Imperatores proceſſit. A *Conſtantino* M. initium ducamus: de eo verò multa falsò narrat: & illud cumprimis, hactenùs inauditum & falſiſſimum, eum poſt Concilium Nicænum ὁμοούσιον publicis literis laceraſſe, ἑτερούσιον contra firmaſſe, *lib.2. cap.1*: Item Euſebianis eum pœnam indixiſſe, quod cùm alia ſentirent, ὁμουσίῳ ſubſcripſiſſent: contra eos qui cum Secundo erant reuocaſſe, qui ſcil. apertè Synodo Nicænæ ſubſcribere noluerant, *lib.2. c.1.*

Idem de eo narrat, eum veneno à fratribus interfectum, *lib.2.cap.4.* & *17*, & ideò necem eorum tabulis Euſebio Nicomedienſi traditis mandaſſe. *d.c.17.* *Conſtanti* quoque Imperatori iniquiſſimus fuit Philoſtorgius: Hunc ſcil. ait, contra cæterorum ſcriptorum fidem, fratri Conſtantino inſidias ſtruxiſſe, ſicque, eo interfecto, Imperij ipſius portionem ſibi quæſiuiſſe, *lib.3. cap.1:* Item, Athanaſium apud ipſum παραδυναστεύοντας muneribus ſubegiſſe, indéque epiſtolam minacem à Conſtante ad Conſtantium retuliſſe. *lib 3. cap.12.* Imò, Conſtantem ideò cœſum ait, quod Athanaſio faueret, *lib.3.cap.20.* Quin, eſt & vbi in *Conſtantium Imp.* fertur, etſi alias Arianum, eo nomine quod is Baſilianis aurem præbens Ariminenſi formulæ & ὁμοουσίῳ acceſſiſſet; contra, Anomœos, Aëtium videl. Theophilum & Serram in exilium miſiſſet *lib.4.c.8:* & *lib.5.cap.1.2.4:* Atque hâc quoque de causâ aduerſus hoſtes antea præualere ſolitum, inferiorem factum tradit *d.cap.4.* Eadémque de causâ, quia ſub eo Synodis ὁμοιούσιον ſtabilitum fuerat, impias eum Synodos habuiſſe indicat, *lib. 6.cap.8. in fin.* In *Gratianum* Imp. maior adhuc mentiendi, calumniandíque libido: Eum ſcil. ait, quoſdam puniuiſſe, quod Valentinianum Iun. fratrem ſuum poſt patris mortem, ſe inconſulto Imperatorem feciſſent. *lib.9.cap.16.* Multis dein & apertis conuicijs & calumnijs eundem onerauit, ſic quidem vt Neroni eum comparauerit, ſolo orthodoxæ fidei eius odio, vt diſerte cenſet Photius, *lib.10.cap 5.* *Valentinian:* quoque *Iun.* immodicum circa feras ſtudium perſtringit, iræque

immo-

immodicæ eum fuiſſe ait, quæ etiam res exitium ei attulerit, *lib.11.cap.1.* *Theodoſium* M. deinceps (qui Arianos & Eunomianos maximè exagitauit) traducit ob vitæ intemperantiam luxúmque immodicum, atq; ideò morbo intercute mortuum ſcribit *lib.11.cap.2.* Omitto quæ de Arcadij Imp. naturâ & παιδείᾳ ſcribit, *lib.11.cap.3.&* 6. Summis etiam poteſtatibus nonnullis iniquior, vel ob ſtudium tantum erga Catholicos, velut Euſtathio Comiti R. P. quem muneribus corruptum ab Athanaſio ſcribit, *lib.3.cap.32*: vel ob indictum Eunomianis bellum, veluti Eutropio *lib.11.cap.5.6*: & Stilichoni, *lib.11.cap.3.* & *lib.12. cap.1.&* 2.

Et hæc quidem de primo Philoſtorgij ſcopo finéque, quem ſibi in hâc hiſtoriâ propoſuit: nempe ad ἑτερουσίαν, imò & ἀνομοίαν, ſeu Arij Aëtij Eunomiíque & Eunomianorum defenſionem aduerſus ὁμοούσιον & ὁμοιούσιον eóſque qui id profiterentur. Ad eundem verò quoque finem pertinet, quod antiquitatem religionis ſuæ & ἑτερουσίαν, eiúſque incrementa ſub Conſtantino M. & Conſtantio efferre ſtudet: Vt patet ex iis quæ memorat de Indis, nempe eos ab antiquo ἑτερούσιον profeſſos, etiam antequam Theophilus Indus eò profectus fuiſſet, *lib.3.cap.5. in fin.* item de Gentilibus compluribus ab Agapeto Synadorum Epiſc. ad religionem Chriſtianam conuerſis, *lib.2.cap.8*: Quæ de Vlphila Gotho ſub Conſtantino M. qui Gothos ad religionem Chriſtianam perduxerit, *lib.2. cap.5*: Quæ de Theophilo Indo, qui ſub Conſtantino M. Interiorum Indorū fidem penitus direxerit

lib.2. cap.6: *lib.3.cap.4 5.6*: Sub Conſtantio verò legatus ad Homeritas ſeu Sabæos miſſus, gentis Imperatorem ad fidem Chriſtianam perduxerit, Eccleſiaſque apud eos dedicauerit, ornaritque, *lib.3.cap.4.5.6.*

Alter è duobus ſcopus, quem ſibi in hâc hiſtoriâ propoſuit Philoſtorgius, hic eſt, vt noui inter Eunomianos ipſos ſchiſmatis inuidiam culpámque ab Eunomio in alios deriuet: Et quidem in Eudoxium Ep. Conſtantinopolitanum, à quo Eudoxiani. Nempe enim ait, quàmlibet is Eunomium Diaconum primò ordinaſſet, *lib.4. cap.5*, poſteáque etiam Cyzici Epiſcopum, *lib.6. cap.3*: Quamlibet ſtipulanti Eunomio ſpopondiſſet, Aëtium reſtituiri, *lib.5.cap.3*: *lib.6.cap.1. & 3*: *lib.7.cap.8*: *lib.8.cap.4*: *lib.9.cap.3*: Quamlibet Eunomium aliquando apud ſe accuſatum abſoluiſſet, imò eandem cum ipſo doctrinam, de Filio videl. diſſimili ſecundum ſubſtantiam, profeſſus fuiſſet, *lib.6. cap.1 & 3*: Quamlibet Eunomius iuſſu eius Conſtantinopoli feſto Theophaniorum apud populum ſermonem habuiſſet, fidémque ſuam profeſſus fuiſſet, *lib.6 cap 2*: Quamlibet Eunomium laudaſſet, eiúſque fidem probaſſet, *lib.6 cap.3*: Quamlibet (poſteaquàm ei perſuadere non potuit, vt Aëtij abdicationi & Ariminenſi fidei ſubſcriberet, eáque occaſione Eunomius Cyzicenum Epiſcopatum relinquere maluiſſet *lib 6 cap.3*:) ſub Iuliano apud Euzoium Antiochenum pro reſtituendo Aëtio egiſſet *lib.7 cap.5*: Quamlibet Aëtij à ſuis Conſtantinopoli ordinationi refragatus non fuiſſet, imò & ipſe calculum præbuiſſet, *lib.7 cap.6*: Atque adeò,

adeò, vt ex his omnibus patet, vnitatis ſpem hactenus feciſſet, attamen ſub Iouiano & Valente Impp. contra feciſſe, & apertè propriâ hæreſi conſtituta in contrarias Aëtio Eunomióque partes tranſijſſe, *lib.8 cap.2 & 4*: & exinde Candidum & Arianum Epiſcopos ab Aëtio ordinatos impetiiſſe *lib.8 cap.2*, & Theodoſium Lydiæ Epiſcopum in Aëtium concitaſſe, *lib.8.cap.4*: Cúmque ſub Valente nominatim promiſſioni ſuæ de Aëtio reſtituendo ſati facere potuiſſet, & Aëtium & Eunomium conuitijs proſcidiſſe, *lib.9 cap.1*: Cúmque abſente eò clerus Conſtantinopolitanus Aëtium vrbe expelli decreuiſſet, déque eo ab Aëtio certior factus fuiſſet, non ideò tamen commotum fuiſſe, *lib.9 cap.7*: imò & Eunomij congreſſum cum Valente Imp. quem ipſe petierat, impediuiſſe, *lib.9 cap.8*: Quâ causâ Eudoxium & timiditatis incuſat, *lib.4 cap.4. inf.*: & ſubleſtæ ſimul fidei. Inde igitur, Aëtium & Eunomium ab Eudoxio, vt & ab Euzoio, iure ſcil. diſceſſiſſe, & Conſtantinopoli relictâ in agros ſuos receſſiſſe ſcribit *lib.9 cap.4*: Tandémque Philoſtorgius ſubita Eudoxium morte ob hæc omnia objiſſe haud obſcurè indicat, *lib.9 cap.8*. Et hæc omnia, vti dixi, vt noui inter Eunomianos ſchiſmatis ſeu χωρισμοῦ culpam in Eudoxianos deriuet, quam alij penes Aëtium & Eunomium collocant, & ideò quidem, quod Eudoxius Aëtium Eunomij magiſtrum in communionem non admitteret, vt teſtatur Socrates *lib.2.cap.28*. Theodoritus *lib.2 cap.29. pag.85 inf.* Sozomenus *lib.6 cap.26*. Eodem pertinent, quæ in Euzoium Antiochenum ſcri-

bit, *lib.7 cap.5.6: lib.7 cap.2. & 7: lib.9 c.3. & 4*: quæ in Demophilum, Eudoxij ſucceſſorem, *lib.9 cap.*10. 13. 14. 19: quæ in Dorotheum Euzoij ſucceſſorem *lib.9 cap.*14: *lib.*10 *c.*1. Adde his & quæ in Lucianum quendam Eunomij ſororis filium, nouíque ſchiſmatis auctorem, prodit, *lib.*12 *c.9.*

Hoc duplici ita fine ſcopóque Philoſtorgij perſpecto, quis iam non videt, hinc quam euidentem hæc res Lectori intellectum præſtet: inde, quanta fides in pleríſque ei adhibenda ſit, quando ad eum quem dixi ſcopum pleráque refert. Vt mirum iam quoque non ſit, tot locis eum ab alijs diſſentire, atque à Photio mendacij, calumniarum, τερατολογίας, de quo poſteà plura, accuſari.

Et quanquam hæc ita ſint, ſuperiúſque adeò prolixè tradita Philoſtorgium è Lectorum manibus excutere penitus debere videri poſſint, eiúſque proinde Hiſtoriam odio magis quàm editione dignam quis credat, veriſſimum nihilominus commodi plurimum adhuc exinde ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam deinceps redundaturum. Complurima ſcil. vera huic Hiſtoriæ intexta occurrunt, quod inculcat quoque Eunomianus poëta, in epigrammate ſuo,

Πράγματ' ἀληθείης ποικίλ' ὑφηνάμενος: Eáque varij generis. Nam & hic occurrunt nõnulla alias ἀπλεγόμενα, & tamen Catholicorum narrationibus adeò conſimilia ſeu congruentia, vt quædam quæ alioquin hæretici negare ſolebant, Catholicíque adeò magno conatu probare coge-

cogebantur, Philoſtorgius his libris, καὶ αὐτὸς alijs συνομολογῶν, profiteatur: cuius rei exempla occurrunt *lib.1 cap.1. & cap.9.* Occurrunt alia longe plura ὁμολογούμενα Catholicorum narrationibus congruentia, vnde maior iam iſtis fides accedit, circumſtantijs etiam fors nouis alicubi nonnullis additis. Occurrunt alia, etſi non omninò neque in omnibus conſona, certe haud multùm diſcrepantia, quale eſt quod notat Photius *lib.7 cap.8. pag.94.* Occurrunt complurima, vel noua hactenùs, vel ſane optimæ frugis, extráque controuerſiam poſita, quæ & ipſa ad iuſtum hiſtoriæ Eccleſiaſticæ corpus eiúſque cognitionem haud parum conferunt: vti ſunt tot Epiſcoporum aliorúmque illuſtrium virorum nomina, adque eorum vitam actúſque pertinentia innumera, Hæreticorum hypotheſes, & conatus, Eccleſiæ ritus & cerimoniæ, variarum Synodorum memoria, ſolemnia, geſtáque, paganorum Iudæorúmque res, nobiles item in Imperio motus mutationéſque: Eſt enim & hic tractatus ab hiſtoriâ Eccleſiaſticâ haud alienus: quãdo, quod rectum eſt Socratis *proœmio libri 5.* & Sozomeni *lib.8 cap.25*, iudicium, ſi qui diligenter obſeruet, iiſdem temporibus iiſdémque de cauſis, inteſtinis Eccleſia procellis publicáque res fluctibus agitari ſolet: magna denique Eccleſiam inter & Rempublicam συμπλοκὴ καὶ συμπάθεια eſt: cùm, *vt Reſpublica in Eccleſiâ, ita & Eccleſia in Republicâ ſit.* Hùc pertinent conſequenter ea quæ ad Imperatorum vitas, actuſque præcipuos, extremáque faciunt, ſine quo quod idem Socrates rectè rurſus cenſet, eodem

hic, quæ Hiſtoriæ curioſi, quæ Patrum lectioni dediti, quæ veteres memorias tractantes quique per integri ſæculi, quódque excurrit, decurſum à Conſtantino M. ad Theodoſium Iun. hinc paſſim petere poſſunt, déque iis ſubinde Philoſtorgium conſulere neceſſe habent. Ad ſummam, etſi quæ ſupra memorauimus pleráque à Philoſtorgio abeſſent, in hoc tamen ſcriptionis genere quoquomodo tradita, etſi abſurda vel inania prorſus, Catholicorúmque ſcriptis aduerſa, efferri expediret: quandoquidem horum oppoſitione tanto maior lux illis affulgere poteſt; eóque etiam illa conferũt, vti fides fiat, quàm omni ſemper æuo ſalutis humanæ æmulus veritatem adulterare, pérq; ineptiſſimas fabulas horrendarumque opinionum portenta adniſus, quibúſque artibus, offucijs, fallaciis, & falſimoniis obrepere, fucúmque facere, Eccleſiæque pacem diſturbare, ſimul & hiſtoriæ Eccleſiaſticæ faciem fidémque contaminare conatus ſit.

Et ita quidem, CANDIDE LECTOR, occurriſſe mihi abundè videor iis qui propoſito Philoſtorgij, Ariani ſeu Eunomiani, nomine, inſpectóque ſaltem ſuper eo Photij Patriarchæ iudicio, hanc operam illicò meam omnem hoc in opere vulgando, recenſendo, non modò ceu caſſam & inanem, verùm & incommódam exploſuri fors erunt: eâ opinione, ſcriptorem hunc hæreticum hactenùs ſuppreſſum, porrò quoque ſupprimendum fuiſſe. Quæ, ſententia hominum nonniſi ἀμαθεστάτων rupicúmque eſſe poteſt. Verùm equidem iſtud eſt, vt

& hoc addam, Philoſtorgium pridem, velut *θεομισῆ, ἀσεβῆ, φιλοψευδῆ, κακεστόρχιον, κακόφρονα* à Photio paſſim, atque à Nicephoro, traduci: Vero ſimile & illud, Philoſtorgium in vſu minus habitum, propter manifeſtariam videl. hinc hæreſin eius, teſtatum inde in Catholicos odium, profeſſámque in pleríſque ab aliis diſcrepantiam, cæterùm neque ideò interire eum oportuiſſe, velut illaudatum prorſus, ſuperius dicta abunde teſtantur: Imò ſeruatas haſce nobis reliquias ſummoperè gratandum eſt. Quæ alioquin obſecro inuidia ſit, Philoſtorgium vnum repudiari reiicíve, cùm, non iam dico paganorum in commune ſcripta, verùm acerrimos quoque Chriſtiani nominis perduelles Gentiléſque, Porphyrium, inquam, Lucianum, Libanium, Eunapium, Zoſimum ſimiléſque plures legamus? Quæ malùm inuidia, cùm ſcriptorum quamplurimorum Patrum etiam qui hæreſin manifeſtè ſapiunt, monumenta cætera magna cum voluptate, imò vtilitate, & admiratione legamus? Imò, quæ malùm inuidia, cum & cæteri Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſcriptores paſſim legantur, laudentur, etſi vel hæretici quoque aut ſchiſmatici: *Euſebius*, inquam, etſi de Ario ſapiat, eiúſq; hiſtoriam Gelaſius PP. nominatim inter apocrypha recenſeat: *Sozomenus* item, cuius tamen, vt ait Gregorius M. *lib.6.ep* 13. hiſtoriam ſedes Romana recipere recuſat, *quoniam*, inquit, *multa mentitur*: & cum Sozomeno *Socrates*, etſi Nouatianis & Origeniſtis fauere tradantur, imò etſi hodie nonnulli eos pariter Aëtianos velint: Non & Nonni quoque *μεταβολὴ* in Ioannem legitur teriturque,

ritúrque, etſi & ipſe manifeſtè Arianus, quod ſingulare huius ſæculi decus *Daniel Heinſius* nuper rectè comprobauit? Rectè contra Cyrillus Alexandrinus, *in epiſtolâ ad Eulogium*, quæ refertur quoque in Catenâ Patrum *in Ioannem in proœmio*, etiam in his quæ ad doctrinam fidei pertinent; Οὐ πάντα ὅσα λέγουσιν οἱ αἱρετικοὶ φεύγειν καὶ παραιτεῖσθαι χρή· πολλὰ γὰρ ὁμολογοῦσιν, ὧν καὶ ἡμεῖς ὁμολογοῦμεν. Quare & Catenæ illius author *in proœmio*, ait, ſeſe in hæreſin quoque lapſorum περιγραφὰς operi ſuo inſerere, vitatis, vt par eſt, doctrinis ab Eccleſiaſticâ traditione diſſonantibus vel hæreſi infectis. Rectè quoque Gelaſius, *in tomo de vinculo anathematis*: *Num quidnam in ipſorum hæreticorum libris non multa quæ ad veritatem pertinent, poſita releguntur? Nunquid ideo veritas refutanda eſt, quia illorum libri vbi prauitas ineſt, refutantur? Aut ideò prauis libri ſuſcipiendi ſunt eorum, quia veritas quæ illis inſerta eſt, non negatur? Ait Apoſtolus; omnia probate, quod bonum eſt tenete.* Et rectiſſimè omninò Nicephorus Calliſti *lib. 9. cap. 19. in fine*, Philoſtorgij ſequax, qui ait, hæreſibus addictos, αἱρέσεων ἀντιδόξας, eorúmque adeò ſcripta, in hiſtoriâ Eccleſiaſticâ ſterni, non vt de dogmatibus ſententiam illi ferant, verùm ideò tantum, vt χρόνῳ παρεμπεσόντα memorentur, & vt φιλομαθεῖς clarorum virorum ſcripta & eloquentiâ & variarum rerum lectione præclara præponantur. Et certè homines non nimium pertinaces quilibet fateantur neceſſe eſt, rerum quoque geſtarum veritatem poſſe ab iis quandoque bona fide monumentis ſuis tradi, qui cæteroquin à nobis in ſententiâ de religione diſſideant. Suaues contra eo-

rum deliciæ, qui, vt idem Nicephorus loquitur, *lib. 1. cap. 1. p. 34*, διὰ τῶν δογμάτων μὴ ἐῤῥωμένων; propter ſanam minus doctrinam, hæreticorum ideò hiſtorias vel obliterari melius ducunt, vel certe fidem his vbique derogant, atque ideò tollendos velut partus monſtroſos, *Sacróque apparatu* indignos cenſent. Quo quidem in hoc ſtudij genere nihil æquè hodie exitiabile, hâc præſertim veteris memoriæ paupertate, vbi vndecúnque tandem emicantibus, ſiue veri ſcintillis, ſiue antiquitatis cuiuſcúmque ramentis, in maſſam obruſsámque conflatis, iuſtum exinde paulatim Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ corpus integrari, eóque eniti tandem ſpes eſt, vt ſi non abſolutam numeris omnibus Hiſtoriam Eccleſiaſticam, abſolutæ certe propiorem aliquando habeamus: Si modo, quæ πάρεργα τῶν φρενῶν ſunt (vt ea nunc obiter huc congeram) cuiúſque ſcriptoris, vt & antea monui, propoſiti ſecta, quarum quiſque partium, quis ſingulis ſcopus ſedulo exploretur: ſi ætas eius ſœculúmque probè teneatur: ſi ſpuria à genuinis ſolicitè rectáque æſtimatione diſtinguantur: ſi famæ incerta, rumorum collecta, traditionúmque ſæpe inania, nudaue ἀναλέγματα, quibus Hiſtoria Eccleſiaſtica fratet, euentilentur: Si Temporum ratio curatius habeatur ſuoque non alieno per anachroniſmos æuo dicta geſtáque aptentur, non vt Philippus Sidetes, qui paſſim hiſtoriæ tempora confuderat: ſi ad manuſcriptos Codices quæque fideliter exprimantur, exiganturque: ſi Interpretationes verſionéſve non pro fundo & fundamento ſemper habeantur, quæ ſæpenu-

mero, etſi longè infeliciſſimæ, vel etiam falſiſſimæ, ab hiſtoriæ Eccleſiaſticæ tractatoribus pro veris & authenticis paſſim obtruduntur: pariter vti compoſita ſæpenumero fictáque pro legitimis objiciuntur: pérque alias, breues licet minimáſque, mutationes gradúſque, κατὰ βραχὺ, παρὰ μικρὸν, quæſitis ſæpe adulationibus (quibus Faſti ab ambitioſis ſcriptoribus fœdantur) verum corrumpitur: quæ ſi quis in tempore non frangat, interloquendo; neglecta ſemel in aceruum tandem cumulúmque omnis falſimoniæ & impoſturæ, ſenſim, inſtar σωρειτικῆς ἀπορίας, euadant neceſſe eſt. Verùm ad rem.

Sic igitur de Philoſtorgianæ huius hiſtoriæ circa res Eccleſiaſticas potiſſimum vtilitate liquet. Amœnitates eius reliquas venerésque agnouit iam olim Eunomianus epigrammatis auctor, qui hiſtoriam hanc conſcriptam ait χαρίεσσι σοφῇσι. Cui rei fidem planiſſimè faciunt ea ipſa omnia quæ ſupra ad vtilitatem eius commendandam adferebamus, imò & illa quæ ad vitam Philoſtorgij conſignabamus; nempe, frequentes Artium liberalium ſtricturæ, Geographicæ, & Chronologicæ vt & Mathematicę naturalíſque hiſtoriæ obſeruationes, Narrationes item de Imperatoribus, eorúmque geſtis exitúque, vt & de Magiſtratibus nonnullis, & Conuerſionibus in Republica. His adde, quod Philoſtorgius, etſi hæreſeos manifeſtus, tam egregiis tamen, tam piis ſententiis abundat, opportunéque γνωμολογεῖ; quod & Photius fatetur, & nos antea notabamus, vt nemo alius

commodè magis vel γνωμολογικώτερος. His omnibus accedat egregius quoque Philoſtorgianæ dictionis character ſeu Orationis idea: De quo Photij hominis κριτικωτάτου in *Biblioth: num.* 40. iudicium hîc apponere iuuat; Ἔστι δὲ τὴν φράσιν κομψὸς, καὶ ποιητικαῖς, ἀλλ' οὐ κατακόρως, δοκεῖ ἀχαρίστοις λέξεσι κεχρημένος. Καὶ ἡ τροπὴ δὲ αὐτῷ τῷ ἐμφατικῷ τὴν χάριν μετὰ τοῦ ἡδέως ἐφέλκεται, πλὴν ἐνίοτε ταῖς παραβολαῖς αὐταῖς καὶ πλέον ἢ ἀποτετολμημέναις χρώμενος εἰς ψυχρολογίαν καὶ ἀκαιρολογίαν ἐκπίπτει. Περιβέβληται δὲ αὐτῷ ποικίλως ὁ λόγος καὶ εἰς κόρον, ὡς εἰς τὸ ἀσαφὲς καὶ οὐκ ἀεὶ χάριεν τὸν ἀκροατὴν ὑποσύρεσθαι. Ἐν πολλοῖς δὲ καὶ οἰκείως γνωμολογεῖ. Vbi vides κρίσιν egregiam de Idea & charactere Orationis Philoſtorgij in hâc hiſtoriâ Eccleſiaſticâ: nempe 1. quod dictionem attinet, comptam ei, poëticiſque ſine faſtidio neque ingratis *dictionibus* eum vti ait: 2. *Tropum* ipſi emphaticũ gratiam cum voluptate conciliare: 3. *Circumduci* ſeu *cumulari* ipſi orationem variè, Sententiis denique eum in multis proprijs vti. In Idea ſeu charactere ſcil. hæc quatuor inter alia ſpectanda, φράσις ſeu λέξις; Τροπὴ, Περιβολὴ, & γνωμολογία: Quod φράσιν & γνωμολογίαν attinet, Photius in Philoſtorgio nihil improbandum habet: in Tropo & in περιβολῇ aliquid deſiderat: nempe quod tropis ſeu tranſlationibus aliquando παραβολαῖς audacius detortis vtens in improprium frigidúmque ſermonem incidat: item, quod περιβολὴν attinet, quod videl. ad ſatietatem ei quandóque oratio cumuletur, circumducatur, vt inde obſcurus fiat. Περιβολὴ ſeu περιαγωγὴ eſt circumductio, ſeu oratio accumulata & circunducta, complexio, quâ res quæ pluribus periodis

efferri

efferri poteſt, vnâ periodo vnóque ſpiritu includitur eſ- funditúrque. Quæ quidem ὑπερβολὴ vna eſt è pluribus modis τὸ μέγεθος ſeu ὕψους καὶ ὑψηλοῦ i. orationis magnificæ ſeu ſtyli ſublimis, quæ cùm nimia eſt & ἐν λόγῳ, εἰς τὸ ἀσαφὲς καὶ οὐκ ἀεὶ χαίρειν auditor ἀποφέρεται. Ergo cùm inter chara- cteres ſublimem τὸ ὕψος Philoſtorgius ſectatus fuerit, attamen quod tropum attinet in ψυχρὸν ſeu frigidum quandóque incidiſſe eum notat Photius: nempe quòd Tropis παραβόλοις καὶ πλείστοις ἀποτεταμμέναις vſus ſit. Quod & ipſum fermè de Theodoriti in Eccleſiaſticâ hiſtoriâ ſtylo idem cenſet Πλὴν ὅτι ἐνίοτε ταῖς μεταφοραῖς παραβόλως, καὶ ὥσπερ ἀπειροκάλως ἐχρήσατο. Et ita quidem ſummo iudicio & ex penitiſſimâ Rhetorum Oratorúmque ſcholâ Pho- tius de charactere Philoſtorgij. Quod ὑπερβολὴν verò at- tinet, Photius Philoſtorgium in ἀσαφὲς καὶ οὐ χαρίεν audito- rem deducere ait. De quo alioquin Oratorio characte- re omni, de Ideis inquam, Vitiiſque orationis in gene- re, accuratè priſci Rhetores & Oratores, & in his Diony- ſius Halicarnaſſeus, Longinus, Demetrius Phalereus, Hermogenes, Ariſtides, Tullius, alij, & hâc ætate noſtra Doctiſſimus quoque Voſſius *Orator. Inſtit. lib.6.* vbi hanc quoque de Photij Philoſtorgij hiſtoria κρίσιν memorat *cap.4.p.437.* Certè in hac quoque vel ipſa Philoſtorgij epitomâ à Photio confectâ, Philoſtorgianus ille chara- cter ſed Idea paſſim intermicat, vti quiſque per ſe facilè inter legendum notare poterit.

Et hæc quidem de Philoſtorgio ipſo, eiúſq; Hiſtoria, atq; ad eius commendationem, tum & mei defenſionem

aliquam in ea edendâ, aduerſus nonnullorum faſtidium, inter hæc initia dicta volui.

III. Nunc de hâc, quam nunc damus, PHOTII *Epitomâ* differendum nobis eſt: vbi alteri ſtatim quorundam faſtidio occurri oportet, qui propoſitâ videl. *Epitomæ* appellatione eam deſpicatui ilicò fors habituri erunt, eò quod nonniſi ſegmenta quædam, ἀποσπασμάτια, ἀπανθίσματα, neque adeò multa, ex tam diffusâ Hiſtoriâ hic proponantur. Nempe enim delicatis his ita occurrimus, non ideò veterum ſcripta inſuper haberi oportere, quod ea haud ſolida ſemper integráque proponuntur, verùm exiguæ ſæpe tantum ex his velut è naufragio tabulæ, ſiue vetuſtatis iniuriâ, ſiue Epitomatorum, vt nonnulli queruntur, incuriâ licentiáque reliquæ. Nam vt maxime optandum foret, integros intemeratóſque veteris æui ſcriptores ad nos perueniſſe, attamen, quando votis fruſtra res hîc geritur, hoc Catone contentos nos eſſe oportet: déque ſeruatis ſaltem reliquiis nonnullis, vti res eſt, gratulandum nobis eſt. Et verò quis tam ſtudiorum hodie rudis eſt, vti neſciat, rediuiuis huiuſmodi parietinis ſeu Eclogis & Excerptis ſcriptorum qui iam olim intercidêre, ingens hoc ſæculo ad meliores quáſque literas incrementum acceſſiſſe: vt pote quibus non iuſtorum tantum paſſim operum inſtar aliquod breuéque ſimulacrum exhibetur, verùm quorum ope denſiſſimis veteris memoriæ tenebris modico ſæpe fragmento lux fulgentiſſima infertur, immanéſque hiatus ſupplentur? Ac maximè, vbi huiuſmodi Epitomæ, & vberiores

vberiores exiſtunt, & in doctos iudicioſóſque Epitomatores vel Eclogarios incurrêre. Quod vtrúmque hîc euenit: vberiores hæ inquam è Philoſtorgio Photij eclogæ ſunt: Quod titulus quoque earum oſtendit, qui ſic habet, Ἐκ τῶν Ἐκκλησιαστικῶν ἱστοριῶν Φιλοστοργίου ἐπιτομή. Nempe enim *Epitoma* maius aliquid & amplius quiddam ſignificat: largiora, inquam, & vberiora excerpta, quàm cuiuſmodi exhibent eæ quæ ἐκλογαὶ tantum dicuntur: quarum multæ ſæpe nonniſi vnicum aliquod caput ſeu locum ſelectum continent, cuiuſmodi ſunt Polybij ἐκλογαὶ, Legationum ἐκλογαὶ, ſimiléſque, etiam Ethicæ quæ nuperrimè à Doctiſſimo Valeſio editæ ſunt: Quanquam & Baſilicorum ἐκλογὴ dicitúr, quæ & σύνοψις aliàs, largior ſcilicet vberiórque: imò & fine huius operis eadem hæc Photij epitoma generali ἐκλογῶν appellatione deſignatur. Sic igitur vberiores Eclogæ hæ ſunt: Atenim (quod alterum ad earum commendationem accedit) eædem & accuratiores, à Photij Patriarchæ Conſtantinopolitani manu: primò quidem, quod hanc Epitomen ſeparato peculiaríque, extra Bibliothecam ſeu Myriobiblon, quod hactenùs prodiit (quo alioquin breuem Philoſtorgianæ hiſtoriæ continentiam ſimul & cenſuram prodiderat) opere confecerit: nempe quod tam memorabilem hiſtoriam id mereri cenſeret, notabiliórque ea eſſet, quàm vt leui bracchio manúque tranſmitteretur: pariter, vt idem librorum quorundam, quos in Bibliothecâ iam recenſuerat, longiora excerpta, imò ſimiles Epitomas ex potiſſimis ſcriptoribus in alteram ope-

ris ſui partem ſæpe reiecit. Secundò accuratior & hæc Ecloga, quòd ea facta dicitur, ἀπὸ φωνῆς φωτίου πατριάρχου: Ἀπὸ φωνῆς, inquam: quâ ipsâ formulâ Epiphanij vita apud Simeonem Metaphraſten, *ex voce Ioannis* excerpta dicitur: Et Leontij Byzantini Aduocati ſcholæ *ex ore Theodori* exceptæ: & Eclogæ ex Eccleſiaſticâ Theodori Lectoris hiſtoriâ cōfectæ dicuntur ἀπὸ φωνῆς Νικηφόρου Καλλίστου: & enarratio Euangelij Marci & Lucæ, ἀπὸ φωνῆς τοῦ ἁγιωτάτου ἀρχιεπισκόπου πάσης Βουλγαρίας κύρου Θεοφυλάκτου: Proculdubio ſcilicet hęc Philoſtorgij Epitoma, non vt alia multa à Photio tralatitiè excerpta, verùm peculiari ἐπιστάσει conſcripta indicatur: imò & dictata, ſiue Patriarcha eo adhuc exiſtente, ſiue poſt, monachis in Armeniarum monaſterio conſtitutis, quò is Patriarchatu à Leone Philoſopho A.D. 887, depoſitus ſeceſſit, & ad vitæ exitum, vt creditur, egit. Quod ſi ita eſt, tùm dicendum fuerit, contra quam Diſſertationes noſtræ habent, Photium huius Epitomæ confectæ tempore, imaginum cultum improbaſſe, atque ideò ea quæ continentur *lib. 7. cap. 3*, è Philoſtorgio in ſententiam ſuam excerpſiſſe, non verò, quod ibi putabamus, vt ea notaret ſeu reprehenderet: Et ſane huic rei argumentum præbet, quòd nullum ibi ἀθετήσεως veſtigium exſtat, vt cœteroquin in ſimili apponere ſolet. Tandem, accuratior hæc Epitoma eo maximè, quod ea Photium auctorem habet: hominem ſœculi ſui vt doctiſſimum ita & κριτικώτατον: cuius elogium habet Nicetas Paphlago, *in vitâ B. Ignatij Patriarchæ*: vbi ait, eum σοφίᾳ κοσμικῇ καὶ συνέσει τῇ ἐν τῇ πολιτείᾳ

στρεφα-

στρεφομένων δοκιμώτατον habitum, omniúmque liberalium diſciplinarum externarum ſtudio cognitionéque adeò floruiſſe, vt non ſui tantum æui facile princeps haberetur, verum etiam cum veteribus iam componi poſſet: omnia quippe in illum confluxiſſe, aptitudinem quandam naturæque vim & felicitatem, opéſque quibus ſibi librorum omnium maximam copiam comparauerat: &, quod præ cunctis, gloriæ laudíſque cupido, quâ flagrans totas noctes, vt lectioni vacaret, inſomnes duxit. Accedat & Zonaræ elogium, vbi ἐν λόγοις ὀνομαστότατον vocat: vt & Cedreni, qui ἄνδρα ἐπὶ σοφίᾳ γνώριμον prædicat. Certe Myriobiblon eius ſeu Bibliotheca his omnibus fidem abunde facit: vbi de tot ſcriptoribus cognitionem ſibi ſumens, eóſque ad diſquiſitionem vocans, tam accuratè, tam acri ingenio, tam conſiderate, tam doctè, tam diſtinctè, tam liberè agit, vt argumentum cuiúſq; ediſſerat, ætatem obſeruet, ſtylíque characterem doctrinæque diſcernat, caſtiget, γνήσια & ψευδεπίγραφα diſtinguat, quid laude, quid imitatione, quid contra vituperatione dignum in ſingulis pronuntiet: inque excerptis ipſis iudicij ſui prærogatiuam expreſſam relinquat: deníque cenſuram ſcriptorum vbíque ſibi ſumat, non tantum cum id propalàm agere videtur, verùm & cùm nuda excerpta ex his conſignat. In hâc ſane Epitoma, vt eò nunc progrediatur oratio, perpetuam illam cenſuram ſeu κρίσιν exercuit. Eſt enim, vbi nuncupatis verbis quid iudicij ſui ſit expromit, nigrúmque adeò calculum apponit: Nempe enim, vel eos quorum Philoſtor-

gius cum laude fermè meminit notat, vel eas ſententias actúſque quæ idem memorat, expreſsè ex ſuo ſenſu vnicâ ſæpè voce damnat, impietatis, & hæreſcos, his ferme verbis, ἀσεβείας, αἱρετικῆς, παρανόμου, συναιρεσιώτου: Contra à Philoſtorgio improbatos honorifica mentione appellationéque, veluti θεῖον, decorat: Vel Philoſtorgij ipſiuſmet fidē in dubium reuocat: ita, ὡς λέγει vt *lib.4.c.7.11.12. pag.73: lib.11.cap.3. in fin. lib.12.cap.2*: vel, οὐκ οἶδ' ὅθεν λαβών, *lib.8.cap.11*: vel nuncupatim falſi calumniæque dicam ei paſſim irrogat: vnde eum vocat δυσσεβῆ, *lib.1.cap.2.3: lib.2. cap.6: lib.3. cap.5.* & *21: lib.4. cap.10.p.70. in med: lib.5.cap.2: lib. 6. cap.2: lib.7. cap.2: lib.8. cap.9.10*: & *lib.11. cap.2. in fin*: ἄκρον δυσσεβῆ, *lib.8. cap.11*: δυσσεβὲς τοῦ ψεύδους ὄργανον, *lib.2.cap. 11*: φιλοψευδῆ, *lib.2 cap.1.* & *12. in fine*. τοῦ ψεύδους φίλον, *lib.2 cap.12.* κακοσέργιον, *lib.2 c.1.* & *12. in f.* θεομάχον, *lib.2 c.3.18.* Eundem ait, περιφανῶς καὶ ἀναιδῶς καταψεύδεσθαι, *lib.8 cap. 13*: τερατολογεῖν, *lib.2 cap.8: lib.3 c.15. pag.51.* & *c.16*: τερατεύεσθαι, *lib.2 cap.12. in f.* ληρεῖν. *lib.3 cap.15.p.50.* δυσφημεῖν, *lib.4.cap.10*: ψευδολογεῖν, *lib.5.cap.2.* De eodem hæc ſcribit, *lib.7.cap.12.* οὕτως αὐτῷ τὸ ψεῦδος ἐπὶ πολλῷ τῆς ἀληθείας τετίμηται: Et *lib.9.cap.1*: καὶ ταῦτα κατὰ τὸ ἀπιθανώτατον ἀναπλάττοντι οὐδεμία παρῆν αἴσθησις τῆς ἀτοπίας διακηρύζουσα. In tantum, vt & alicubi cauſam apertè prodat falſi ſeu calumniæ à Philoſtorgio admiſſæ, *lib.10. cap.5.* vbi de calumniis in Gratianum: οὐ γὰρ ἤρκεσεν αὐτῷ, ὡς ἔοικε, τὸ ἐκείνου πίστεως τὸ ὀρθόδοξον. Eſt verò vbi diſcrepantiam tantum aliquam à cœteris ſcriptoribus in Philoſtorgio notat: veluti, *lib.7.cap.8.pag.94.* in argumento de Babylæ reliquiis, templíque Daphnenſis conflagratione:

tione: Item *lib.7. cap.vlt.* circa extrema Iuliani Apoſtatæ, vbi Philoſtorgius dixerat, Iulianum ſanguinem ad ſolem iactaſſe, Photius ſubjicit, pleróſque hiſtoricorum ſcribere, iactaſſe eum ad Saluatorem noſtrum: Rurſum, *lib. 11. cap.6. in f,* vbi cauſas alias ademptæ dignitatis Eutropio, exiliique tandem & mortis ei irrogatæ ab aliis ſcriptoribus narrari tradit, quam quas Philoſtorgius memorat: Et *lib.12. cap.1,* vbi de Stilichone & de Olympio agit. Eſt contra, vbi concentum eius cum aliis ſcriptoribus notat, eumque etiam, καὶ αὐτὸν συνομολογεῖν, καὶ φαίας obſeruat: vt *lib.1.cap.1.& c.9: lib.10.cap.6.* Quinimò & cœtera quoque Philoſtorgij loca ſeu ſententias & παραγραφαὶ, in quibus expreſſam iudicij ſui notam Photius non appoſuit, tacitè tamen vel excerpendo notari voluit, notauítque: illud enim indicatum voluit, ea quę ex tam ingenti ſyluâ defloraret, vel ſingularia prorſus eſſe, vel incredunda, vel ad ſuum perpetuò ſcopum à Philoſtorgio aptata, vel denique à ſuorum, Photij ſcilicet, temporum diſciplina aliena, vel contra ad ſui æui vſum fidémque proxima. Vnde iam patet, Primùm, quantâ eruditione, quo apparatu inſtructum, quàm ab aliorum ſcriptorum lectione munitum fuiſſe oporteat Photium, quantopere proinde ad manum atq; in parato is habuerit omnia, quibus à Philoſtorgio dicta ſcriptáque ad veritatem ſtatim exigeret, cúmq; aliis componeret (etſi alicubi μνημονικὸν ἁμάρτημα in Photio deprehendere mihi videor, *lib.12. cap.1.* vbi de Olympiodoro.)

Secundò inde liquet, quo quantóque iudicio atque

adcò fine inſtitutóque, Photius Epitomen hanc confecerit; Nempe, vt monitis ſuis excerptíſque καθ' ἕκαστα moneret alios, quid in Philoſtorgio notandum fugiendúmque haberent, & ſic vt Lectorem in Philoſtorgij lectione quaſi manu duceret, ne alioquin incautis vitia culpæve ſcriptoris obreperent, quibus ideò hanc velut ἀθίμιον, imò antidotum, in tempore opponendum putauit. Vt proinde hæ iam non è Philoſtorgio magis eclogæ, quam Photij ſimul κρίσεις ſint: eâque re, non vnus nunc Philoſtorgius hoc opere prodeat, verùm geminus exeat, Philoſtorgius Photiuſque. Idque adeò inter legendum animo præſumptum fixúmque Lectori ſemper eſſe oportet, vti Philoſtorgium modò, modò Photium loquentem audire ſeſe hic meminerit: illum quidem narrantem quæ vult, iſtum vero notantem cenſentemque. Et hæc quoque de Photio eiúſque Epitomâ Philoſtorgiana dicta ſint.

IV. Nunc de NICEPHORO Calliſti dicendum aliquid eſt, qui è Philoſtorgio plurima habet, quémque nos in Diſſertationibus noſtris cum his Eclogis ſubinde componimus: quíque tandem, vt quidem ipſe cenſeo, non integro Philoſtorgio vſus, verùm hac ipſâ tantum Photij epitomâ. De eo igitur notandum, cùm Philoſtorgij ter tantum in hiſtoria ſua diſertè meminerit, *præfatione* primùm *operis ſui*, dein & *lib.9 cap.19*: & *lib.12. cap.19. ipſo*, innumeris tamen præterea locis Philoſtorgiana vſurpare totis libris ſeptem, puta *lib.* 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14: ſic quidem, vt diſſimulato Philoſtorgij nomine ea tanquam

quam

quam de ſuo narrationibus intexat, quod frequentiſſimè facit: vel ad auctores ſuos in genere, diſſimulato Philoſtorgij, quaſi haud ſatis idoneo, nomine referat: his fermè formulis: Εἰσὶ δὲ οἱ φασὶ, *lib.8. c.5. pag.539*, vbi exſcribit ea quæ in hac Epitoma continentur *lib. 1. cap. 2*: Καὶ γὰρ φασὶ, *lib. 11. cap. 1.* quæ habet ex *lib. 7. cap. 7*: λόγος διατεθρύλληται, *lib. 8. cap 31. pag. 600*, vbi refert ea quæ hîc habentur, *lib. 2. cap. 14*: φασὶν, *lib. 8. cap. 31. in fin.* ex *lib. 3. cap. 15*: & *l.b. 8. cap. 35.* vbi memorat ea quæ hîc narrantur *lib. 3. cap. 4*: & *lib. 13. c. 1*, vbi apponit ea quæ hîc leguntur, *lib. 12. cap. 9*: Item, λόγος ἐστὶ, *lib. 10. cap. 13.* ex *lib. 7. cap. 4*: λόγος ἔχει, *lib. 13. cap. 1. in fin.* vbi habentur quæ hîc exſtant, *lib. 12. cap. 5*: vel deníque, ἐν ἀπορρήτοις ſeſe reperiſſe ſcribit *lib. 10. cap. 33*, quod hic habetur, *lib. 7. cap. 14*. Primum igitur hoc Nicephori facinus eſt, quod cùm Philoſtorgiana multa habeat, pauciſſima tamen ad Philoſtorgium auctorem referat: vnde fit, vt ea hodie pro meris Nicephorianis ambulent, quæ tamen Philoſtorgiana reuerà ſunt. Atquin in Hiſtoriâ illud noſſe plurimùm intereſt, vnde quidque promptum, & à quo proditum ſit: vt ita de fide dictorum certius melius conſtare poſſit: quando & hac parte teſtibus magis teſtiúmque fide quàm teſtimoniis veritas hiſtorica innititur: quorum nomina, ſtudiúmque vel inſtitutum aut ſœculum ſi Lector neſciat, vt iam ante præfati ſumus, in alia omnia atque abrupta fabuláſque eum trahi facile, iudiciúmque eius turbari neceſſe eſt. Alterum Nicephori facinus eſt, quod non mera ſemper Philoſtorgiana exhibet, verùm ea interpo-

lata plurimum : multa quippe his aliunde de ſuo interiungit, multa contrahit, plurima omittit, idque pro ſui etiam æui vſu moréque ; veluti in argumento de cultu Imaginum: præpoſtero etiam ordine multa inde narrat. Imò eſt & vbi in contrarium planè ſenſum à Philoſtorgio dicta detorquet : veluti , *lib.9. cap.16* , vbi Euſtathio Epiſcopo Antiocheno aptat, quæ Philoſtorgius de Leontio ſcripſerat, nempe quod is, τῶν ἱερῶν τῆς Ἀντιοχείας φροντίδων, μᾶλλον ἢ τῆς ὅλης δυσσεβείας οὐδὲν ἠνείχετο τοῖς καιροῖς συγκαταπλάσσεσθαι. Vnde iam ſcire poſſumus , quanta fides habenda ſit *Miſcellionibus* huiuſmodi ſequioris æui ſcriptoribus, qui ętate ſuperiores tā variè interpolare, ſuúmq; ad ſenſum inflectere ſolēt: proficiente maximè, circa hęc in dies mutandi mentiendíq; libidine, per quæ profectò, atque huiuſmodi alia, priſca fides, canaque veritas plurimùm hodie laborare deprehenditur. Quibus adde , quod iſti dùm è diuerſæ ſectæ familiæque ſeu hæreſeos centonibus ſcripta ſua ſuffarcinant, multa ἀσύστατα intérque ſe pugnantia referant neceſſe eſt , quod in eodem quoque Nicephoro deprehendas: parí fermè fato, quo Iuriſprudentia Iuſtinianea è diuerſæ ſcholæ ſectęque Iuriſconſultis ſententiíſque conflata, ſibi ipſi ſæpe diſſidere ἀσπόνδῳ πολέμῳ noſcitur. Tandem & illud in Nicephoro obſeruo, eum Philoſtorgij dictionem ſublimem & amœnam comptámque non vno loco fregiſſe , dùm lucidiorem quæſitis communibus & vulgariis vocabulis formuliſque reddere adnititur. Quæ cùm ita ſint , apparebit deinceps , Nicephoro laruam nos hoc opere detractū iuiſſe,

qui

qui tot hactenùs Philoſtorgiana tã variè in ius nomén-que ſuum tranſtulit deriuauítque. Imò apparebit, non Philoſtorgio tantum Photióque, verùm etiam Nicephoro ipſi lucem hîc intuliſſe nos: illi tanquam auctori, ſecundo velut Cenſori, poſtremo velut interpolatori, atque ita vno labore abſoluiſſe nos ærumnas tres. Idque omne rurſum, ad Eccleſiaſticam ciuilémque quatuor à Chriſto nato ſæculorum hiſtoriam, eorúmque illuſtrationem: Quarti videl. quintíque ex parte, quorum hiſtoriam Philoſtorgius habet: noni, quo Photius eam recenſuit: Decimitertij, quo Nicephorus vtrúmque ad ſuum ſæpè ſenſum inflexit. Poſtremum id ex hâc Philoſtorgianâ hiſtoriâ à me nunc edita cõſequemur, vt cùm *Tripartita* hactenus è Socrate, Theodorito, Sozomeno harmonica hiſtorica ſeu collatio, ab Epiphanij Caſſiodoríve manu extet, *Quadripartita* deinceps inſtitui poſſit, addita videl. ad tres ſuperiores Philoſtorgij collatione.

V. De hâc *Editione* noſtrâ ſupereſt aliquid addamus, imo & pro illa. Eſt igitur, cuius cauſa te, CANDIDE LECTOR, extrema hac arena exoratum velim, ob admiſſa inquam compluria in hac propera neque vbique proſpera editione. Noui ipſe, quàm in multis contextus ipſe inemendatus exeat, quàm multa quoque deſiderari poſſint in prima hac Interpretatione, quot denique mendæ vbique irrepſerint: Verùm & mihi & Typographo veniam ſperare licet, non vnâ ratione: Ipſa primùm ſcripti huiuſce ratio id ſperare iubent. Notum iis, qui in Manuſcriptis verſan-

k

14. Ait, Lucianum martyrem cùm moriturus eſſet, viſque Tyrannica neque templi neque altaris copiam faceret, imò ne moueri quidem vincula plagæque permitterent, in proprium pectus cubantem tremendum ita ſacrificium peregiſſe, ipſumque participaſſe & vt alij incõtaminato ſacrificio participarent mandaſſe: Peractum verò hoc ſacrum miniſterium in carcere, circumſtantè eum in orbem ſacro cœtu tanquam iam morientem, Eccleſiæ ſpeciem ita ſimul & munimentum eo præbente, ne ea quæ à piis peragebantur viderentur.

de Luciani diſcipulis.

15. Huiuſce martyris multos quidem & alios diſcipulos deſignat, quibus & Euſebium Nicomediæ & Marin Chalcedonis & Theognin Niceæ accenſet, & Leontium alterum qui Epiſcopus Antiochenus extitit, & Antonium Tarſi Ciliciæ & Menophantum & Noominium

τυρικὸν θάνατον ὑπὸ δελφῖνος ἐκκομισθείς.

14. Ὅτι τὸν μάρτυρα Λουκιανὸν φησὶ μέλλοντα τελευτᾶν, καὶ μήτε ναὸν μήτε θυσιαστήριον τῆς τυραννικῆς βίας παρεχούσης, ἀλλὰ μηδὲ ἀντικινεῖσθαι τῶν δεσμῶν καὶ πληγῶν συγχωρούντων, ἐν τῷ οἰκείῳ στέρνῳ ἀνακείμενον τὴν φρικτὴν θυσίαν τελεσάμενον, οὕτω τε αὐτὸν μετασχεῖν, καὶ τοὺς ἄλλους μεταλαβεῖν τοῦ ἀχράντου θύματος ἐπιτρέψαι· ἐτελέσθη δὲ ἡ ἱερουργία ἐν τῇ εἱρκτῇ, τοῦ κυκλώσαντος αὐτὸν ἱεροῦ χοροῦ ὡς ἤδη ἀποβιοῦντα, ἐκκλησίας σχῆμα καὶ ἀσφάλειαν τοῦ μὴ καθορᾶσθαι τὰ δρώμενα παρὰ τῶν δυσσεβούντων ἀναπληροῦντος.

15. Ὅτι τούτου τοῦ μάρτυρος πολλοὺς μὲν καὶ ἄλλους μαθητὰς ἀναγράφει, οἷς καὶ Εὐσέβιον τὸν Νικομηδείας, καὶ Μάριν τὸν Χαλκηδόνος, καὶ τὸν Νικαίας Θέογνιν συντάττει· καὶ Λεόντιον τὸν ὕστερον γεγονότα τῆς Ἀντιοχείας ἐπίσκοπον, καὶ Ἀντώνιον τὸν Ταρσοῦ τῆς Κιλικίας καὶ Μηνόφαντον καὶ Νοομήνιον

καὶ Εὐ-

καὶ Εὐδόξιον, οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ Ἀλέξανδρον καὶ Ἀστέριον τὸν Καππαδοκίας, οὓς καὶ ἑλληνίσαι φησὶ ἐνδόντας τῇ τῶν τυράννων βίᾳ, ὕστερον δὲ ἀνακαλέσασθαι τὴν ἧτταν, συλλαβομένου αὐτοῖς πρὸς τὴν μετάνοιαν τοῦ διδασκάλου.

16. Ὅτι τῶν εἰρημένων Ἀντώνιον μὲν καὶ Λεόντιον, ἀπαράτρωτον τὴν ἀσέβειαν διασώσασθαι λέγει, Εὐσέβιον δὲ καὶ Μάριν καὶ Θέογνιν, συναπαχθῆναι μὲν τῇ κατὰ Νίκαιαν συνόδῳ, ἀνενεχθῆναι δὲ τῆς μεταβολῆς· τὸν δὲ Μάριν ἐκεῖθεν ἀνενεχθέντα, εἰς ἑτέραν αὖθις κατολισθῆσαι ἀτοπίαν, καὶ δὴ καὶ τὸν Θέογνιν, ὃς τὸν Θεὸν καὶ πρὸ τοῦ γεννῆσαι τὸν υἱὸν πατέρα οἴεται, ἅτε δὴ τὴν δύναμιν ἔχοντα τοῦ γεννῆσαι, ἀλλὰ δὴ καὶ τὸν Ἀστέριον παρατρέψαι τὸ φρόνημα, ἀπαράλλακτον εἰκόνα τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας εἶναι τὸν υἱὸν ἐν τοῖς αὐτοῦ λόγοις καὶ γράμμασι διαμεμαρτυρημένης.

A.D. 337. 17. Ὅτι τὸ τριακοστὸν δεύτερον ἔτος ἐπιβαίνοντος τῆς βασιλείας αὐτοῦ Κωνσταντίνου ἐν

& Eudoxium; ſed & Alexãdrum & Aſterium Cappadociæ, quos etiam ait, cedentes tyrannorum vi Gentiles factos, poſtea tamen lapſum emendaſſe, Magiſtro eos ad pœnitentiam adducente.

de Luciani diſcipulis.

16. Ait, ex ſupradictis Antonium quidem & Leontium illibatam pietatem ſeruaſſe, atenim Euſebium, Marin & Theognin ad Synodum Nicænam abreptos, reuerſos verò ad frugem: Marin verò indo reuerſum ad aliam rurſum ineptam ſententiam prolapſum vt & Theognin, qui *Deum, antequam Filium generaret Patrem fuiſſe* exiſtimauit, *vt pote vim habentem generandi*: Sed & Aſterium ſententiam in peius mutaſſe, docuiſſe quippe & orationibus & ſcriptis ſuis, *Quòd Filius* ἀπαράλλακτος εἰκὼν *ſit ſubſtantiæ Patris.*

de Conſtantini M. obitu, eiuſq; Teſtamento.

17. Scribit, Conſtantinum egreſſum triceſimum ſecundum Imperij ſui an-

num, Nicomediæ veneno à fratribus interfectum: Fini verò proximum, & inſidias ſentientem teſtamenti tabulas ſcripſiſſe quibus vindictam de interfectoribus depoſcebat, iuſſiſſeque, *uti eam ſumeret qui primus è liberis venturus eſſet:* Iuſſiſſe verò, ne fortè & illi ſimile quid ab iiſdem paterentur, teſtamenti tabulas Euſebio Nicomedienſi tradi: Hunc verò præuidentem, ne Imperatoris fratres eas tabulas olim quærerent quæque iis ſcripta erant diſcerent, tabulas mortui manui indidiſſe, panniſque obuoluiſſe: cùm verò illi quæſiuiſſent, reſpondiſſe, *Accepiſſe quidem ſeſe, verùm* affirmaſſe *reddidiſſe ſeſe rurſum eas in manus:* Exinde ſublatas poſtea tabulas Conſtantio filio eius tradidiſſe, qui ante alios primus aduenit: Eum verò haud multo poſt, ſecundum mandata patris, egiſſe.

18. Hic etiam Dei ini-

Νικομηδείᾳ φαρμάκοις ὑπὸ τῶν ἀδελφῶν τεθνάναι γράφει· ἐγγὺς δὲ τοῦ τέλους γεγονότα καὶ αἰσθόμενον τῆς ἐπιβουλῆς, διαθήκας τε γράψαι, τιμωρίαν ἀπαιτούσας τοὺς ἀνελόντας, καὶ ταύτην εἰσπράξασθαι ὃν προκαταλαβόντα τῶν παίδων· κελεῦσαι δὲ, εἰ τοῦ μή τι κἀκείνοις ὑπ' αὐτῶν ὅμοιον ὑποστῆναι, δοῦναί τε τὰς διαθήκας Εὐσεβίῳ τῷ Νικομηδείας· ὃν δὲ ὑφορώμενον τοὺς τοῦ βασιλέως ἀδελφοὺς μή ποτε ζητήσαιεν αὐτὰς, καὶ ἀναμαθεῖν τὰ γεγραμμένα βουληθεῖεν, ἐνθεῖναι τῇ χειρὶ τοῦ νεκροῦ τὸ βιβλίον, καὶ περιβαλοῦσαι τοῖς ἱματίοις. ἐπιζητησάντων δὲ ὡς ἐπενόει λαβεῖν μὲν φάναι, αὐτίκα παραδοῦναι δὲ πάλιν εἰς χεῖρας ὁμολογῆσαι· εἶτα μετὰ ταῦτα ἀνελόμενον, Κωνσταντίῳ τῷ αὐτοῦ παιδὶ ἐγχειρίσαι τὸ γράμμα προφθάσαντι τοὺς ἄλλους· ὃν δὲ μετ' οὐ πολὺ κατὰ τὰ προστάγματα τοῦ πατρὸς διαπράξασθαι.

19. Οὗτος ὁ Θεομάχος, καὶ τὸν Κων-

τὴν Κωνσταντίνου εἰκόνα τὴν ἐπὶ τοῦ πορφυροῦ κίονος ἱσταμένην, θυσίαις τε ἱλάσκεσθαι· καὶ λυχνοκαΐαις καὶ θυμιάμασι τιμᾶν, καὶ εὐχὰς προσάγειν ὡς Θεῷ, καὶ ἀποτροπαίους ἱκετηρίας τῶν δεινῶν ἐπιτελεῖν τοὺς χριστιανοὺς κατηγορεῖν.

micus Chriſtianos accuſat, quaſi *Conſtantini imaginem* in porphyreticâ columnâ ſtantem ſacrificiis propitiarent, lucernis & incenſis colerent, preceſque velut Deo allegarent, & auerruncatorias malorum ſupplicationes peragerent. *de Imagine Con. ſtantini M. einſque cultu.*

A.D. 338. 19. Ὅτι τελευτήσαντος τοῦ μεγάλου φησὶ, καὶ τῶν πανταχόθι μεθορίαις ταλαιπωρουμένων ἄδειαν ἀνακλήσεως εἰληφότων, καὶ Ἀθανάσιόν φησι ἐκ τῶν Γαλλιῶν εἰς τὴν Ἀλεξάνδρειαν παραγεγονότα, ἐπεὶ Γρηγόριον ἐμεμαθήκει τετελευτηκότα, ὡς εἶχεν εὐθὺς ἀπὸ τῆς νέας εἰς τὴν ἐκκλησίαν χωρῆσαι, καὶ τὸν θρόνον ἀναλαβεῖν, μηδένα λόγον τῶν ἀποκηρυξάντων αὐτὸν πεποιηκότα.

19. Ait, mortuo Cõſtantino] Magno & omnibus vbique qui exiliis adflictabantur redeundi poteſtate factâ, Athanaſium quoque ex Galliâ Alexandriam reuerſum; atque vbi Gregorium didicit mortuum, ſtatim vt potuit, denuò in Eccleſiam progreſſum ſedem recepiſſe, nullâ eorum qui eum depoſuerant ratione habitâ. *de Athanaſij è Gallia reditu poſt Conſtantini M. obitum.*

Ἐκ τῆς τρίτης ἱστορίας.

A.D. 340. A, no & Proculo Coſs.

ΟΤι Κώνσταντά φησιν, ὃ τὸν πρεσβύτερον τῶν Κωνσταντίνου

Ex libro TERTIO.

AIT, Conſtantem, qui natu maximus inter Conſtantini fi- *de Conſtantini iun. cæde.*

lios erat, Conſtantino fratri inſidias ſtruxiſſe, huncque pugna cum Ducibus eius commiſsâ interfectũ, & portionem Imperij ipſius Conſtantis portioni acceſſiſſe.

de Conſtantij laudibus Eccleſiis *ab eo exci-tatis Conſtantinopoli, & Reliquiis ab eo tranſlatis.*

2. Conſtantium laudibus effert, eumque ait, Eccleſiam Conſtantinopoli excitaſſe quę & eſt & dicitur *Magna*; ſed & Andream Apoſtolum ex Achaia tranſtuliſſe in Templum quod is ædificauit, commune Apoſtolorum nomen ferens, ad quod & patris ſepulchrum excitauit: Sed & Lucam Euangeliſtam ex eadem Achaia tranſlatum in idem Templum tranſtuliſſe: Quin & Timotheum Apoſtolum ſimiliter ex Epheſo Ioniæ in eodem illuſtri & venerabili templo depoſuiſſe.

de altero Athanaſij exilio, & Georgio ei ſufſecto.

3. Narrat, quomodo Conſtantius cùm comperiſſet, Athanaſium Alexandrinam ſedem recepiſſe,

παίδων, ἐπιβουλεῦσαι τῷ ἀδελφῷ Κωνσταντίνῳ· καὶ μάχῃ τοῖς στρατηγοῖς αὐτοῦ συῤῥαγέντα διαφθαρῆναί τε, καὶ τὴν μοῖραν τῆς ὑπ' αὐτὸν ἀρχῆς εἰς τὴν Κώνσταντος ἀνακοινωθῆναι.

2. Ὅτι Κωνστάντιον δι' ἐπαίνων ἄγει, καὶ τὴν ἐκκλησίαν φησὶν αὐτὸν δομήσασθαι τὴν ἐν Κωνσταντίνου πόλει, καὶ οὖσαν καὶ καλουμένην μεγάλην· καὶ δὴ καὶ Ἀνδρέαν τὸν ἀπόστολον ἐκ τῆς Ἀχαΐας μετακομίσαι ἐπὶ τὸν ναὸν ὃν αὐτὸς ἐξῳκοδομήσατο, τὸ κοινὸν τῶν ἀποστόλων ἐπιφερόμενον ὄνομα. οὗ πλησίον καὶ τὸν πατρῷον τάφον ἱδρύσασθαι· καὶ δὴ καὶ Λουκᾶν τὸν εὐαγγελιστὴν ἐκ τῆς αὐτῆς Ἀχαΐας ἀποφερόμενον, ὄνομα οὗ καὶ * τὸν, εἰς τὸ αὐτὸ μετενεγκεῖν τέμενος, ἀλλὰ καὶ Τιμόθεον τὸν ἀπόστολον ὡσαύτως ἐξ Ἐφέσου τῆς Ἰωνίας, εἰς τὸν αὐτὸν ἀνακομίσαι περιώνυμον καὶ σεβάσμιον οἶκον. A.D. 341.

* *Hac, ὄνομα οὗ καὶ τὸν vel ſpuria, vel corruptiſſima ſunt*

3. Ὅτι φησὶν ὡς ὁ Κωνστάντιος γνοὺς Ἀθανάσιον τὸν Ἀλεξανδρείας θρόνον ἀναλαβεῖν, ἐκεῖνον A.D. 342.

μὲν ἐλαύ-

μὲν ἐλαύνει τῆς Ἀλεξανδρείας, ἀντιχειροτονηθῆναι δὲ γνώμην ἀποφαίνει Γεώργιον τὸν ἐκ Καππαδοκίας· ὁ δὲ Ἀθανάσιος δείσας καὶ τὰς ἀπειλὰς καὶ τὸν ἐξ ἐπιβουλῆς θάνατον, πρὸς τὸν ἑσπέριον ἀφικνεῖται πάλιν βασιλέα.

A.D. 342.

4. Ὅτι Κωνστάντιόν φησι διαπρεσβεύσασθαι πρὸς τοὺς πάλαι μὲν Σαβαίους, νῦν δὲ Ὁμηρίτας, καλουμένους. Ἔστι δὲ τὸ ἔθνος τῶν ἐκ Χεττούρας τῷ Ἀβραὰμ γεναμένων· τὴν δὲ χώραν μεγάλην τε Ἀραβίαν καλεῖσθαι καὶ εὐδαίμονα πρὸς τῶν Ἑλλήνων· καθήκειν δὲ ἐπὶ τὸν ἐξώτατον ὠκεανόν, ἧς μητρόπολις ἡ Σαβα· δι' ἧς καὶ ἡ βασιλὶς τὸν* Σολομῶντα παραγεγόνει ἐκπερίτομον δὲ τὸ ἔθνος, κατὰ τὴν ὀγδόην περιτεμνόμενον ἡμέραν, καὶ θύουσιν ἡλίῳ καὶ σελήνῃ καὶ δαίμοσιν ἐπιχωρίοις· οὐκ ὀλίγον δὲ πλῆθος καὶ Ἰουδαίων αὐτοῖς ἀναπέφυρται. Πρὸς τούτους οὖν διαπρεσβεύεται Κωνστάντιος, ἐπὶ τὴν εὐσέβειαν σκοπὸν ποιούμενος αὐτοὺς μεταθέσθαι· δώροις τε οὖν μεγαλοπρεπέσι καὶ πλήθει, τὸν

* κατ'

eum quidem Alexandriâ expulerit, iuſſerit verò eius loco Georgiū ex Cappadociâ ordinari: Athanaſium inde, minas, & ex inſidiis mortem veritum ad Occidentis Imperatorem rurſum profectum.

4. Ait, Conſtantium Legationem miſiſſe ad eos qui olim quidem *Sabæi*, nunc verò *Homeritæ* vocantur. Eſt autem gēs ea ex iis qui è Chettura Abrahami orti ſunt: regionem verò *Arabiam Magnam & Felicem* à Græcis vocari, ſitamque eam ad extimum Oceanum, cuius metropolis Saba, cuius Regina ad Solomonem acceſſit: Circumciſam verò eam gentem eſſe, quod quidem octauo die fiat, & ſacrificare Soli & Lunæ, & indigenis dæmonibus: Haud paruum quoque numerum Iudæorum his immixtum. ¶ Ad hos igitur Legationem miſit Conſtantius, eo fine vt ad pietatem eos traducerent: Quare donis magnificis & numeroſis eum qui

de Homeritis & Legatione ad eos miſſa à Conſtantio, fideq; Chriſtiana ab his ſuſcepta, Eccleſiiſque ædificatis, deq; Theophilo Indo.

genti præerat conciliare in animum induxit, & exinde iam pietatis ſemina locum inuentura ſibi perſuaſit: Obtulit & ſumptus ad Eccleſias iis qui ibi ex Romanis conſiſtebant excitandas, & ſi quid aliud indigenas ad pietatem traducere poſſet: Dedit etiam Legatis ſumptus quos ferrent promptis animis ad ædificia. ¶Huius verò Legationis princeps erat & Theophilus Indus, qui olim quidem Conſtantino Magno imperante, ætate iuuenis admodum per obſidatum à Diuenis ad Romanos miſſus fuerat (*Diuus* inſula eorum regio eſt, Indorum verò & hi cognomen ferunt) Theophilum hunc ait, cùm haud paruo tempore inter Romanos vixiſſet, mores quoque ad ſummã virtutis effigiem illſe & ſententiam ad pietatem & cœlibem vitam conuertiſſe, ſed & ad Diaconi gradum promotum Euſebio ſacras ei manus imponente. Verùm hæc quidē

καθηγούμενον τοῦ ἔθνους οἰκειώσασθαι διενοεῖτο· κἀκεῖθεν αὐτοῦ καὶ τὰ τῆς εὐσεβείας σπέρματα χώραν εὑρεῖν ἐναποτίθεσθαι. Ἀξιοῖ δὲ καὶ παρασχεῖν ἐκκλησίας τοῖς ἐκεῖσε τῶν Ῥωμαίων ἀφικνουμένοις ἀνοικοδομήσασθαι, καὶ εἴ τινες τῶν αὐτοχθόνων ἐπὶ τὴν εὐσέβειαν ἐπικλίνοιεν. ἐδίδου δὲ καὶ φέρειν φιλοτίμως τοὺς πρέσβεις, καὶ τῆς οἰκοδομῆς τὸ ἀνάλωμα. Ταύτης τῆς πρεσβείας ἐν τοῖς πρώτοις ἦν καὶ Θεόφιλος ὁ Ἰνδός, ὃς πάλαι μὲν Κωνσταντίνου τοῦ πάλαι βασιλεύοντος ἔτι τὴν ἡλικίαν νεώτατος, καθ' ὁμηρείαν πρὸς τῶν Διβεωνῶν κομιζομένους, εἰς Ῥωμαίους ἐστάλη, Δίβους δ' ἐστὶν αὐτοῖς ἡ νῆσος χώρα, τῶν Ἰνδῶν δὲ καὶ οὗτοι φέρουσι τὸ ἐπώνυμον. Τὸν μέντοι Θεόφιλον, οὐκ ὀλίγον Ῥωμαίοις ἐνδιατρίψαντα χρόνον, τά τε ἤθη εἰς τὸ ἀκρότατον πρὸς ἀρετὴν ῥυθμίσαι, καὶ τὴν δόξαν πρὸς εὐσέβειαν καὶ τὸν μονάλιον αἱρεῖσθαι βίον· καὶ δὴ καὶ εἰς βαθμὸν διακόνων [illegible], Εὐσεβίου τὰς ἱερουργοὺς αὐτῷ χεῖρας ἐπιθεμένου. ἀλλὰ ταῦτα μὲν πρό-

προέτρεπεν· τὴν δὲ πρεσβείαν ὑπελθόντα καὶ Ἐφόρου λαβεῖν παρὰ τῶν ὁμοδόξων ἀξίωμα. Ὁ μὲν οὖν Κωνστάντιος μεγαλοπρεπῶς τε εἰς τὸ κάλλιστα κεκοσμημένην τὴν πρεσβείαν στέλλων, καὶ ἵππους εἰς διακοσίους τῶν ἐκ Καππαδοκίας εὐγενεστάτων ἱππαγωγοῖς πλοίοις κομιζομένους, καὶ πολλὰς ἄλλας δωρεὰς εἰς τὸ πολυτελέστατον θαῦμα παρέχειν, καὶ θελκτηρίους συνεξέπεμψε. Καταλαβὼν δὲ τοὺς Σαβέους ὁ Θεόφιλος, πείθειν ἐπεχείρει τὸν ἐθνάρχην, Χριστὸν τε σέβειν εἰδέναι, καὶ τῆς ἑλληνικῆς πλάνης ἀποστῆναι. ἡ δὲ τῶν Ἰουδαίων οἰκεία ἐπίνοια τοῦ Θεοφίλου παραδόξοις ἔργοις καὶ ἅπαξ τε δὶς τὴν εἰς Χριστὸν πίστιν ἄμαχον ἐπιδειξαμένου εἰς σιγὴν μετὰ βαθείας, καὶ ἄκοντι ἀντιλέγων κατέδυ. τὰ δὲ τῆς πρεσβείας τὸ πέρας ἐδέχετο, καθαρευούσης γνώμης τοῦ τὴν ἀρχὴν ἔχοντος τοῦ ἔθνους πρὸς τὴν εὐσέβειαν ἀποκλίναντος· καὶ τρεῖς οὐ μὴν ἐκκλησίας ἀνὰ τὴν χώραν ἀναστήσαντος, οὐκ ἐξ ὧν ὁ πρέσβυς ἔφερε βασι-

prius: At enim Legatione ſuſceptâ, Ephori quoque dignitatem ab homodoxis accepiſſe. ¶ Conſtantius igitur magnificè & pulcherrimè ornatam Legationem mittens, ducentos quoque equos ex nobiliſſimis Cappadocibus, hippagogis nauigiis vectos, multaque alia dona, quæ prætioſiſſimum ſpectaculum præberent & illecebroſa ſimul miſit. ¶ Theophilus, cùm ad Sabęos perueniſſet, gentis Præfecto perſuadere conatus eſt, vti Chriſtum colere vellet, atque ab errore Gentilitio recederet: Judæorũ verò familiaris obſtinatio, miraculoſis Theophili operibus, haud ſemel inuictam in Chriſtum fidem teſtantibus, profundo ſilentio inuita & contradicens conquieuit. ¶ Legatio verò felicem exitum ſortita eſt, puritate videlicet fidei Gentis Præfecti qui ad pietatem conuerſus fuit, treſque inſuper Eccleſias in regione excitauit, non quidem ex ſumptibus Im-

peratoriis quos Legati attulerant, verum ex iis quos ipſe de domo ſuoque alacriter ſuppeditauit, & miraculis operum Theophili alacritatem correſpondentem teſtari ambiuit. ¶ Eccleſiarum porrò vnam in Metropoli ipsâ totius gentis quæ *Tapharon* vocatur, excitauit: ſecundam, vbi *Romanum emporium* erat extrorſum ad Oceanum poſitum, vocant verò regionem *Adanen*, quò iis quos ex Romanis venire contingit, appellere mos eſt. Tertiam verò ad alteram regionis partem, vbi *Perſicum emporium* noſcitur ad fauces Perſici maris quod ibi eſt, poſitum.

λικῶν ἀναλωμάτων, ἀλλ' ἐξ ὧν αὐτὸς ἐκεῖνος προθύμως οἴκοθεν ἐχορήγει· καὶ τῷ θαύματι τῶν Θεοφίλου ἔργων, ἐνάμιλλον παρέχειν ἐφιλοτιμεῖτο τὸ πρόθυμον. Τῶν δὲ ἐκκλησιῶν μίαν μὲν ἐν αὐτῇ τῇ μητροπόλει τοῦ παντὸς ἔθνους Τάφαροι ὀνομαζομένῃ καθιδρύσατο· ἑτέραν δὲ ἐν ᾧ τὸ Ῥωμαικὸν ἐμπόριον ἐτύγχανεν, ἔξω πρὸς τὸν ὠκεανὸν τετραμμένον, καλοῦσι δὲ τὸ χωρίον Ἀδάνην ἔνθα καὶ τοῖς ἐκ Ῥωμαίων ἐτύγχανεν ἀφικνουμένοις ἔθος ἦν καθορμίζεσθαι· τὴν δὲ τρίτην ἐπὶ θάτερον τῆς χώρας μέρος ἐν ᾧ Περσικὸν ἐμπόριον γνωρίζεται ἐπὶ τῷ στόματι τῆς ἐκεῖσε Περσικῆς κείμενον θαλάσσης.

de Diueis & Indis ad quos profectus Theophilus.

5. Theophilus autem, diſpoſitis apud Homeritas, in quantum potuit tempuſque dabat, rebus, Eccleſiiſque dedicatis, & ornamẽtis quibus potuit decoratis, ad *Diuu* inſulam (quam patriam ipſius fuiſſe ſuperior ſermo oſtendit.) Indeq; ad *aliam Indiam* profectus eſt,

Ὁ μὲν τοι Θεόφιλος τὰ ἐν τοῖς Ὁμηρίταις, ὡς ἕκαστα δυνατὸν ἦν, καὶ ὁ καιρὸς ἐδίδου, διαθεὶς, καὶ τὰς Ἐκκλησίας ἱερωσάμενος, καὶ κόσμοις οἷς ἦν δυνατὸν διακοσμήσας, ἐπὶ τὴν Λίβου* νῆσον, (ἣν αὐτοῦ πατρίδα προεδίδαξεν ὁ λόγος) ἀπέπλευσε κἀκεῖθεν εἰς τὴν ἄλλην ἀφίκετο Ἰνδικήν, * Δίβου

καὶ πολ-

καὶ πολλὰ τῶν παρ' αὐτοῖς οὐκ εὐαγῶς δρωμένων ἐπηνωρθώσαντο· καὶ γὰρ καθεζόμενοι τὴν εὐαγγελικὴν ἀναγνωσμάτων ἐποιοῦντο τὴν ἀκρόασιν, καὶ ἄλλα τινὰ ὧν μὴ θεῖος θεσμὸς ἐπιτάττει διεπράττοντο· ἀλλὰ ταῦθ' ἕκαστα πρὸς τὸ σεβάσμιον αὐτοῖς καὶ θεοφιλὲς μεταρρυθμίσας, καὶ τὸ τῆς ἐκκλησίας δόγμα ἐκρατύνατο· οὐ γὰρ ἐδέοντο, φησὶν ὁ δυσσεβὴς οὗτος, τῆς τὸ θεῖον σέβας διορθούσης ὑφηγήσεως, ἐξ ἀρχῆς ἀπαραχαράκτως τὸ ἑτερούσιον πρεσβευόμενοι.

6. Ἐκ δὲ ταύτης τῆς μεγάλης Ἀραβίας, εἰς τοὺς Αὐξουμίτας καλουμένους ἀπαίρει Αἰθίοπας, οἳ κατὰ τὰς πρώτας ὄχθας κατῴκηνται τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης, ἣν ὁ ταύτῃ ὠκεανὸς εἰσκολπιζόμενος ἐργάζεται πᾶσαν· ἡ μέν τοι ἐρυθρὰ ἐπὶ πλεῖστον μὴ κινουμένη, εἰς δύο τινὰς ἀπομερίζεται κόλπους· καὶ τὸ μὲν αὐτῆς ἐπ' Αἰγύπτου χώρας κλίσμα, καθ' ὃ τελευτᾷ, τὸ ἐπώνυμον φέρον, δι' οὗ πάλαι καὶ τὸ

multaque quæ apud eos haud rite fiebant emendauit: nam & ſedentes audiebant Lectiones Euangelicas, & alia quædam faciebant quæ lex diuina non præcipit: Verùm cùm hæc omnia ſingulaque ad religioſum Deoque placentem ritum direxiſſet, Eccleſiæ quoque dogma confirmauit: neque enim egebant, inquit impius hic, doctrinâ quâ cultus diuinus emendaretur: vt pote cùm ab initio incontaminati ἑτερούσιον profiterentur.

6. Ex hâc verò magna Arabia [Theophilus] ad eos Æthiopas qui *Auxumitæ* vocantur conceſſit, qui ad primas maris Rubri oras, quod integrum Oceanus in id ſeſe inſinuans efficit, ſiti ſunt: Rubrum ſcilicet mare vt plurimum immotum in duos ſinus quoſdam diuiditur, & vnus quidem Ægypti regionem verſus tendit, vbi nomen ſuum retinens, occidit, per quem etiam olim

de Auxumitis, & Theophili Indi apud eos geſtis deq; Theophili reditu.

Iſraëliticus populus Ægyptios fugiens ſicco pede aquas tranſiit. Altera verò pars Palæſtinam vergit, ad vrbem *Aeila*, quæ ſic ab antiquo vocatur. Ad hoc igitur mare Rubrum ad ſiniſtram exteriorem habitant *Auxumitæ*, qui ita vocantur à metropoli: *Auxumis* ſcilicet metropolis eorum eſt. Ante hos verò Auxumitas ad exteriorem Oceanum Orientem verſus ſiti habitant *Syri*, quam appellationem etiam apud illos ibi ferunt: Alexander nempe Macedo hos Syriâ pulſos eò colonos deduxit, qui & nunc quoque patriâ linguâ vtuntur: Nigri porrò hi omnes valde ſunt, vt pote cùm acuti Solis radii eos adurant: Apud hos gignitur & xylocaſſia maximè, & caſſia & caſſamum & cinnamomum; ſed & elephantorum multitudo. Ad hos autem Theophilus non peruenit, verùm ad Auxumitas profectus eſt, rebuſq;

Ἰσραηλιτικὸν φεύγοντες τοὺς Αἰγυπτίους ἀβρόχῳ τὸ ῥεῖθρον διεπεραιώθησαν ποδί. τὸ δὲ ἕτερον μέρος, ἐπὶ Παλαιστίνης ἔρχεται κατὰ πόλιν Αἄλα ἐκ παλαιοῦ καλουμένην. ἀμφὶ γὰρ ταύτης τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης, ἐν ἀριστερᾷ τὸ ἔξωθεν Αὐξουμῖται κατέχουσιν, ἀπὸ τῆς μητροπόλεως οὕτω κληθέντες· Αὔξουμις γὰρ αὐτοῖς ἡ μητρόπολις. πρὸ τούτων δὲ τῶν Αὐξουμιτῶν ἐπὶ τὰ ἐξωτάτω πρὸς ἀνατολὰς καθήκοντες ὠκεανὸν παροικοῦσιν οἱ Σύροι, ταύτην τὴν κλῆσιν καὶ παρὰ τοῖς ἐκεῖσε φέροντες· Ἀλέξανδρος γὰρ αὐτοὺς ὁ Μακεδὼν ἐκ τῆς Συρίας ἀναστήσας, ἐνταῦθα κατῴκισεν, οἳ καὶ νῦν ἔτι τῇ πατρῴᾳ φωνῇ κέχρηνται· μέλανες οὖν εἰσὶ δεινῶς ἅπαντες, ὀξείας αὐτοῖς τῆς ἀκτῖνος τοῦ ἡλίου καταπεμπομένης· παρὰ τούτοις ἥτε ξυλοκασία μάλιστα γίνεται, καὶ ἡ κασία, καὶ τὸ κάσαμον, καὶ τὸ κιννάμωμον, καὶ δὴ καὶ ἐλεφάντων πλῆθος. παρὰ μὲν τούτοις ὁ Θεόφιλος οὐκ ἀφίκετο· τοῖς Αὐξουμίταις δὲ παραγενόμενος, καὶ τὰ ἐκεῖσε καταστη-

καταστησάμενος τὰ ἐπὶ Ῥωμαίους ἀνακωχιμωδὴς εἶχεν· πολλῆς δὲ τῆς τιμῆς παρὰ τοῦ βασιλέως μετὰ τὴν ἐπάνοδον ἀξιωθεὶς, πόλιν μὲν ἰδίαν ἀνεφορεῖν οὐκ ἐκληρώσατο, κοινὸν δὲ ὥσπερ ἄγαλμα δι᾽ ἀρετὴν τοῖς ὁμοδόξοις ἐβλέπετο.

ibi conſtitutis ad Romanos tepedauit: multiſque poſt reditum ab Imperatore honoribus mactatus, peculiaris equidem ciuitatis curam ſortitus non eſt, verùm ceu commune ſimulacrum ob virtutem ab homodoxis ſuſpectus fuit.

7. Φησὶ ἐπὶ τῷ στόματι τῆς Περσικῆς θαλάσσης, ἣν ὁ ταύτῃ ὠκεανὸς εἰσέχων ἀποτελεῖ, μεγίστην τε οὖσαν, καὶ ἔθνη κύκλῳ πολλὰ περιβαλλομένην, ἄλλοι τε μέγιστοι ποταμοὶ, καὶ ὁ Τίγρης τοῖς ῥείθροις ἐμβάλλει. ὃς πρὸς Ἀπηλιώτην καὶ κάτωθεν τῆς Ὑρκανίας θαλάσσης ἐν Κορδιαίοις μὲν τὰς ἐμφανεῖς ἀναδόσεις λαμβάνει παρὰ τὴν Συρίαν ἑλκόμενος, ἐπειδὰν δὲ ἀφίκοιτο κατὰ τὴν Σουσίδα γῆν, ἐνταῦθα τοῦ Εὐφράτου τὸ ῥεῖθρον αὐτῷ μιγνύντος, μέγας ἤδη τοῖς χεύμασι χωρήσασα πρόεισι παμφλάζων, ἔνθεν αὐτὸν φασὶ καὶ τοῦ θηρίου τοῦ Τίγρητος λαβεῖν τὸ ἐπώνυμον· πρὶν ἤδη ἐπὶ θάλατταν καταβαίνει, σχίζεται εἰς δύο μεγάλους ποταμοὺς, ἔπειτα δύο

7. Ait, ad fauces maris Perſici, quod Oceanus id influẽs efficit, magnumque eſt, & in orbem à multis gentibus circumdatur, tum alios maximos fluuios cùm & *Tigridẽ* in eius aquas ſeſe immittere, qui prope Apelioten ſupráque mare Hyrcanium in Cordiæis apertè erumpit, perque Syriam means, vbi ad terram Suſida peruenit, Euphratis fluentis ei commixtis, magnus iam & aquarum vi rapidus fragoſo ſonitu prouoluitur: Vnde & ipſum aiunt, *Tigridis* feræ nomen ſumpſiſſe: Priuſquam autem in mare ſeſe effundat, ſcinditur in duo magna flumina, duobuſque exinde

de Tigride fluuio.

ὄχθων διαμειψάμενος καὶ ἕλικα ἐξαρτῶν,* ὧν δίζοι ποικιλωτάτην κλασθεὶς ὁπηνίκα τῇ Ἀραβίᾳ πελάσει, ἐνταῦθα δὴ κυκλοτερῶς κατ' ἀντικρὺ τῆς Ἐρυθρᾶς θαλάσσης περιενεχθεὶς, καὶ χώραν οὐκ ὀλίγην ἐγκολπωσάμενος, ἔπειτα πρὸς Καικίαν ἄνεμον ἐπιστρέφει τὸ ῥεῖθρον. ὅσπερ οὖν Βορέου τε καὶ Ἀπηλιώτου μέσος ἕστηκε, καὶ πρὸς Τίγριτα ποταμὸν ὁρμήσας, οὐχ οἷός τέ ἐστιν αὐτῷ ὅλως συμμίξαι, ἀλλὰ μοίραις τισὶν ἐν τῷ διὰ μέσου προαγόμενος, τῇ ὑπολειπομένῃ μεγίστῃ τε οὔσῃ, καὶ ναυτῶν ἀνάγεσθαι δυνατωτάτῃ, τῷ Τίγριτι κατὰ Σούσας μάλιστα συμπίπτει. καὶ δὴ τῆς ἑαυτοῦ προσηγορίας ἀποπαυσάμενος σὺν ἐκείνῳ πρὸς τὸν Περσικὸν καταφέρεται κόλπον. καὶ τὸ μεταξὺ τῶν δύο ποταμῶν τούτων τοῦτε Τίγριτος καὶ τοῦ Εὐφράτου, Μεσοποταμία τυγχάνει προσαγορευόμενον.

*διοικῶν

9. Ὅτι ὁ Τίγρις καὶ ὁ Εὐφράτης κατὰ μὲν τὸ ἐμφανὲς ὅθεν ἀναδύονται, εἴρηνται· ἡ δὲ

relictâ, gyrumque circumferens varium maximè, vbi fractus ad Arabiam peruenit, inde iam in flexum magis è regione maris Rubri labens, regionemque haud exiguam ſinuosè claudens, dein Cæciam ventum verſus, qui quidem inter Boræam & Apelioten medius eſt, aquas conuertit, Tigridiq; fluuio adpropinquans non poteſt ei totus miſceri, verùm partibus quibuſdam tantum per medium proluens, parte reliquâ quę maxima eſt, & nauigabilis maximè, Tigridi ad Suſas potiſſimum ſociatur: iamque amiſſo nomine ſuo cum ipſo in Perſicum deuoluitur ſinum. Id porrò quod inter duo illa flumina medium eſt, Tigridis, inquam, & Euphratis, *Meſopotamia* vocatur.

9. Ait, dictum ſupra vnde Tigris & Euphrates oriantur, ſecundum quod quidem apparet: Atenim

de Quatuor Paradiſi fluminibus & de Paradiſo.

ſacram Scripturam noſtrã, cùm ait, *Eos ex Paradiſo oriri*, veriſſime dicere: Prima etenim aquarum primordia ex eo ducentes aliquouſque quidem procedunt ſupra terram fortè fluentes, atenim excipiente eos dein magna terra quæ deſerta & arenoſiſſima eſt, in profundum demerſi haud prius in inferiora labi delinunt, quàm ad impenetrabilem illã aquis petroſamque terram quę ibi eſt pertingant, conſiſtentiam ſcilicet proceſſus ad inferiora baſi quæ ibi eſt præbente: vnde iam aquis coacervatis ob multitudinem vimque eius quæ eò ſemper labitur, meant feſtino adacti: Atenim fluuij hi ſub terrâ procedentes, partem aliquam eorum haud paruam terrâ quæ in medio eſt abſorbēre, minores iam & infirmiores ad locum eruptionis occurrunt. Cæterùm ſubterraneos plurimum terræ ſubire eos, incredibile non eſt; Multa quippe & alia flumina

ἱερὰ ἡμῶν γραφὴ, ἐκ τοῦ παραδείσου τούτους λέγουσα ὁρμᾶσθαι, τὸ ἀληθέστατον ἱστορεῖ· καὶ γὰρ ἐξ αὐτοῦ τὰς πρώτας ἀρχὰς τῶν ῥείθρων φέροντες, ἄχρι μέν τινος προΐασιν, ἴσως ὑπὲρ γῆς ῥέοντες, ἔπειτα δὲ τῆς μεγάλης ἐρήμου καὶ ἀμμωδεστάτης αὐτοὺς ἐκδεξαμένης πρὸς τὸ βάθος ἐνταῦθα καταπινόμενοι, οὐ πρότερον ἵστανται τῆς ἐπὶ τὰ κάτω φορᾶς, πρὶν ἐπ᾽ αὐτὸ δὴ τὸ στεγανὸν καὶ πετρῶδες τῆς αὐτόθι καταδυτήσωσι γῆς· στάσιν δ᾽ αὖθις τῆς ἐπὶ τὰ κάτω προχωρήσεως τῆς αὐτόθι κειμένης παρασχομένης, ἐνταῦθα ἤδη τῶν ῥευμάτων αὖθις συναγειρομένων ὑπό τε πλήθους καὶ ἰσχύος τοῦ ἀεὶ ἐπιφερομένου τε πρόσω χωροῦσιν ἐπ᾽ εὐθὺ βιαζόμενοι. Ἀλλ᾽ οὗτοι μὲν (4) ποταμοὶ κατωρύχιοι πορευόμενοι, μοῖραν αὐτῶν οὐκ ὀλίγην τῆς ἐν μέσῳ γῆς ὑπεξαιρουμένης, ἐλάττους ἀπαντῶσιν ἤδη καὶ ἀσθενέστεροι ἐπὶ τοὺς τόπους τῶν ἀναδόσεων. καὶ τό γε μυχίους αὐτοὺς πλείστην ἐπιέναι γῆν, οὐκ εἰκὸς ἄπιστον· πολλὰ γάρ ἐστι καὶ ἄλλα ῥεύμα-

ῥεύματα πανταχοῦ καὶ τῶν σφόδρα μεγίστων τε καὶ ἰσχυροτάτων ὑπὸ γῆν ἀφικνούμενα· δῆλον δέ, ἦχός τε γὰρ ἀπ' αὐτῶν ἀκούεται μέγας, σὺν ταράχῳ καὶ ῥοίζῳ πολλῷ φερομένων. ἀλλὰ καὶ τινὲς ὑπὲρ αὐτῶν φρέατα ὀρυσσόμενοι, καὶ τὴν ἀπηντηκυῖαν αὐτοῖς πλάκα κάτωθεν ἐπ' ὀλίγον τρώσαντες, ἐφ' ᾧ τὸ ῥέεθρον ἤδη καχλάζον τὴν ἐπὶ τὸ ἄνω φορὰν βιαζόμενον, μόλις* δ' ἂν ἐλήφθησαν ὑπὸ τῶν ἐπὶ τοῖς ἴχνοις* τῆς φρεωρυχίας ἑστώτων ἀναρπασθέντες· καὶ τὸ ῥεῖθρον ἐφομαρτῆσαν εἰς ὀχετὸν περιεχώρησεν, ὑπ' οὐδεμιᾶς ἀνομβρίας ἔτι παραλυπούμενον, διὰ τὸ τῆς χορηγήσεως ἀέναον· ἡ γὰρ τοῦ Θεοῦ ἀπόρρητος σοφία οἱονεὶ φλέβας χορηγοὺς τῶν ἀναγκαίων τὰς τῶν ῥεέθρων διεκδρομάς, τὰς μὲν ἀφανεῖς, τὰς δὲ περιδήλους εἰργάσατο. Ταύτῃ ἄρα καὶ ὁ προφήτης ἐμελῴδησε Δαβίδ, αὐτὸς ἐπὶ θαλασσῶν ἐθεμελίωσεν αὐτήν, καὶ ἐπὶ ποταμῶν ἡτοίμασεν αὐτήν. ὡς τὰς μὲν θαλάσσας τοῖς μεγίστοις αὐτοῖς

* μόγις ἀνελήφθησαν. Niceph.
* χείλεσι Nic.

ſunt paſſim, & quidem de maximis & rapidiſſimis, quæ ſub terrâ labuntur: Manifeſtum verò id inde fit, quòd ſonus eorum magnus cum ſtrepitu & fragore multo fluentium auditur: ſed & cùm quidam ſupra eos puteos effodiſſent, ſolumque lapidoſum, quod ſeſe eis infrà obtulerat pertudiſſent, vnda perſtrepẽs curſum ſurſum verſus ira molita eſt, vt ægrè ab iis qui ad ſummum putei os ſtabant ſurſum retracti receptique fuerint, & aqua ſubſecuta in riuum euaſerit, qui nullâ pluuiarum penuriâ interciperetur, propter aquæ videlicet abundantis iugitatem. Ineffabilis quippe Dei ſapientia, ceu venas neceſſariorum præbitrices, fluuiorum decurſus, hos quidem occultos, illos verò apertos creauit. Vnde & Dauid * Propheta cecinit: *Ipſe ſuper maria fundauit eũ,* [orbem terrarum] *& ſuper flumina præparauit eum.* Maria ſcilicet maximis alueis

* Pſalmo 24. v. & Pſal. 135.

ſuis theſauri inſtar recondidit, baſimque iis ad continendam tantam aquarum vim & multitudinem quæ in ea feruntur muniuit, fluminibus verò indeſinentem exitum facilibus diſpenſationibus tribuit, & regionibus ſubiectis depreſſiſque ab altioribus locis in inferiora cum impetu cadentis aquæ fluxum præſtitit.

κολπώμασιν οἷα ἀποθησαυρίσας, καὶ τὴν βάσιν αὐτοῖς κρατυνάμενος πρὸς τὸ ἀνέχεσθαι τοσοῦτον ὄγκον καὶ πλῆθος τῶν ἐν αὐτῇ φερομένων, τοῖς δὲ ποταμοῖς τὴν διέξοδον ἀπόλυτον τοῖς εὐμηχάνοις αὐτῆς διαθέσεσι δοὺς ἀεὶ τῶν χωρίων ὑποταγαῖς* τε καὶ ταπεινότησιν ἀπὸ τῶν ὑψηλοτέρων ἐπὶ τὰ χθαμαλώτερα τόπον* τῇ ῥοπῇ τοῦ βρίθοντος ὕδατος παραχών.

*ὑπαχθοταῖς Nic.

*τόπων

de Paradiſo, & quatuor Paradiſi fluminibus.

10. Ait hic, veriſimilibus vtens, *Paradiſum κατὰ τὰς ἰσημερίας τῆς ἠοῦς, i. ad Aequinoctium Orientale* ſitum eſſe. Primum quidem, ex eo, quod manifeſtum ſit, ad meridiem omnia fermè inhabitata eſſe ad exterius mare uſque: quod mare ſol adurit, toto anno ſupra id radios vibrans: eáque linea eſt quæ *Media Zona* dicitur. Ad hæc, & qui nunc *Hyphaſis* fluuius vocatur (quem Scriptura *Phiſon* nominat) & ipſe paradiſum irrigãs, ex Arctois magis Orientis partibus meridiem verſus fluere

10. Οὐ κεῖσθαι δὲ τὸν παράδεισον τοῖς εἰκασίαις χρώμενος, λέγει, κατὰ τὰς ἰσημερίας τῆς ἠοῦς, πρῶτον μὲν ἐξ ὧν τὰ πρὸς μεσημβρίαν δῆλα ἐστὶ πάντα οἰκούμενα, σχεδὸν μέχρι τῆς ἔξω θαλάττης, ἣν θάλατταν ὁ ἥλιος ἤδη ξυμφλέγει καθ' ἔτος ἐπ' αὐτῇ τὰς ἀκτῖνας ἐρείδων· καὶ ἡ διὰ μέσου λεγομένη ζώνη τοῦτο ἐστίν. ἔτι δὲ καὶ διότι ὁ νῦν Ὕφασις καλούμενος ποταμὸς (ὃν ἡ γραφὴ Φησὼν* ὀνομάζει)· καὶ αὐτὸς τοῦ παραδείσου ἀναβλύζων ἐκ τῶν ἀρκτώων μᾶλλον τῆς ἀνατολῆς μερῶν, ἐπὶ τὴν μεσημβρίαν φαίνεται

*Φισὼν Nic.

φαίνεται ῥέων, καὶ εἰς τὸν ταύτῃ ὠκεανὸν τὸ ῥεῖθρον εἰσβαλλόμενος ἄντικρυ τῆς νήσου Ταπροβάνης, οὗ περὶ τὰς ὄχθας τοῦ ποταμοῦ εὑρίσκεται τὸ λεγόμενον καρυόφυλλον, εἴτε δὴ καρπὸς εἴτε δὲ καὶ ἄνθος τυγχάνον· καὶ πεπιστεύκασιν οἱ ἐκείνῃ τῶν ἐκ τοῦ παραδείσου τοῦτο δένδρον εἶναι· καὶ γὰρ ἐστὶν ἡ ὑπὲρ αὐτοῦ* γῆ, ἐρημά τε ἐστὶ δεινῶς ἅπασα, καὶ ἀκαρποτάτη. ἐκ δὲ τοῦ φέρειν τὸν ποταμὸν τὸ ἄνθος, ἐπίδηλον ἂν εἴη ὡς οὗτος ὁ ποταμὸς ὑπὸ γῆς ἅπας ῥεῖ, μηδαμόθι καταδυόμενος· οὐ γὰρ ἂν τὸ ἐκεῖθεν φυόμενον ἠδύνατο φέρειν. ἔχει δέ τι καὶ ἄλλο σύμβολον τῆς παρὰ τὸν παράδεισον γενεᾶς ἐπιμιξίας. φασὶ γὰρ ὡς ἐάν τις τύχοι πυρετῷ λαύρῳ* φλεγόμενος εἰς τὸν ποταμὸν βαπτισάμενος παραυτίκα τοῦ νοσήματος ἀπαλλάττεται. ὁ δὲ Τίγρης καὶ Εὐφράτης, διὰ τὸ καταδύεσθαι καὶ πάλιν ἀνίσχειν, οὐδὲν ἐκεῖθεν δύνανται* κομίζειν ὡς ὁ Ὕφασις, οὐδέ γε ὁ Νεῖλος· καὶ γὰρ καὶ τοῦτον ἐκεῖθεν ῥεῖν ἡ Μωσέως ἐπίπνοια λέγει, Γηὼν

*αὐτοῖς Nic.

*λάβρῳ Nic.

*δύνανται Nic.

videtur, & in Oceanum qui ibi eſt aquas ſuas condere è regione inſulæ Taprobanæ: ubi ad ripas fluminis reperitur id quod *Caryophyllum* vocatur, ſiue is fructus ſiue flos eſt. Et credunt incolæ, hanc arborem eſſe ex arboribus Paradiſi. Nam & terra quę ad id ſita eſt, deſerta eſt omnis valde & infructuoſiſſima. Ex eo verò quod fluuius hic florem fert, manifeſtum fit, hunc fluuium totum ſub terrâ fluere nullatenus abſorptum, alioquin enim, exinde (ex Paradiſo) natum ferro non poſſet. Habet verò & aliud terreni in Paradiſo commercij argumentum: aiunt enim ſi quis validæ febri æſtuans in flumen illud immergatur, eum ſtatim morbo liberari: Tigris verò & Euphrates, quia ſubſidunt, rurſúmque emergunt, nihil exinde deferre poſſunt vt Hyphaſis: uti neque Nilus, nam & hunc exinde fluere diuinus Moſis afflatus ait, *Geon*

eum nominās, quem Græci *Aegyptium* vocauerunt: Hic quidem, vt conjicere eſt, è Paradiſo prodiens antequam ſupra terram habitabilem appareat, demerſus, exinde Indicum mare ſubiens, ſed & circulo id circumcurſans, ut veroſimile eſt (ecquis enim hominum hæc perſcrutetur) ſubruſq; omnem quæ in medio eſt terram illatus ad mare Rubrum uſque & ſub eo fluens, ad alteram eius partem exit, ad montem qui à *Lunâ* denominatur: Vbi iam duos magnos fontes efficere dicitur, à ſeſe inuicem haud parùm diſtantes, ſubtúſque violenter abſorptos, perq; Æthiopiam immiſſus Ægyptum fertur, per petras altiſſimas & cataractas præceps ruens.

de variis Animalibus regionum Orientalium & Meridionaliū, deq; earundem Fructib. & Frugibus: atque Paradiſi eximio ſitu.

11. Ait, regionem omnem, ſolem Orientem verſus & circa meridiem, etſi immodicè calefactam, attamen optima quæque eorum omnium quæ terra mareque educere poſſunt, ferre: *Cete* enim maxima

αὐτὸν ὀνομάζουσι· ὃν οἱ παρ' Ἕλλησιν Αἰγύπτιον ἐκάλουν. Οὗτος, ὡς ἔστι συμβαλεῖν, ἐξορμῶν τοῦ παραδείσου, πρὶν ἐπὶ τὸ οἰκούμενον φθάσαι, καταδυόμενος, ἔπειτα τὴν Ἰνδικὴν θάλατταν ὑπελθὼν, ἔτι καὶ κύκλῳ γε αὐτὴν περιελιχθεὶς, ὡς εἰκάσαι. (τίς γὰρ ἀνθρώπων ἀκριβώσαιτο τοῦτο) καὶ ὑπὸ πᾶσαν τὴν ἐν μέσῳ γῆν ἐνεχθεὶς μέχρι τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης, καὶ ταύτην ὑποδραμὼν, ἐπὶ θάτερον αὐτῆς ἐκδίδοται μέρος, ὑπὸ τὸ σελήνης καλούμενον. ἐν ᾧ δύο πηγὰς λέγεται ποιεῖν μεγάλας, ἀλλήλων οὐκ ὀλίγον διεστηκυίας κάτωθεν βιαίως ἀναρυβδουμένας,* καὶ διὰ τῆς Αἰθιοπίας ἐνεχθεὶς, ἐπὶ τὴν Αἴγυπτον χωρεῖ, διὰ πετρῶν ὑψηλοτάτων καταρραττόμενος.

*ἀναῤῥοιβδουμένας Nic.

11. Ὅτι φησὶν ἅπαν τὸ πρὸς ἀνίσχοντα ἥλιον καὶ περὶ τὴν μεσημβρίαν κλίμα, καίτοι πέρα τοῦ μέτρου θαλπόμενον, ὅμως τὰ κράτιστα καὶ μέγιστα φέρειν τῶν ὅσα γῆ καὶ θάλαττα δυνατὴ τρέφειν. τά τε γὰρ Κήτη τὰ ὑπερμεγέθη

λαύ-

ταύτῃ ἐνεῖναι τῇ θαλάττῃ· καὶ ἤδη ὤφθη πολλάκις ἐπιπολάσαντα τοῖς τὸν ὠκεανὸν ἐκεῖνον ναυτιλλομένοις. Ἥ τε γῆ τοὺς ἐλέφαντας ἔχει τοὺς μεγίστους καὶ ὑπερφυεστάτους, καὶ δὴ καὶ τοὺς Ταρλεφάντας* λεγομένους. ὧν τὸ μὲν γένος τὰ μὲν ἄλλα πάντα βοῦς ἐστὶ μέγιστος, τὴν δὲ βύρσαν καὶ τὸ χρῶμα ἐλέφας, καὶ σχεδὸν εἰπεῖν καὶ τὸ μέγεθος. (καὶ γὰρ εἰς Ῥωμαίους κομισθὲν τὸ ζῷον, ἐθεασάμην καὶ τὸ θέαμα γράφω) Ἀλλὰ καὶ δράκοντες ἐν τούτοις εἰσί, πάχος μὲν δοκῶν οὐκ ἐλάττους, τὸ δὲ μῆκος εἰς δέκα πέντε παρατεινόμενον ὀργύας·* καὶ γὰρ καὶ τούτων τὰς δορὰς εἰς Ῥωμαίους ἀποκομισθείσας εἶδον. Ὅ τε μονόκερως τὸ ζῷον παρ' αὐτοῖς ἐστί· τὴν μὲν κεφαλὴν δράκοντος φέρων, κέρας δὲ σκολιὸν αὐτῷ πέφυκεν, οὔτι σφόδρα μέγα· ὁ δὲ ἀνθερεὼν αὐτοῦ*, πώγωνος ὑποπίμπλαται ἅπας. μακρὸς δὲ ὁ τράχηλος εἰς ὕψος ἀνατεινόμενος, ὁλκῷ δράκοντος ἐγγύτατα παραπλήσιος, τὸ δὲ ἄλλο σῶμα ἐλάφῳ προσέοικε μᾶλλον,

* Ταυρελέφαντας

* ὀργυίας Nic.

* [illegible] Nic.

* αὐτῷ Nic.

eſſe in eo Mari, ſæpéque iam ludentia viſa per Oceanum illum nauigantibus. ¶Habet & terra illa maximos & vaſtiſſimos *Elephantas*, ſed & *Taurelephantas*, ut vocantur; quod genus quo ad cætera omnia bos maximus eſt, corio verò coloréque & magnitudine etiam ferme elephas (etenim ad Romanos delatum animal iſtud vidi ipſe, quodque vidi ſcribo.) ¶Sed & *Dracones* in hiſce regionibus ſunt, craſſitudine quidem tignorum haud minores, longitudine verò ad quindecim orgyas, id eſt, ulnas, uſque procedentes: nam & horum exuuias ad Romanos delatas vidi. ¶*Monoceros* quoque animal apud eos eſt, caput quidem draconis habens, cornu verò curuum innatum ei haud valde magnum: mentum eius barba totum obſitum eſt, longáque ceruix in altum protenta ſyrmati draconis proximè accedens, reliquo quidem corpore ceruo ſimilis magis,

at pedibus leoninis eſt. Et huius quoque imaginem expreſſam Conſtãtinopoli videre eſt. ¶ Sed & *Camelopardalis* regionis illius fœtus eſt: quæ cætera ceruus eſt maximus, proceritate verò cameli corpus imitari videtur: nam & collum longiſſimum ſupráque reliqui corporis proportionem in altum erectum geſtat: ſed & pelle uniuerſa à ſummo capite ad imos pedes varietatem pardali maximè ſimillimam præfert, & pedes anteriores poſterioribus altiores. ¶ Eſt & apud eos qui *Aegopithecus* vocatur, ſimiæ genus quoddam; multa quippe ſimiarum genera ſunt: nam & *Arctopitheci* apud eos ſunt, & *Leontopitheci* & *Cynocephalus*, aliiſque animalium formis ſimialis ſpecies immixta: idq; manifeſtum eſt, cùm multi ad nos afferuntur: In his eſt & qui *Pan* vocatur, qui capite caprinâ facie eſt & caprino cornu, & ab ilib. deorſum verſum pedib. caprinis, ventre verò

τοῦ δὲ πόδας λέοντος ἔχει· καὶ ἔστι γε αὐτοῦ τὸ ἐκτύπωμα ὁρᾶν ἐν Κωνσταντίνου πόλει. Καὶ δὴ καὶ ἡ καμηλοπάρδαλις τῆς ἐκείνης θρέμμα χώρας· ἡ τὰ μὲν ἄλλα, ἔλαφός ἐστι μεγίστη, καμήλου δὲ τὸ ὕψος ἀνέδωκε τὸ σῶμα μιμεῖσθαι, τὸν μέντοι αὐχένα μήκιστον, καὶ ὑπὲρ τὴν ἀναλογίαν τοῦ λοιποῦ σώματος, φέρει εἰς ὕψος ἀνορθούμενον· ἀλλὰ καὶ τὴν δορὰν ἅπασαν ἀπὸ κεφαλῆς ἄκρας ἕως ἐσχάτων ποδῶν παρδάλει μάλιστα τὴν ποικιλίαν προσφερεστάτην ἔχει, καὶ τοὺς ἔμπροσθεν πόδας ὑψηλοτάτους τῶν ὀπίσω. Παρ' αὐτοῖς δὲ ἐστι καὶ ὁ λεγόμενος αἰγοπίθηκος, πίθηκός τις ὤν, μυρία γάρ ἐστι γένη πιθήκων. ἀρκτοπίθηκοι γάρ εἰσιν ἐν αὐτοῖς, καὶ λεοντοπίθηκοι, καὶ κυνοκέφαλος· καὶ ἄλλαις πολλῶν ζώων εἰδέαις τῆς πιθηκείας μορφῆς ἐπιμιγνυμένης· Καὶ δῆλον ταῦτα ἐστὶν, πολλῶν εἰς ἡμᾶς κομιζομένων. τοῖος δὴ καὶ ὁ Πὰν ἐπικληθεὶς ὑπάρχει, ὃς τὴν κεφαλὴν αἰγοπρόσωπός ἐστι καὶ αἰγόκερως, καὶ ἐκ λαγόνων τὰ κάτω αἰγοσκελής, τὴν δὲ κοιλίαν

καὶ τὸ

καὶ τὸ στέρνον καὶ τὰς χεῖρας καθαρῶς πίθηκες, οἷον καὶ ὁ τῶν Ἰνδῶν βασιλεὺς Κωνσταντίῳ ἀπέσταλκε· τοῦτο δὲ τὸ ζῷον, ἔζη μὲν φερόμενον ἄχρι τινὸς ἔν τινι πλέγματι διὰ τὸ θηριῶδες εἰργμένον, ἐπεὶ δὲ ἀπέθανε, ταριχεύσαντες αὐτὸ οἱ κομίζοντες, θαύματος παρέχειν ἀσυνήθους εἰκόνα, μέχρι τῆς Κωνσταντίνου διεσώσαντο πόλεως. καί μοι δοκοῦσι τὸ ζῷον τοῦτο Ἕλληνες πάλαι ἰδεῖν, καὶ ἐκπλαγέντες τῷ ξένῳ τῆς θέας, θεὸν σφίσιν νομίσαι, ἐθισμένοι αὐτοῖς τὰ παράδοξα θεοποιεῖν· ὥσπερ καὶ τὸν Σάτυρον, ἔστι δὲ καὶ τοῦτο πίθηκος, ἐρυθρὸν τὸ πρόσωπον, καὶ γοργὸς τὴν κίνησιν, καὶ οὐρὰν ἔχων. Καὶ μὴν καὶ ἡ σφίγξ, γένος ἐστὶ πιθήκων (αὐτὸ γὰρ θεασάμενος γράφω) ἧς τὸ μὲν ἄλλο σῶμα λάσιόν ἐστιν ὡς τοῖς λοιποῖς πιθήκοις, τὸ δὲ στέρνον ἄχρι γε αὐτοῦ τοῦ τραχήλου ἐψίλωται, μαζοὺς δὲ γυναικὸς ἔχει, ἐρυθροῦ τινος βραχέος κεγχροειδοῦς ἐπανθήματος ἅπαν ἐν κύκλῳ τὸ γυμνωμένον τοῦ σώματος περιθέοντος, καὶ εἰς πολλήν τινα εὐπρέ-

& pectore & manibus merus ſimia, cuiuſmodi & Indorum Rex Conſtantio miſit: animal verò iſtud delatum vixit quidem aliquamdiu in caueâ quadam ob feritatem incluſum, vbi verò mortuum eſt conditum id geruli, vti perpetuo eius ſpecies ſpectaculo eſſet, Conſtantinopolim deuexerunt: Mihi porrò videntur, Gentiles animal iſtud olim vidiſſe, inſolitoq́; territi ſpectaculo, Deum ſibi finxiſſe, prout ſolitum iis inſolita in Deos referre, pariter vt *Satyrum*, qui & ipſe ſimia eſt, facie ruber, velox ad motum, caudatuſque. ¶ Sed & *Sphinx* ſimiæ genus eſt, id quod conſpicatus ſcribo, cuius quidem reliquum corpus hirſutum eſt, vt aliarum ſimiarum, pectus verò ad collum ipſum vſque glabrum eſt, mammas muliebres habet, rubrâ quadam tenuique, quæ milio ſimilis eſt, papulâ totum corpus quà nudatum eſt in orbem percurrente, multumque de-

coris & gratiæ colori qui in medio humano ſimilis eſt conciliante: facies verò rotunda pluſculum eſt, & in muliebrem formam vergit: Vox autem humanæ ſimilis, niſi quod articulata non eſt ſed præceps, velut cum indignatione quadam & dolore obſcurum quiddam ſonanti ſimilis, grauior verò magis eſt incenſa. Ferunt autem animal iſtud vaferrimum eſſe, neque facilè manſueſcere. Hoc animal vt mihi videtur, Thebas olim allatum cum in nonnullos forte eorum qui ad ſpectaculum conuenerant inſiliſſet, & vultib. perniciem intuliſſet, non ferens Oedipus conciuium iniurias, occidit animal, indeque clarum nomen aſſecutus eſt. Quem fabula ob virtutem laudibus efferens, alatum animal finxit, eo quod celer imè inuolaret, pectus autem muliebre aptauit corpuſque leonis: muliebre quidem ob expoſitam nuditatem & ad

πτέραι, αἱ δὲ θερμοφανεῖς ὄντι τῷ ἐν μέσῳ χρώματι, συναρπαζόμεναι· τό τε πρόσωπον ἐστρογγύλωται μᾶλλον, καὶ εἰς γυναικείαν ἕλκει μορφήν· ἥ τε φωνὴ ἐπικῶς ἀνθρωπεία, πλὴν ὅσον οὐκ εἰς ἄρθρα διηρθρωμένη, ἀλλά τινι ταχέως, καὶ οἷον μετά τινος ὀργῆς τε καὶ ἀλγηδόνος ἄσημα ὑποφθεγγομένης προσεοικυῖα· βαρυτέρα τε μᾶλλον ἐστὶν ὀξυνομένη· ἄγριον τέ ἐστι δεινῶς τὸ θηρίον καὶ πολυεργότατον, καὶ οὐδὲ ῥαδίως τιθασευόμενον. Ταύτης εἰς Θήβας μοι δοκῶ τὰς Βοιωτίας πάλαι κομισθείσης, καί που ἴσως τῶν ἐπὶ θέα συνερρυηκότων ἐφαλλομένης, καὶ τοῖς προσώποις λυμηναμένης, δεινὸν ποιησάμενος ὁ Οἰδίπους τὰς τῶν ὁμοφύλων λώβας, καταφονεύσαι τὸ ζῶον, καὶ ὄνομα λαμπρὸν ἐκεῖθεν λαβεῖν· καὶ αὐτὸν ὁ μῦθος εἰς ἀνδρείαν κοσμῶν, ὑπόπτερον μὲν τὸ θηρίον ἀναπλάττει, διὰ τὸ ὀξέως ἐπιπηδᾶν· στέρνον δὲ γυναικὸς ἐφαρμόττει, καὶ τὸ σῶμα λέοντος· γυναικὸς μὲν, διὰ τὸ προέχειν τῆς γυμνώσεως καὶ πρὸς τὸ γυ-

τὸ γυναικεῖον εἶδος ὁμοιώσεως· λέοντος δὲ, διὰ τὸ θηριῶδες, καὶ ὅτι κατὰ τὸ πλεῖστον τοῖς τέτταρσι τυγχάνει ποσὶν ἐρειδόμενον, λόγου δὲ τὸ * θεῖον μετέδωκε τὸ πλάσμα, διὰ τὸ τῆς φωνῆς ἀνθρωποειδὲς· αἰνιγματῶδες * δὲ, διὰ τὸ ἄσημα φθέγγεσθαι· καὶ θαυμαστὸν οὐδὲν, πολλὰ γὰρ καὶ ἄλλα συνήθης τοῖς Ἕλλησι πρὸς τὸ μυθῶδες * διαπλάττειν. Καὶ αὐτὴ δὲ ἡ χώρα καὶ ὄνους ἀγρίους μεγίστους τῷ μεγέθει φέρει, καὶ τὴν δορὰν κατὰ τὸ ξενίζον πεποικιλμένους, * λευκοῦ σφίσι καὶ μέλανος χρώματος, οὐ κατὰ μικρὸν συμποικιλλομένου. ἀλλὰ ζῶναί τινες εἰσὶν ἀπὸ τῆς ῥάχεως ἐπὶ τὰς πλευρὰς καὶ τῆς κοιλίας καθήκουσαι. καὶ ἐνταῦθα ἐπισχιζόμεναι, καὶ κατά τινας περιφερείας ἀλλήλαις συμπλεκόμεναι, θαυμαστήν τινα καὶ ξένην ἀπεργάζονται πλοκὴν καὶ ποικιλίαν. Ἀλλά γε δὴ καὶ ὁ φοῖνιξ τὸ πολυθρύλλητον ὄρνεον παρ' αὐτοῖς τυγχάνει γινόμενος.

* τῷ θηρείῳ Nic.
* αἰνιγματώδεις Nic.
* μυθώδεις Nic.
* πεποικιλμένοις Nic.

muliebris ſpeciei ſimilitudinem: leonis verò propter feritatem, & quod vt plurimum in quatuor pedes erectum ſtet: Sermonem verò fictio animali tribuit, propter vocem humanæ ſimilem; ænigmaticum autem finxit, eò quod incerta ſonet. Neque mirum id, nam & multa alia Gentilibus mos eſt, in fabulam vertere. ¶ Sed & hæc ipſa regio fert *Aſinos agreſtes* maximos & pelle verſicolores admodum, albo nigroque colore haud parum interſtinctos: Sed & zonæ his quædam ſunt à ſpinâ dorſi ad latera ventremque uſque demiſſæ, indeque diuiſæ, & conuoluulis quibuſdam inter ſe implicatæ mirum quēdam & peregrinū exhibent nexum & varietatem. ¶ Quin & *Phœnix*, famoſa illa auis, apud eos naſcitur: ut & *Pſittacum* inde allatum vidi, quæ auium eſt loquaciſſima & humanæ linguæ

Καὶ μὴν δὴ καὶ τὸν Σιττάκην ἐκεῖθεν ἴδον * κομιζόμενον, ὃ τῶν ὀρνέων ἐστὶ λαλίστατον, καὶ τῆς ἀνθρωπίνης γλώττης

* ἴσμεν Nic.

imitantiſſima. ¶ Variegatas etiam punctiſq; diſtinctas aues, quas *Garamantas* quidam vocant, nomine ab ipſamet gente, unde huc plurimæ afferuntur, eis indito. Aliaque complurima apertè eximia ibi gignuntur, quorum recenſum preſens narratio omittit. ¶ Sed & *Aurum* ibi puriſſimum gignitur, terrâ videlicet illâ id ſuppeditâte, auroſis veluti fibris ſponte natis, aliiſque ſuper alias iacentibus, perſpicuamq; ſui productionem præbentibus. ¶ Quin & *Fructus* pulcherrimi maximíque, ex quibus celebrata ſunt & Carya. ¶ Sed & omnis Homeritarum plaga, ad Mare Rubrum vſque, bis in anno fructus producit, vnde & regionem hanc *Arabiam felicem* cognominarunt. Et in uniuerſum omnis Oriẽtem verſus terra, multum reliquas in omnibus antecellit. Paradiſus verò cùm optimus & puriſſimus totius Orientis exiſtat,. cœlumque pulcherrimum & puriſſimum habeat, & illu-

μιμητικώτατον. Καὶ τοὺς ποικίλους δὲ καὶ καταστικτοὺς ὄρνεις, οὓς Γαραμάντας ἐπικαλοῦσί τινες, ἀπὸ τοῦ ἔθνους οὗ μάλιστα πλεῖστοι κομίζονται, τὴν ἐπωνυμίαν θέμενοι· καὶ ἄλλα δὲ πλεῖστα διαφανῶς ὑπερφυέστατα φύεται, ὧν τὸ πλῆθος ἡ διήγησις ὑποστέλλεται. Ἀλλὰ καὶ ὁ χρυσὸς ἐνταῦθα γίνεται καθαρώτατος, χρυσιτίδων οἱονεὶ τριχῶν αὐτοφυῶν τῆς ἐκείνης γῆς ἀναδιδομένων, καὶ ἐπ' ἀλλήλοις κειμένων, καὶ ἐπίδηλον αὐτοῦ τὴν γένεσιν παρεχομένων· καὶ καρποὶ δὲ κάλλιστοί τε καὶ μέγιστοι, ὧν γνώρισμα καὶ τὰ κάρυα. Ἀλλὰ μὴν καὶ τὸ ἐπὶ τοῖς Ὁμηρίταις κλίμα πᾶν μέχρι τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης, δὶς * τοῦ ἐνιαυτοῦ ἀναδίδωσι τοὺς καρπούς· ἐξ οὗ καὶ τὴν χώραν Ἀραβίαν εὐδαίμονα προσηγόρευσαν. Καὶ ὅλως ἡ πρὸς ἀνίσχοντα ἥλιον ἅπασα γῆ, μακρῷ τῆς ἄλλης ἐν πᾶσι διαφέρει. ὁ δὲ παράδεισος ἁπάσης τῆς ἑώας τό τε κράτιστόν τε καὶ καθαρώτατον ὑπάρχων, καὶ τοὺς ἀέρας ἀκραιφνεστάτους καὶ καλλίστους

*ἐν Nic.

στεις ἔχων, καὶ τοῖς διαφανεστάτοις ὕδασι καταρδόμενος, δῆλον ὡς ἀπαραβλήτῳ ὑπεροχῇ τῆς ὑφ' ἡλίῳ πάσης ἐν πάσῃ τὸ κρεῖττον φέρει, τῆς ἔξωθεν θαλάσσης καὶ αὐγάζοντα τὸν ἥλιον αὐτῷ παρακλυζομένης.*

*περικλυζομένης. Nic.

A.D. 346.

12. Οὗ φησὶν Ἀθανάσιος πρὸς τὸν ἑσπέριον ἀφικόμενος βασιλέα, καὶ δώρων τοὺς αὐτῷ παραδυναστεύοντας ὑπαγαγὼν ἀφθονίᾳ, μάλιστα δὲ Εὐστάθιος, ὃς Κόμης ἦν τῶν λεγομένων πριβάτων, καὶ τῷ βασιλεῖ πιθανώτατος, ἐπιστολὴν πρὸς Κωνστάντιον κομίζεται, λέγουσαν ὧδε· Ἀθανάσιος ἧκεν ὡς ἡμᾶς, ἑαυτῷ προσήκειν* τὴν ἐπισκοπὴν τῆς Ἀλεξανδρείας ἀποδεικνύς. τυγχανέτω τοίνυν διὰ σοῦ ταύτης· ἐπεὶ τοῖς ἐμοῖς γε αὐτὴν ἀνακτήσηται* ὅπλοις. δεξάμενον δὲ τὴν ἐπιστολὴν τὸν Κωνστάντιον, καὶ τοὺς ἐπισκόπους ἐπὶ κοινωνίᾳ βουλῆς συγκαλέσαντα, γνώμην παρ' αὐτῶν λαβεῖν, ἄμεινον εἶναι μὴ πόλεμον ἀναρρῆξαι τῷ ἀδελφῷ, ἢ τῆς Ἀθανασίου βαρύτητος τὴν Ἀλεξάνδρειαν ἀπαλλάξαι.

A.D. 348.

*προσῆκεν Nic.

*ἀνακτήσεται Niceph.

ſtriſſimis aquis irrigetur, manifeſtum inde quàm incredibili faſtigio præ omni terrâ quæ ſub Sole eſt, in omnibus primas ferat, exteriore Mari ad Solem orientem eum claudente.

12. Ait, Athanaſium, cùm ad Occidentis Imperatorem veniſſet, & munerũ multitudine eos qui apud eum valebant ſubegiſſet, maximè verò Euſtathium, qui Comes erat rerum priuatarum, ut loquũtur, & apud Imperatorem familiariſſimus, epiſtolam ad Conſtantium retuliſſe, in hæc verba: *Athanaſius ad nos venit, qui Epiſcopatum Alexandrinum ad ſe pertinere probauit: quapropter compos eius per te fiat, alioquin meis eum adipiſcetur armis*: Conſtantium verò acceptâ epiſtolâ, & Epiſcopis in conſilium adhibitis, ſententiam iſtam ab eis accepiſſe, *Satius eſſe, bellum fratri non indicere, quàm Athanaſij moleſtiâ Alexandriam liberare*:

de Athanaſij apud Conſtantem Imp. gratia, deque eius per eum reſtitutione, geſtiſq; in reditu, in Palæſtina nominatim.

Quare & permiſiſſe ei ut Epiſcopatum repeteret, Georgio cum Epiſtolâ ad ſua remiſſo. Hunc verò in patriam ſuam Cappadociã reuerſum ſua ibi adcuraſſe. ¶ Athanaſius autem maiore iam animo per ciuitates trãſiens Epiſcopos ad quos acceſſit, ad ὁμοούσιον, neue alios admitterent, pertraxit. *Aetium* inde Paleſtinæ Epiſcopum adulterij accuſatum, volentemque ſuâ ad Athanaſium defectione dedecus tegere, ut maximè ad eius ſententiam ſpemque accedere viſus fuiſſet, acerbiſſimam tamen pœnam turpitudinis conuictum luiſſe, cruribuſque fractis ita vitâ priuatum. ¶ Sed & *Maximum* Hieroſolymorum Epiſcopum ad Athanaſij ſententiam acceſſiſſe, quamuis hic Maximiani perſecutione martyr extitiſſet, alterumque oculum ob pietatem effoſſum ferret. Quin & multos alios paulatim

διὸ καὶ ἀνιέναι αὐτῷ τὴν ἐπισκοπὴν ἀναλαβεῖν, καὶ τὸν Γεώργιον μετ' ἐπιστολῆς εἰς ἑαυτὸν μεταπέμψασθαι. ἀλλ' ὁ μὲν εἰς τὴν ἑαυτοῦ πατρίδα τὴν Καππαδοκίαν ἀφίκετο· κἀκεῖ διῆγε τὰ καθ' ἑαυτὸν ἐπισκοπούμενος. Ὁ δὲ Ἀθανάσιος μετὰ μείζονος ἤδη φρονήματος διιὼν τὰς πόλεις καθ' οὓς γένοιτο τῶν ἐπισκόπων λόγοις αὐτοὺς ἐξεκαλεῖτο πρὸς τὸ ὁμοούσιον· καὶ τοὺς μὲν ἄλλους μὴ προσδέχεσθαι. Ἀέτιον δὲ τὸν ἔφορον τῆς Παλαιστίνης ἐπὶ πορνείᾳ κατηγορούμενον, καὶ βουληθέντα τῇ πρὸς Ἀθανάσιον ἐπιχωρήσει τὸ αἶσχος ἐπικαλύψασθαι, πρὸς τὴν ἐκείνου δόξαν αὐτομολῆσαι δοκοῦσαι δοκεῖν, ὅμως ὀξύτατα τὴν δίκην τοῦ αἰδοίου διασαπέντος καὶ σκώληκας βρύσαντα, καὶ οὕτω τοῦ ζῆν ἐλαθέντα. Ἀλλὰ καὶ Μάξιμον τὸν Ἱεροσολύμων ἐπίσκοπον, πρὸς τὴν Ἀθανασίου δόξαν ἀποκλῖναι· καίτοι ὁ κατὰ Μαξιμιανὸν διωγμὸν μάρτυρα τοῦτον ἐδείκνυ, καὶ τὸν ἕτερον τῶν ὀφθαλμῶν, ὑπὲρ τῆς εὐσεβείας φέροντα διορωρυγμένον. καὶ πολλοὺς ἄλλους κατὰ μικρὸν

A.D. 348.

Εἰς τὴν

εἰς τὴν ἑαυτοῦ δόξαν τὸν Ἀθανάσιον ὑποσύρασθαι.

A.D. 348. 13. Ὅτι φησὶ τὸν Ἀντιοχείας Φλαβιανόν, πλῆθος μοναχῶν συναγείραντα, πρῶτον ἀναβοῆσαι, δόξα πατρὶ ΚΑΙ υἱῷ καὶ ἁγίῳ πνεύματι· τῶν γὰρ πρὸ αὐτοῦ, τοὺς μὲν δόξα πατρὶ ΔΙ' υἱοῦ ἐν ἁγίῳ πνεύματι λέγειν, καὶ ταύτην μᾶλλον τὴν ἐκφώνησιν ἐπιπολάζειν, τοὺς δὲ δόξα πατρὶ καὶ* υἱῷ καὶ ἁγίῳ πνεύματι.

*EN

14. Ὅτι φησὶ εἰ καὶ διεφέροντο κατὰ τὰς δόξας τοῖς τὸ ὁμοούσιον πρεσβεύουσιν οἱ ἐξ Ἀρείου, ὅμως καὶ εὐχῶν καὶ ὕμνων καὶ βουλευμάτων, καὶ τῶν ἄλλων σχεδὸν ἁπάντων, πλὴν τῆς μυστικῆς ἐκοινώνουν θυσίας· ἐπιγενομένου δὲ τοῦ Ἀετίου, καὶ τῆς ἐν τούτοις διαστάσεως ἄρξαντος, τὴν ὁμόδοξον συναγωγήν, πάντας δεσμοὺς καὶ φιλίας καὶ συνηθείας, οἷς τοῖς ἑτεροδόξοις συνήπτοντο, διαρρήξαντας*, εἰς ἀντίπαλον τούτοις μάλιστα παρασκευάσαι καταστῆναι* μοῖραν.

*διαῤῥήξαντα *καταστῆσαι Nic.

Athanaſium ſuam in ſententiam pertraxiſſe.

13. Ait, Flauianum Antiochię monachorum multitudine collecta primum acclamaſſe: *Gloria Patri Et Filio & Spiritui Sancto*: Ex iis enim qui ante eum fuerunt, hos quidem acclamaſſe. *Gloria Patri PER Filium in Spiritu Sancto* (& hãc maximè acclamationem ſeſe laudare) alios verò, *Gloria Patri IN Filio & Spiritu Sancto.*

de Δοξολογία, variiſq; eius formulis Antiochiæ.

14. Ait, etſi Ariani ſententiis differrent ab his qui ὁμοούσιον prædicabant, attamen & precibus & hymnis & conſultationibus, aliiſq; fermè omnibus, præterquã myſtico ſacrificio, cum his cõmunicaſſe. Atenim ubi Aëtius exortus eſt, & diſſenſio quoq; circa hæc incœpit, in una fide conſentientem conuentum [i. Homoouſiaſtas] ruptis omnibus quibuſcum aliter ſentientibus [antea] coniungebantur, amicitiæ & conſuetudinis vinculis, hiſce maximè materiam prębuiſſe aduerſam partẽ conſtituendi.

de Arianorum totali receſſu ab homoouſiaſtis.

de Aëtij vita.

15. Ait, *Aëtio* patriam fuiſſe Cœlen Syriam: Patris verò, qui ex eorum numero fuit, quibus militia infeliciter ceſſit, quique vitam in hoc genere vitæ amiſit, facultates Rectorem eius prouinciæ fiſco addixiſſe: Iuuenem autem Aëtium exiſtentem in extremam vna cum matre egeſtatem prolapſum, ideoque aurificem factum, ut alicunde tum ipſe tum mater eius viuerent. Cùm verò hâc arte ſatis uſus fuiſſet, ob naturæ vim ad ingenij diſciplinas conuerſum, Paulinum quidem primum audiuiſſe, qui ex Ephoriâ Tyri ad Antiochenam tranſlatus fuerat. Matre verò extinctâ, propter quam fermè artem variis figuris aurum figurantem tractauerat, Aëtium exinde totum ad diſciplinarum ſpeculationem traductum, ſtatimque ſermonum uſu & commercio pleriſque præualere viſum, & exinde inuidiam aliquantum concitatam, ſed quandiu Paulinus

15. Ὅτι πατρὶς Ἀετίῳ ἡ κοίλη γέγονε Συρία· τοῦ δὲ πατρὸς αὐτοῦ τῶν ἐν στρατείᾳ δυσπραγεστέρων ἐξενηνεγμένων, καὶ τὸν βίον ἐν τούτοις ἀπολιπόντος, τὴν μὲν οὐσίαν τὴν ἐκείνου τὸν τηνικάδε ἄρχοντά φησι δημοσιεῦσαι· νέον δὲ τὸν Ἀέτιον ὄντα εἰς ἔσχατον σὺν τῇ μητρὶ πενίας εἰάσαι,* καὶ διὰ τοῦτο ἐπὶ τὸ χρυσοχοεῖν ὁρμῆσαι, ὡς ἂν ἀμο-γέπως* αὐτός τε καὶ ἡ γειναμένη διαβιῷεν· ἀποχρώντος* τῇ τέχνῃ κεχρημένον, διὰ ῥώμην φύσεως ἐπὶ τὰς λογικὰς ἐπιγραφῆναι μαθήσεις· καὶ Παυλίνου μὲν ἀκροάσασθαι πρότερον, ὃς ἐκ τῆς ἐφορείας Τύρου, εἰς τὴν τῆς Ἀντιοχείας κατέστη. τῆς δὲ μητρὸς τὸν βίον λιπούσης, δι' ἣν μᾶλλον καὶ ἡ ποικίλαις ἰδέαις τὸν χρυσὸν ἐπιμορφοῦσα τέχνη μετεχειρίζετο τῷ Ἀετίῳ, ἐκεῖθεν αὐτὸν ὅλον εἰς τὴν τῶν λογικῶν μαθημάτων μετατάξασθαι θεωρίαν, καὶ θᾶττον ἐπὶ λόγων ἅμιλλαν, τῶν πλειόνων ὁρᾶσθαι κρατοῦντα, καὶ φθόνον ἐκ τούτου μικρὸν ἀνάπτειν· ἀλλὰ μέχρι μὲν ὁ Παυλῖ-

*ἐλάσαι ρε Nic. ἐλάσαντα

*ἀμογ-ήτως Nic.

*ἀπο-χρώντος δὲ Nic.

*ἰσορείας Nic.

ὁ Παυλῖνος, τὴν ἰσχύ. ὁ φθόνος παρῄρητο· ἐπεὶ δὲ ἐκεῖνος μετὰ μῆνας ἓξ ἀπεβίω, αὖτ' αὖθις δὲ Εὐλάλιος τὸν θρόνον εἶχεν, εἰς τὴν αὐτοῦ δύναμιν ἐπανελθὼν ὁ φθόνος, κινεῖ τὸν Εὐλάλιον τῆς Ἀντιοχείας τὸν Ἀέτιον ἀπελάσαι· ὁ δὲ εἰς τὴν τῆς Κιλικίας Ἀναβαρζὸν* ἀφικόμενος, τῇ τέχνῃ πάλιν πρὸς τὸ ζῆν ἀπεχρῆτο, οὐδὲ τοῖς* ἐν λόγοις ἀφιςάμενον πρὸς τοὺς ἐντυγχάνοντας ἁμίλλα.* Γραμματικοῦ δέ τινος τὴν φύσιν αὐτοῦ ἀγαμένου, καὶ μεταδοῦναι τῆς τέχνης ὁρμημένου, ὁ Ἀέτιος παρ' αὐτὸν εἰσοικισθεὶς ἐθήτευεν τὰς οἰκετικὰς αὐτῷ τελῶν λειτουργίας· καὶ ὁ μὲν τὴν γραμματικὴν προθύμως αὐτὸν ἐδιδάξατο· ὁ δὲ τοῦ διδασκάλου δημοσίᾳ ποτὲ καταςὰς εἰς ἔλεγχον, ὅτι μὴ τῶν θείων λογίων ὀρθὴν ἐποιεῖτο τὴν διήγησιν, καὶ πολλὴν αὐτοῦ τὴν ἐπ' ἀμαθείας τούτων αἰσχύνην καταχεάμενος, ἀντιμισθίαν εὗρε τὴν ἀποκήρυξιν τῆς εὐεργετούσης αὐτὸν οἰκίας· ἐκεῖθεν δὲ ἐλαθεὶς, Ἀθανασίῳ

*Ἀναζαρβὸν. ut & apud Niceph. Similis inverſio apud Zonarã, in Niceph. Phoca.

* τῆς, quomodo Nicephor. id eſt τῆς περὶ λόγους ἁμίλλης ἀφιστικῶς

* ἁμίλλας

vixit, inuidiam vim ſuam non exeruiſſe: ubi verò is poſt ſex menſes obiit, eiuſque loco Eulalius ſedem obtinuit, inuidiam ad vim ſuam regreſſã, mouiſſe Eulalium Antiochiæ, ut Aëtium expelleret: hic verò Anazarbum Ciliciæ abiẽs, artem rurſum repetiit ad vitam ſuſtentandam, at non & ideo ſermonum uſu & commercio ad eos qui ad ipſum accederent abſtinuit. Cùm verò Grammaticus quidam indolem eius admiratus, artem ei ſuam traditurum ſeſe obtuliſſet, Aëtius apud eum diuertens, mercede ei ſeruiit domeſticas ei operas præſtans: ille verò libenter eum Grammaticam docuit: At iſte, cùm publicum aliquando Magiſtrum coarguiſſet, quod diuinorum ſermonum haud rectam narrationem feciſſet, multoque pudore eum ob hanc inſcitiam perfudiſſet, pretij loco retulit expulſionem è domo beneficâ. Inde verò pulſus Athanaſio

p.86.l.5 pro εἰσενεγκῶν, emenda εἰσενεγκών. l.9 ante ἑλληνιστῶν, adde vocem τῶν. l.10. pro αἰκίας, emenda αἰκίας, & verte *iniurias*. mox pro κοιναὶ, emenda καιναὶ. c.2.l.2 in verſ. pro *Alexandria*, emenda *Alexandrina*. l.3.& 4. repone, καὶ τῷ, &c. τόμῳ. p.87. l.3 pro Αλεξανδρείων, emenda Αλεξανδρέων. l.4 pro ἀσμένως ὑποδεξάμενος quod eſt in MS. repone ἀσμένως ὑποδεξαμένων. c.3. l.10 pro ἀναφιείσης emenda ἀναφυείσης l.19 pro ἄμβρων, emenda ὄμβρων. p.88 repone hunc numerum, loco 80. l.16 pro ἐπιδεικνυμένης, habet MS. ἐπιδεικνύμενοι, vt & Nicephorus. l.17 MS. habet τὸ ἐκκλησιαστικὺς. l.20 pro βαθρῶν, emenda βάθρων. l.21 pro ἐκδημούμενοι, quod eſt in MS. emenda ἐκδησάμενοι, vt apud Niceph. l.24 pro διασπάμενοι, emenda διασπώμενοι.

p.89.l.2 pro ταύτοις, MS. ταύτοις. c.4 l.3. pro παλαιμωμένων, emenda παλαμωμένων. l.8 pro ἐπιθάπτω, emenda ἐπιθάπτω. l.9 pro ζῶον, vt eſt in MS, ζώων. l.12 pro διασπείραντο emenda διασπείραντο. l.13 pro συλλαμβανόντο, emenda συλλαμβανόντες, vt eſt apud Niceph. l.15 pro πόλλῳ, emenda πολλῷ.

l.15 Lat. poſt *Chriſtianos*, adde, *captos*. p.90. l.7 poſt vocem τοιαύτης addit Nicephorus μανίας. l.8 pro τῆς, emenda ὧν.
p.91 l.1 vox ὡς abeſt à Nicephoro. Et rectius: Quare & ſic verte, *Omniaq; vt facerent permiſit, per quæ* &c. p.92 l.17 pro ἐλύσε, emenda ἔλυσε. l.18 pro ἐξαμλὼν, emenda ἐξαμλώου. l.19 Σάρ-ρας, ita hic MS. aliàs Σέῤῥας. l.25 ἀποςέλλει, ita in MS. verùm repone ἀποςέλλειν. p.93. l.20 pro ἀγγελία, emenda ἀἴγλια. l.23 iſta παραμυθέμθυος ᾖ τὸ οἰκεῖον δέος, verte ſic, *verum permulcendo metui ſuo*. Pro quo habet Nicephorus, τό γε μὴν δέος αὐτοῦ ἀνακτώμενος. Eodem ſenſu. Vtraque ſcil. vox refocillare, recreare ſignificat, ἀνακτάομαι, & παραμυθέομαι.
p.94. l.20 Nicephorus ita hæc exhibet, κατὰ δέ τινα δαίμονα γιώμλω, Νεμεσιακὸν ἔρως ἐμπεσεῖν. l.21 πλυθυύσης ita MS. & recte: Nicephorus mutauit in πληθυύσης. p.95. l.12 pro ἀντιταζόμενον quod habet & MS. repone ἀντιταξάμενον, & verte *renuiſſet* vel *reſtitiſſet*. Apud Nicephorum ἀντιταξάμενον.
l.13 pro ἀναδείσασθαι, repone vt apud Niceph. ἀναδήσασθαι: & verte, *martyrij coronam adeptus eſt*. p.96. l.11 pro ἀκαταίχλυτον, emenda ἀκαταίχυντον. c.10. l.6 pro ἰώας, emenda ἰώας. in f. pro ἐμφανοῖς, emenda ἐμφανῆς. p.97. l.4 emenda τοῖς ὁρῶσι l.10 pro δυςτεκμάρτω, emenda δυςτεκμήρτω. l.12 pro ἐπομάδλω, habet Niceph. ἀπονάδλω. l.15 pro ὑποῤῥάψας, emenda ὑποραψας. l.20 pro ἀνεπιχῶν, emenda ἀνεπιχών.
l.pen. pro ὅς, emenda ὅς. p.98. l.17 pro οἰκτοῖς ἄλγειν, emenda οἰκτρῶς ἄγαν: & verte, *miſerè admodum, & ſupra quàm narrari poteſt*. c.11 l.3 emenda τὰ Ιεροσόλυμα.
l.5 pro αὐτῆς, emenda αὐτῆς vt & Niceph. habet.
p.99. l.11 pro ἐχόντς, quod habet MS. repone, ἔχωσι: quod habet & Niceph. c.12. l.6 ante ἀπίλεςοι, copulam, καὶ adde, quam habet & Niceph.
p.100. c.13 l.9 pro πανθαχόθεν, emenda πανταχόθεν.
p.101. c.14. l.10 pro ἐχάτλω, emenda ἐσχάτλω. l.17 ἄποροις, ita MS, verum repone ἄπορον, vt habet quoque Nicephorus.
p.102. l.4 εἰςίσι ita MS. Nicephorus habet ςήλη. Forte εἰσίθμη, quæ eſt εἴσοδος ςενὴ vel ῥύμη, i. ſulcus. l.6 pro διείσκει, emenda διρίσκει

διείσκει. l.8 emenda ἡμιπβίῳ compulſis literis. l.14 pro ἀθινῆ habet Nicephorus ἀθιγῆ. l.16 pro ὁ, emenda ὅ. l.19 pro μεγάλης, emenda μεγάλοις. p.103.l.5 περσαρεῖπε, ita MS. περσαρεῖπε Nicephorus. l.8 pro ἀπάντων, emenda ἁπάντων. l.18 emenda διὰ τοῦ Ιωάβου. c.15.l.3 pro ἀνα-πειθεὶς, in MS. & apud Niceph. rectè ἀναπεισθεὶς.

p.104. lin.10 pro δὴ quod eſt in MS, emenda δὶ, vt eſt quoque apud Niceph. niſi malis πόθι, *ibi*. Et locus ita interpungendus: τὸ δὲ περσικὸν ἀπελαύνει κατ᾽ αὐτῶν [ſcil. πολεμίων] συνεπαγόμενον καὶ τοὺς &c. & verte, *Perſicus exercitus in eos irruit, ſecum ducēs*, &c. l.18 pro ἰχὺ, emenda ἰχύι. p.105.l.10 pro θεράπ{αι, emenda θεραπείαν.

IN LIBRO VIII.

pag.106. l.8 ξιακοντούτεις, ita quoque Theodoretus *lib.4.c.2.* l.15 Lat. poſt vſque, adde, *muri inſtar*. p.107.l.2 pro παραγεῖν, emenda παραγγεῖν. l.20 pro ὁ καὶ, emenda ὃ καὶ: & in verſione *quod* pro *qui*. p.18.l.1 voci δὲ præmitte τῇ p.109.l.1 pro καὶ δὲ ὡς, emenda καὶ δὴ καὶ ὡς. l.5 pro ἀκήσοιτο, emenda ἀκύοιτο. c.4.l.9 pro καθ᾽ αὐτοῦ, emenda κατ᾽ αὐτοῦ. p.110.l.10 pro ὁ δίον, emenda ὁ διὸν. l.13 pro καὶ μὴν, emenda καὶ μὲν. l.19 in Lat. pro *aliàs*, emenda *alias*. l.20 pro *eranl*, emenda *erant*.

p.112.l.2 pro ἐπηπάτο, emenda ἐπηπᾶτο. c.8.l.4 pro παιδῶν, emenda παίδων. l.10 pro Οὐ πολλοὶ, forte οὐ πολλοὶ & verte, *multis*. p.113 in capite ſolius VALENTINIANI nomen ponendum, expuncto VALENTIS nomine. l.2 pro Κωνςαντινούπολιν, emenda Κωνςαντινούπολιν. l.10 pro ὑπελλείπετο, emenda ὑπελέλειπτο. l.21 pro βασιλικῶν, Niceph. βασιλικοῦ, in margine pro *adſcit*, emenda *adſcito*. p.115.l.3 pro *natum* verte *notum* vel *extitiſſe*. l.4 Lat. ante *filios* adde vocem *&*.

p.116.c.13.l.8 pro τοῖς, quod in MS. repone, τῆς. l.pen. pro ἀνάςησιν, emenda ἀνάςασιν. p.117. c.16.l.2 pro Κιζάλιν, emenda Κίβαλιν. c.17.l.5 pro Γεωργιὸς, in MS Γεωργὸς. l.8 pro ἐπιςατῶν, emenda ἐπιςατῶν. p.118.l.8 Αἴτιον: ita reſcribendum: in MS. malè Αἰτίε. l.10 pro ἀθεσκεῖσθαι, emenda ἀθέως κεῖσθαι.

LIB. IX.

p.119.l.7 pro φλορεντίου, emend φλωρεντίου. c.2.l.4 pro τοῦτον, emenda τούτων. pag.120. lin.14 pro Αἰθιόπιν τε, emenda Αἰθιοπόν τε.

p.122. l.1 ante πέρσας, adde vocem ἐπὶ. p.125.c.6.l.11 pro ὑπελθὼν in MS. perperam ὑπελθεῖν. l.12 pro ἐπάνηκεν, emenda ἐπανῆκεν. p.124. l.18 pro συναλαβὼν, emenda συναναλαβών. p.125. ita emendandum pro 119. l.pen. Δομνίνῳ, emenda Δομνΐνῳ, & mox pro Μαρκιανοῦ πόλεως, emenda Μαρκιανουπόλεως.

p.127.l.1 pro πιθεῖσα quod eſt in MS. repone πεισθεῖσα. c.10.l.3 pro Θεοδόρου, emenda Θεοδώρου. c.11.l.3 pro εἴχων, emenda ἔχων. c.12.l.3 pro γυμάρχου, emenda γυνάρχου. p.131.c.17.l.2 pro Οὐύων, emenda Οὐΐων. p.132. l.9 pro ἀδέως, emenda ἀδεῶς. l.11 pro τὸ θεῖον, quod eſt in MS. repone τὸν θεῖον. c.18.l.2 pro Θεοδόλου, emenda Θεοδούλου. p.133.l.2 pro ἑῶαν, emenda ἑῷαν, vt & mox l.6 emenda ἑώας.

LIB. X.

p.134. l.8 pro περὶ ξ. emenda περιεξ. l.14 pro συγγράμμασι; emenda συγγράμμασι. l.19 pro πρόκλησιν, emenda πρόσκλησιν. l.20 Nicephorus habet hic κακίζειν, quod forte etiam hîc admittendum. p.135.l.vlt. ἑκάτερον, verte *alterum*, pariter vt *pag.prox.* p.136.l.2 pro θεός, emendem θεόν. l.3 ἑκάτερος αὐτῶν, verte *alter* (i. minor & inferior) *inter eos*, & mox, πέφυκε δημιουργεῖν, *productus ad creandum.* l.3 in verſ. poſſis & loco *Tùm*, vertere *Hîc.* p.137.l.1 pro εἰς legere mihi videor in MS. περὶ. c.6.l.9 pro ἐγκελεύετο quod habet MS. repone ἐνεκελεύετο, quod habet etiam Nicephorus. p.138.l.7 poſt ὑποθειάζει, addendum ἐστὶ. l.16 pro ἀποσεμνύνειν, forte ἀποσεμνύνει quod habet etiam Nicephorus: vnde & in verſione reponendum fuerit, *coboneſtat.* p.141. l.9 pro ἑωσφόρῳ, emenda ἑωσφόρῳ. l.21 pro χᾷν, emenda κἄν. p.142.cap.11. lin.13 lacunam quæ in MS. ita exple ex Nicephoro τὸ βλαισὸν, & in verſ. emenda, *intorti variiq. eſſent.* vbi ad marg. aſteriſcus notatus, poſt πέρδικι, adde καὶ

μηδ'

μηδ' ἀχάριστον ἐν χλωδῶ τὴν ἐκείνου εἶναι προσομιλίαν. l.18 lacunam ita partim exple, partim emenda ἐνημμεῖσθαι.

p.143.l.2 pro voce ἤπλασε, emenda ἤκμασε, vt recentiore manu emendatum in MS. & Nicephorus quoque hic vocem ἀκμάσαντες vſurpat. In verſione quoque hîc pro *vixit*, magis placeat *viguit*. l.3 pro θάττον, emenda θᾶττον. c.12 ad marginem emenda τῶν ἰδίων: ſed enim hic locus ita reſtituendus videtur. ἰσχνωμένος δὲ ἐκ τῶν νηστειῶν οὐ διαδοχῇ, & verte, *Macilentus verò factus ex ieiuniis, non verò ex ſucceſſione.* l.10 pro Τιᾶδι, emenda Τίονδι.

LIB. XI.

p.144. l.7 pro ἐξεδίοκουν, emenda ἐξεδιώκουσιν. l.14 pro ἐπεβάλλετο, repone vt apud Nic. ἐπεβάλετο. l.vlt. pro διαγγήσασθαι, emenda διαχρήσασθαι. p.145. l.8 in marg. pro τὸν, emenda τό. l.23 pro οἰκεία, emenda οἰκείᾳ. Pag.147. l.8 pro βασιλέων, quod habet etiam MS. repone βασιλείων, vt apud Niceph. l.14 pro ἐξετέγκειν, emenda ἐξενεγκεῖν. l.18 pro τῆς ξυφῆς ἀμεξίας, emenda καὶ τῆς ξυφῆς ἀμεξίᾳ. c.3.l.2 benè Ρουφῖνος, in MS. malè Ρουφίνῳ. p.142. l.5 pro ὑπήρχη, emenda ὑπῆρχε. l.20 forte στρατολόγοι hic ſunt στρατηγοί, vel *numeri militares.* l.21 pro ἀλυργίδα, emenda ἀλυργίδα. l.23 Lat. verte *circumdederant.*

p.150. l.6 pro ἀλυργίδος, iterum repone ἀλυργίδος. p.151.l.13 pro ἀπινεγκεῖν, emenda ἐπενεγκεῖν. l.21 pro γυναῖκα, τέχνη, quod habet etiam MS. repone γυναικείᾳ τέχνῃ. l.26 pro βραῦκανομένων, emenda βραυκανομένων: & in margine emenda βρυχονομένων. p.152. l.13 pro καθεσθέντος, quod habet MS. repone κατεσθέντος, quomodo & Niceph. habet. l.21 pro παραλυφθῆναι, emenda παραλυθῆναι. l.22 pro τοῖς quod in MS. repone τῆς. p.153.l.5 Lat. pro *aliqua*, emenda *aliquam.* l.10 pro ἔσαι quod eſt in MS. repone vt eſt etiam apud Niceph. ὅση. *ibid.* pro ὑποτέλει, emenda ὑποτελεῖ. l.22 pro αἰχμοί, emenda αὐχμοί. l.25 pro ἀφορητὸν, emenda ἀφόρητον. l.pen. poſt ἄχρι ſupple vocem τοῦ. p.154 c.8.l.pen. in MS. erat ἀριστόρητον.

p.156.l.5 pro φθοραὶ, repono φοραὶ, id eſt *fructum.* p.157.l.7 pro περιεπέμπε, emenda περιέπεμπε. l.19 ἐκομίσθω, in MS. ἐκομίσθο.

l.vlt. ἄπυζα, reponam ἄπςα. d.l.vlt. pro *Thraciam*, verte, *Tracheiam*, ſiue *Aſperam*, Ciliciam ſcil.
p.158.l.vlt pro ἀλισκομβρους, emenda ἀλισκομβριους.

LIB. XII.

p.159.l.12 pro Ῥαβίναν, emenda Ῥάβενναν vt & p.163.l.2.
p.160.l.23 pro ὁ θεσμὸν, emenda καὶ θεσμὸν. p.161.l.2 pro σωώοντες, emenda σωώοντες. l.3 διαλαβόντες, in MS. διαλάβοντες.
p.163.l.19 poſt Ἀλλαρίχος, ante Καμπανίαν, inſere, τὰ κατὰ Καμπ. &c.
pag.164.l.14 pro τὴν Ἀτταλον, repone τὸν. p.166 ad marginem cap.7. pro *Placidia*, emenda *Pulcheria*. p.168.l.21 pro ἀρραγμῶν, emenda ἀεραγμῶν. p.170.l.12 pro ὂν repone ὢν.
l.15 pro μηδιμίας, emenda μηδιμιαῖς. l.23 poſt αὐτῷ, inſere vocem ταῦτα. l.26 pro τὴν, emenda ἣν.
p.173. l.14 ante, καὶ inſere τε. l.16 pro παραιτήσαιτο, emenda παρεςήσατο. l.17 pro ἀπολαβὼν, emenda ἀπολαβὸν.

In INDICE quoque nonnulla admiſſa, omiſſaque.

In litera K vbi Κλῶβ editum, repone Κλωβός. Cætera repurgabit vel replebit repetita editio.

DISSERTA-

DISSERTATIONES
IN
PHILOSTORGIVM.

DISSERTATIONES
IN LIBRVM PRIMVM.

¶ AD CAP. I. *De libris Machabæorum.*

DE LIBRIS *Macchabæorum* primum hoc Philoſtorgii caput eſt: ubi primò notat Photius, quatuor Machabæorum libros à Philoſtorgio memorari; quot pariter memorantur in Synopſi apud Athanaſium, ubi etiam inter ἀντιλεγόμενα βιβλία, καὶ οὐ κανονιζόμενα, omnes recenſentur: cum alias vel duo tantum vel tres memorentur, etiam Photij æuo. Secundò obſeruat Photius Philoſtorgij de ſingulis Machabæorum libris iudicium, qui non vno videlicet eodémque commate perticáve eos cenſuerit, quinam, inquam, eorum auctores ſint, & qui cuiúſque fidei. De primo Machabæorum libro Philoſtorgius duo ait: Primò, authorem eius in incerto eſſe. Secundò, de eo ita cenſet, eum recipiendum, ἀποδοχῆς ἄξιοι: qua formula, & pleniore etiam, D. Paulus 1. *ad Timoth. cap.* 4. πιστὸν λόγον καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιον dixit, pro eo qui dignus eſt, quem

omnes adprobent, vel admittant, ſuſcipiantve : Sic & Diogenes Laertius, Theophraſtum ἀποδοχῆς ἀξιοῦσθαι ab Athenienſibus refert: vt & alibi ἀποδοχῆς πολλῆς ἄξιον dixit. Certe B. Auguſtinus quoque, *de Ciuit. Dei* 18. *cap.* 36. ſcribebat, etſi Machabæorum libri inter Scripturas ſanctas quæ *Canonicæ* appellantur non eſſent, & Iudæi pro Canonicis eos non haberent, attamen *Eccleſiam eos pro Canonicis habere*, &c. Sed quatenus pro Canonicis eos haberi ſenſerit, idem alibi explicat *lib.* 2. *contra Gaudentium cap.* 2. *Scripturam* ſcilicet *quæ appellatur Machabæorum non habere Iudæos ſicut Legem & Prophetas & Pſalmos quibus Dominus teſtimonium perhibet,&c. ſed* RECEPTAM *ab Eccleſia non inutiliter, ſi ſobriè legatur vel audiatur.* Quomodo & Hieronymus ῥητῶς in Chronico, *Machabæorum libros inter diuinas Scripturas* NON RECIPI ait Et idem in Prouerbia, *Machabæorum libros legit quidem Eccleſia, ſed eos inter Canonicas Scripturas* NON RECIPIT: *legit ad ædificationem plebis, non ad authoritatem Eccleſiaſticorum dogmatum confirmandam.* Idémque in prologo Galeato, Machabæorum libros in Canone non eſſe ſatis teſtatur. Sed & Rufinus *in expoſitione ſymboli*, LEGI *quidem in Eccleſiis voluerunt, non tamen proferri ad authoritatem confirmandam.* Græci dicerent βίβλον οὐ πεπιστευμένην. Sic liquet, quatenus Machabæorum libros ἀποδοχῆς ἀξίους, ſeu *recipiundos* Catholici Scriptores quidam olim cenſuerint : etſi Philoſtorgius, de Ario & Eunomio totus, librum primum Machabæorum ἀποδοχῆς πάσης ἄξιον cenſuiſſe videatur. ¶ Ἀποδοχῆς porrò iſtius *cauſas* duas reddit Philoſtorgius : Priorem, quod

quod primus ille Machabæorum liber prophetiis Danielis conſentientia narret, συνᾴδοντα διηγούμενον ταῖς τοῦ Δανιὴλ προφητείαις : quod quidem verum eſſe vel eius lectio teſtatur : vtiliſſimus quippe is ad ea explicanda quæ habentur in prophetia Danielis, *cap.* 7. 8. 11. de cornu illo, à quo ſanctuarium profanatum eſt : nam cornu illud fuit Antiochus, cuius flagitia omnia ſic explicantur primo hoc & ſecundo Machabæorum libro, quæ memorantur à Daniele Propheta, vt etiam tempus ipſum & dierum numerus, quem Daniel ſignificat, apertiſſime rei veritati reſpondiſſe doceatur. Hæc igitur cauſa, cur hiſtoriam iſtam tanti fecerint patres. Alteram τῆς ἀποδοχῆς rationem addit Philoſtorgius, quod λίαν πραγματικῶς narret, quomodo hominum malitia Iudæorum res attritæ fuerint, quomodo viceuerſa virorum quorundam virtus eas rurſùm erexerit, templúmque Hieroſolymitanum Gentilium piaculis & inquinationibus repurgatum fuerit. Sic ſanè Auguſtinus, *dicto loco de Ciuitate Dei*, Machabæorum libros pro Canonicis ab Eccleſia haberi dicit, *propter quorundam Martyrum paſſiones vehementes atque mirabiles, qui antequam Chriſtus veniſſet in carnem vſque ad mortem pro Lege Dei certauerunt, & mala grauiſſima atque horribilia pertulerunt.* Et iterùm ſuperius iam laudato loco, *contra Gaudentium*, Machabæorum ſcripturam ab Eccleſia receptam non inutiliter dicit, ſi ſobriè legatur vel audiatur, *maximè propter Machabæos qui pro Dei Lege ſicut veri martyres à perſecutoribus tam indigna atque horrenda perpeſſi ſunt.*

Quomodo & Gregorius M. *moral. in Iob. lib.* 19. *cap.* 17. teſtimonium ex Machabæorum libris proferens, ait diſertè, *teſtimonium ſe proferre ex libris licet non Canonicis, ſed tamen ad plebis ædificationem editis.* Addamus, & ad aliquam libri primi Machabæorum ἀποδοχὴν & commendationem, quod is Hebraicus reperiretur, teſte Hieronymo *prologo galeato in libros Regum.* Et hæc quidem de primo Machabæorum libro quem Philoſtorgius ἀποδοχῆς ἠξίου: quémque etiam hodie maioris alicuius fidei quàm cæteros & dignitatis eſſe definiunt qui Machabæorum alioquin libros in totum in canonem referendos negant. *Secundi* Machabæorum libri, alium quam primi auctorem facit ῥητῶς Philoſtorgius: Quod & ipſum Interpretes hodie rectè notant. Addítque, ſynopſin ſeu breuiarium eſſe eum quinque librorum Iaſonis Cyrenæi: Quod poſtremum certe ipſemet diſertis verbis præfert *cap.* 2. *v* 19 &c. De hoc verò ſecundo libro quid ſenſerit Philoſtorgius non hîc exprimitur à Photio, num videlicet & eum ἀποδοχῆς ἄξιον censuerit: Vterque certè inter Canonicos haberi cœpit, concilio iam Carthaginienſi, ſi fides Latinæ editioni, nam Græci codices nil tale habent, ut nec Creſconii collectio. Et ſanè Philoſtorgij quoque hæc ſententia fuiſſe videtur. *Tertium* Machabæorum librum ait Photius, Philoſtorgium improbaſſe (ἀποδοκιμάζειν) eúmque *portentoſum* vocaſſe τερατῶδες βιβλίον. Et in canonibus tamen Apoſtolorum qui Clementi tribuuntur, *can.* 84. & apud Balſamonem *can.* 85. videas & hunc tertium Machabæorum librum inter

ἐσβώσ-

σεβάσμια καὶ ἅγια numerari. Huius ſanè tertij libri meminit quoque ſiue Euſebius ſiue Hieronymus *Chronico num.* 1796. in rebus Ptolemæi Philopatoris Regis Ægyptii, ad cuius tempora is pertinet: poſitúſque is adeò tertio loco ἀντεστραμμένῃ τάξει, cùm tempore prior ſit, quod & Græca in Euſebij Chronico monent. Quarti tandem Machabæorum libri (quem Euſebius *lib.* 3. *Hiſtor. Eccleſ. cap.* 9. οὐκ ἀγεννὲς σπούδασμα, Hieronymus *valde elegantem* vocat) Philoſtorgius Ioſephum diſertè authorem facit: in hoc, vt Photius notat, aliis συνομολογῶν: Hieronymus certè *de Scriptorib. Eccleſ.* & *lib.* 2. *contra Pelagium*, paulò laxius, vt mitius dicam, *Machabæorum hiſtoriæ ſcriptorem eum ferri dixit*: Euſebius contrà *lib.* 3. *hiſtor. Eccleſ. cap.* 10. hunc Ioſephi librum, qui & ipſe Machabæorum ab aliis inſcribitur, & verò quartus inter Machabaicos à Philoſtorgio nominatur, à libris Machabæorum diſtinguit: cuius verus titulus eſt, περὶ αὐτοκράτορος λογισμοῦ: cuius meminit & Gregorius Nazianzenus *Orat.* 22. *in Machabæos.* Et hæc quidem de Machabæorum libris: quæ Photius ideo tanquam ſingularia, vel ab aliis ſuove partim ſæculo diuerſa, excerpendo notare voluit: Quæque adeò deinceps vſurpari poterunt, ad partitiones ſeu diſtinctiones varias librorum qui ſub Veteris Teſtamenti appellatione ambulant.

Cur autem hoc Hiſtoriæ ſuæ initio Philoſtorgius in hunc de Machabæorum libris ſermonem ingreſſus ſit, non expediunt hæ Photij ἐκλογαί: Verum coniectura in procliui, *Præfationis*, quam hiſtoriæ ſuæ Eccleſiaſticæ

Philoſtorgius præmiſerat, hoc ſegmentum eſſe: vbi videlicet is recenſere inſtituerat, rerum Eccleſiaſticarum, qui paulo ante Saluatorem noſtrum, vel deinceps poſt exhibitum eum, extitêre, ſiue Iudaicæ ſiue Chriſtianæ Eccleſiæ ſcriptores: tùm eos qui expreſſe eas διὰ πλείονος τοῦ πλάτους ſcripſerant, tùm qui βραχέως παρενθήκῃ τοῦ ἰδίου λόγου memorarunt: vt ex altero inſuper Philoſtorgij ſegmento, quod Suidas habet, *in voce* Φλέγων, quódque adeò huic coaſſandum venit, diſcere licet, quod in ſupplementum ſex priorum Philoſtorgij librorum conjecimus. In hoc igitur ſcriptorum cenſu Machabæorum quoque libros Philoſtorgius memorauit, vt & Ioſephum, qui certè διὰ πλείονος τοῦ πλάτους res iudaicas memoriæ conſignauit: Sed & Phlegontem & Dionem, qui βραχέως tantum & παρενθήκῃ τοῦ ἰδίου λόγου, vt apud Suidam dicto loco dicitur. Certe, quod Phlegontem attinet, Trallianum ſcilicet, Auguſti, non Octauij, verùm Hadriani libertum, ſatis quoque aliunde conſtat, eum res Iudaicas Chriſtianorúmque libris ſuis 16. Olympionicorum ſeu Chronicorum indidiſſe: ſic quidem vt libro quartodecimo de terræmotu nominatim & eclipſi tempore paſſionis Dominicæ egerit, quod refert Origenes, *tractatu in Matthæum* 35. & Euſebius *in Chronico*: déque Chriſto & Petro nonnulla attigerit, quod idem Origenes memorat *lib 2. aduerſus Celſum*. De Dionis Caſſij hiſtoriis quoque clarum, ſimili παρενθήκῃ τοῦ ἰδίου λόγου eum res Chriſtianorum & Iudæorum iis delibaſſe. Quod Ioſephum rurſùm attinet, Philoſtorgij de eo judicium eſt apud Suidam *dicto loco*,

loco, eum libris ſuis reformidanti metuentíque ſimilem eſſe ne Gentiles offenderet: ſuſpenſum proinde ex prudentià ſeu œconomià quadam ſtylum Ioſepho tribuit: quomodo diſertè quoque auctor de excidio vrbis Hieroſolym *ſermonum ſobrietatem* ei tribuit. Et quid mirum, cùm is ſub Domitiano Romæ ſcriberet, à quo etiam, vt & ab vxore eius, tot honoribus & beneficiis, quæ & ipſe prædicat, affectus fuerit? Sed & illud præterea, Ioſephum inter, & alios, Phlegontem & Trallianum, diſcrimen addit Philoſtorgius apud Suidam, quòd iſti eorum quæ ad pietatem aliáſque virtutes ducunt nullam rationem habuerint: imò ne tertius quoque quidam, qui alioquin res Iudæorum pluribus & copioſius perſecutus fuerat: quod quidem ego de Thallo vel Iuſto Tiberienſi accipiam, niſi ſi Hegeſippum illum accipiamus, qui de geſtis Iudæorum ſcripſit, inde à Machabæis ad vrbis excidium vſque, qui hodie extat. Atque ita quoque interim locum illum Philoſtorgii, mutilum alioquin vel coruptum, apud Suidam, hac ocaſione illuſtratum volui.

¶AD CAP. II. *De Euſebio Pamphyli.*

Præfatione ſuâ Philoſtorgius, ſicut de aliis Hiſtoricis, è quibus Eccleſiaſticæ hiſtoriæ cognitio hauriri poteſt, egerat, ita & de *Euſebio* nominatim, Pamphyli Cæſareæ Paleſtinæ Epiſcopo egit: de quo & cæteri fermè hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptores, commentationum ſuarum initio agunt, eúmque ſibi velut hiſtoriæ Eccleſiaſticæ parentem principémve proponunt, vel certe

velut limitem, à cuius fine hiſtoriæ ſuæ initium ipſi ducunt, figunt: veluti Socrates, *lib.1.cap.1.* Theodoretus *lib.1.cap.11.* Sozomenus *lib.1. cap.1.* Eodem proinde more finéque & quartus hic Philoſtorgius noſter de *Euſebio* hic agit. Quod etiam de his quatuor exertè tradit Nicephorus *lib.1.cap.1.* τὸ πέρας ἐκείνου τὴν ἀρχὴν τῆς ἰδίων πεποιημένοι πραγματειῶν Quibus addendus & Euagrius *lib.1.cap.1.* ¶ Iudicium porrò ſuper Euſebio ſuum hoc initio expromſit Philoſtorgius: laudato eo tùm in aliis tùm in hiſtoriâ ſuâ, quomodo etiam Sabinus Macedonianus olim fecerat in collectione ſuâ Synodorum, vt teſtatur Socrates *lib.1. cap.5. pag.508.* qui certe eum σοφὸν καὶ ἀξιόλογον μάρτυρα vocauit, etſi in hiſtoriâ Concilii Nicæni eum rejiciat imperitúmq; vocet Sabinus ille *d.p.508.* & rurſùm *p.515.* Itidem & Philoſtorgius quoq; nunc, etſi Euſebium quo ad hiſtoriam laudet, in negotio tamen religionis eum reprehendit, & immeritò quidem, quod Photius hîc indicatum voluit, cùm eum ἀσεβῆ vocauit. Et Euſebii errorem inter alios deſignat, quod dixerit, ἄγνωστον τὸ θεῖον καὶ ἀκατάληπτον, *Deum cognoſci & comprehendi non poſſe.* In quo Philoſtorgius Anomœum ſeſe ſeu Eunomianum aperte profitetur: Iſtud enim Eunomij & Anomœorum delirium fuit, Deum Deíque ſubſtantiam, cognoſci & comprehendi ab hominibus optime poſſe, non minùs quàm quis ſemetipſum cognoſcat, imò melius, Deúmque ſe non fidei modo intelligentia, verùm & animo proinde concipere vt quilibet ſpectabilia iſta & tractabilia cognoſcit, vt lignum, lapidem &c. de quo vide Epiphanium,

nium, *hæreſi Anomæorum 76.p.916.989.990.991.* Baſilium, *libris contra Eunomium* & *ep.* 168. Hieronymum 2. *in Matthæum cap.* 11. Chryſoſtomum περὶ ἀκαταλήπτου *aduerſus Anomœos tomo 6. Saui:* Eiuſdem *homil.* 5. περὶ ἀκαταλήπτου, *tomo* 1. *Pariſ. à pag.* 294. Theodoritum 4. *hæreticarum fabularum:* Proclum *epiſt. ad Armenios :* Eodémque nomine Arium Philoſtorgius quoq; reprehendit, pariter vt hic Euſebium, ducem alioquin ſuum, infrà *lib.* 2. *tm.* 4. & iterùm *lib.* 10. *tm.* 2. quem ideò hâc parte ἀτόποις ἐνέχεσθαι ait. Ergo & Euſebium Cæſarienſem quoque eo nomine notauit Philoſtorgius. Neque eo nomine ſolum, ſed & in aliis ſimilibus Euſebium peccare ait Philoſtorgius, ἀλλὰ καὶ ἄλλα τοιαῦτα φησὶν αὐτὸν πλημμελεῖν. Quod quidem de iis ſententiis quæ apud Euſebium occurrunt ad Arianiſmum inclinantibus & incommodis accipiendum minime eſt (de quibus nos infrà *tm.* 8. *huius libri*) vt pote cùm Philoſtorgius noſter de Ario ſapiat : Imò contra de iis quæ aliquantum ab Arij mente recedere & ad Orthodoxam fidem propius accedere videntur, vt ſunt ea quæ Socrates adfert *lib.* 2. *cap.* 21. ad Euſebium ab Arianiſmo liberandum, quibus eos condemnat qui *Filium creaturam* appellant: etſi ad Orthodoxam Euſebij fidem ea nil faciant, vt *d. tm.* 8. pleniùs. Tandem id quoque notat Photius in Philoſtorgio, quod is Hiſtoriam ſuam ad id vſque tempus deduxerit, quo Conſtantino M. liberi eius ſucceſſerunt. Quod ſanè erroneum eſt, citerius enim Euſebii hiſtoria conſiſtit.

¶Ad Cap. III. *De Alexandri Ep. Alexandrini ordin.*

Hiſtoriam ſeu Hiſtoricas narrationes ſuas iam ingreditur Philoſtorgius: initio videl. ducto, ab *Ario* & *Alexandro*: Quod Photius quoque in Bibliothecâ notauit. Vnde pariter initium fermè ducunt Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ poſt Euſebium ſcriptores alij, Rufinus, Socrates, Sozomenus, Theodoretus, quem vltimum vide non tantum *lib.1.cap.2.* ſed & *ſub finem Hiſtoriæ.* Hæc ſcilicet Epocha quoque Philoſtorgio Ariano propoſita fuit, hic ſcriptionis eius limes, hic terminus. Vbi ſtatim, rem à principio repetens, illud adnititur hoc & proximo capite, vt diſſenſionis in Eccleſia inuidiam, ambitioníſque næuum ab Ario diſpellat, ínque alios, ac nominatim in Alexandrum Ep. Alexandrinum retorqueat, narrationibus nouis, falſiſque, quod & Photius ſtatim initio indicatum voluit, cùm eum δυσσεβῆ vocauit. ¶Ait igitur hoc tmemate, Arium cùm de Epiſcopo Alexandrino eligendo ageretur, ſuffragia καὶ ψήφους τῆς ἀρχιερωσύνης in ſe inclinantia Alexandro vltro ceſſiſſe-donaſſe: cùm contra Hiſtorici alij Arij venenum exortum ex inuidiâ eius ob prælatum ſibi Alexandrum velint, de quo vid. Theodoritus, *lib.1.c.3.* & *lib.3.c.7.* & *hæretic.fab. lib.7.c.de Ario* 1. ſedenim Ariani Ario inuidiam hanc falsò conflatam contendêre, próque ſimultatibus priuatis Epiſcopum Alexandrum rem contentiosè agitaſſe æmulationis ſtimulo confixum, quod Arius apud plebem ſatis carus habebatur, tradidere: teſte Rufino *lib.1.c.11.* & Sozom. *lib.2.c.26.* Neque dubito, Philoſtorgium hæc & ſimilia hauſiſſe ex epiſtolis

epiſtolis tum à parte Arij ſcriptis collectíſq;, ex quibus Socrates diſertè *lib.1.cap.3.in fin.* ſcribit, Arianos, & Eunomianos &c. anſam ad defenſionem ſuam arripuiſſe. Neque enim hæc ad doctrinam pertinent, verùm ad rerum geſtarum fidem, quod tamen Interpres Socratis credidit, vt ex gemino fermè Sozomeni loco liquet *lib.1.c.1. p.*198. Quinimo narrat Niceph. *lib.8. c.5.* Arium ægrè tuliſſe Alexandri ordinationem, addito, ὑπόψηφος γὰρ καὶ αὐτὸς ἐτύγχανεν, i. (non vt Interpres alias malè vertit) *& hunc ſuffragia tuliſſe.* Certe quod contentionem iſtam Alexandrum inter Ariúmque attinet, Conſtantinus ipſemet *epiſtolâ ſuâ* (ſi penitus ea γνήσιος eſt) *ad Alexandrum & Arium,* ipſummet Alexandrum in partem huiuſce mali & contentionis vocat apud authorem vitæ Conſtantini *lib.2. cap.66.67.&c.* & Socratem *lib.1.cap.4.* & vt Sozomenus ait *lib.1. cap.15.* ἐν αἰτίᾳ ποιούμενος Ἀρειόν τε καὶ Ἀλέξανδρον. Illud interim notandum, & Arij initia & Alexandri ordinationem hîc à Philoſtorgio memorari ante Conſtantii Chlori & Conſtantini M. initia, non ſeruato temporum ordine, verùm quia ab Ario & Alexandro Hiſtoriam ſuam ad ſua tempora deduceret, poſt quod de Conſtantino M. eiúſque Patre actum oportuit, etſi eorum initiâ Arium anteuerterent. Certe hactenus rectè Alexandri initia adſignari videntur Anno D. 310.

¶Ad Cap. IV. *De Alexandro Baucali.*

Alterum hoc tmema eſt, quo Philoſtorgius diſſenſionis in Eccleſiâ næuum ab Ario remouere admititur: peculiari pariter narratione, cuius altum apud

omnes alios ſilentium, quod & ideò velut Philoſtorgio peculiare Photius excerpendo indicatum voluit: quod exſcriptum alioquin à Nicephoro Calliſti *lib.8. cap.5. in fin.* tacito tamen Philoſtorgij, vt fermè aliàs, nomine: εἰσὶ δὲ inquit, οἵ φασι. Nempe narrat Philoſtorgius, Alexandrum quendam cognomento *Baucalin*, cùm alterum ab Ario gradum δευτέραν τάξιν teneret, initium diſſenſionis Alexandrum inter Ariúmque feciſſe, ſimùl & prædicationem ὁμοουσίου inde ἐπισχεδιάσαι, i. adinuentam fabricatam, pro quo Nicephorus ſimpliciter πλάσαι. Et explicat id Nicephorus, ſcilicet quod Baucalis iſte prælatum ſibi honore Arium ægre ferens, nouationem dogmatis Ario adſcripſerit, τὸν περὶ τὸ δόγμα ἐπῆγε νεωτερισμὸν ἐκείνῳ; Alexandrúmque Epiſcop. in Arium concitarit: Et ſubjicit Nicephorus iam illa quę apud Sozomenum *lib. 1. cap. 15. pag. 215.* occurrunt, nempe partem Catholicorum & Arianorum à contentione abducere volentem, εἰς ἅμιλλαν λόγων ad collationem ſeu diſputationem inuitaſſe, diſſidium ſopire perſuaſione potius quàm vi cupientem: cúmque multoties diſputando congreſſi fuiſſent, ſicuti fieri adſolet, Epiſcopum Alexandrum nunc huic nunc illi adhæſiſſe: poſtremùm ipſum συναΐδιον καὶ ὁμοούσιον Patri Filium, ita vt antea ſenſerat, palàm pronunciaſſe, eadémque Arium ſentire iuſſiſſe: quod vbi ille vt faceret in animum inducere non potuit, Arium ab eo eiectum. Verùm altum vt dixi de hoc Alexandro Baucali apud alios ſilentium. Illud equidem reperio (quod ad *Baucalis* nomen alludit) quod memorat Epiphanius, *hæreſi*

hæreſi Meletianorum 68. num. 4. & *in hæreſi Arianorum 69. num.* 1. *&* 2. & exinde Nicetas *theſauro orthodoxæ fidei lib.5.cap.4.* Arium ipſum Alexandrinæ cuiuſdam inter alias Eccleſiæ, quæ *Baucalis* dicebatur, preſbyterum fuiſſe, eiúſque Eccleſiæ *Baucalenſis* populum ei adhæſiſſe. Vnde contorta forte ab Ariomanitis fabella, quò penes Baucalin aliquem, & alterum inſuper Alexandrum ſchiſmatis inuidia collocaretur, quæ reuerà penes Arium Baucalenſis Alexandrinæ Eccleſiæ preſbyterum, populúmque adeò eius Eccleſiæ Ario fauentem erat. ¶ Illud quoque nouum hactenùs, quod de *Baucalis* nomine Philoſtorgius adjicit, apud Alexandrinos vas teſtaceum, molémque ſeu gibbum ad eius inſtar in dorſo collectum ita vocari, atque inde Alexandrum illum *Baucalin* dictum. Cuius rei fides penes eum eſto. Certè ab hâc voce non abludit Germanica hodie quâ gibbus ſignificatur. Aliâs Heſychio & ipſi Alexandrino, Βαυκαλᾶν eſt *κατακοιμίζειν, πλωεῖν, παιδία μετ ᾠδῆς κοιμίζειν.*

¶ AD CAP. V. *Conſtantio Chloro & Conſt. M.*

Ad *Conſtantinum M.* iam accedit Philoſtorgius hoc capite & proximo. Ac primò quidem agit de Conſtantio Conſtantini M. patre, déque huius ad patrem in Britanniam ſub tempus mortis eius profectione, & exinde eo Imperatore facto. In quibus omnibus Philoſtorgio conuenit cum aliis ſcriptoribus Paganis, Chriſtianis, Euſebio, *lib.8. hiſt. Eccleſ. c.26.29.* Praxagora *apud Photium*, Eutropio, Auctore vitæ Conſtantini *lib.1.c.13.14.15.* Zoſimo, *lib.2. pag. 672.* In eo quoque, quod narrat de fuga Con-

ſtantini propter Diocletiani inſidias: etſi Politiæ auctor apud Photium *nu.* 25. de Maximiani inſidiis id memoret. Infantiam modò ſuam, vt hîc, ita & alibi haud ſemel prodit Philoſtorgius circa notitiam Occidentis regionum. Nempe enim & hîc Alpes veluti mundi finem aliquem, ſaltem velut περατῶδές aliquid memorat, eáque vnâ re Gallias potiſſimùm cenſet, τῆς ἄνω Γαλατιῶν, ἐν αἷς καὶ αἱ καλούμεναι Ἄλπεις: mox & loca hæc δυσέμβολα καὶ δυσπρόσοδα vocat: Et de Galliis agens τὰς δὲ Γαλλίας, inquit, οἳ νῦν Γαλλίας ὀνομάζουσιν. Quaſi verò non ab antiquo *Galliæ* hæ dictæ fuerint. Sed ſimilis eiuſdem infantia eſt circa Britanniam *hoc ipſo tm.* κατὰ Βρεττανίαν, τὴν Ἀλβίωνος καλουμένην: quaſi verò non Britanniæ nomen hoc æuo obtinuerit, obliterato fermè, Albionis nomine. Simili rurſùm infantiâ, quâ *lib.9. tm.*17. de Hiſpaniâ, τὰς Ισπανίας αἳ νῦν Ἰβηρίας καλοῦσι, τοῦ δὲ αὐτῆς ῥέοντος Ἴβηρος ποταμοῦ τὴν προτέραν ἐκνικήσαντος ὀνομασίαν. Quaſi verò non Hiſpaniæ nomen hoc æuo obtinuerit, imò Ibericum fermè vicerit. Verùm Græculis huius fermè ſæculi Scriptoribus mos hic fuit, vſurpatas iam olim in Græcia priſciſque monumentis inditas locorum gentiúmque appellationes retinere, præferre: quomodo Albionis, Iberiæ, Galatiæ, pro Britannia, Hiſpania, Gallia. De Albione alioquin ita quoque Plinius olim, *Britannia inſula clara Græcis noſtriſq; monumentis, Albion ipſi nomen, cùm Britanniæ vocarentur omnes.* vide & Ptolemæum *lib.5.cap.5.* & 8. *Europæ tab.*1.

¶ AD CAP. VI. *De Crucis &c. viſione.*

De *Crucis* & inſcriptionis circum ea viſione Conſtantino M.

tino M. oblatâ, eſt hoc caput: quam & tempore victoriæ de Maxentio oblatam ait, victoriámque ipſam occaſionem fuiſſe μεταβολῆς conuerſionis Conſtantini ad Chriſtianiſmum, & exinde fidei Chriſtianæ ad alios quoque propagatæ, τοῖς ἄλλοις φλεγομένοις. Quam quidem narrationem exſcribit hinc fermè Nicephorus, *lib.*8. *cap.*3. qui ſimilem alioquin alteram iam ex Socrate fermè memorauerat, *lib.*7. *cap.* 29. Hanc verò viſionem, non Gentiles modò ſcriptores (quod Baronius rectè obſeruauit) nuſpiam memorant, imò ne Publius Optatianus Porphyrius quoque, qui in Dædaleo alioquin opere ſuo *ſeu Panegyrico ad Conſtantinum*, multa habet de Chriſti monogrammate, quod & *cœleſte ſignum* vocat, verùm neque Euſebius ipſemet hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libris: qui illud tantum refert, *lib.* 9. *cap.*8. Conſtantinum ſubſidij ſibi diuinitus allati conſcium, ſtatim paſſionis ſalutiferæ trophæum, ſeu crucis ſignum, Romæ dexteræ ſtatuæ ſuæ imponi voluiſſe, cum inſcriptione præferente, *ſeſe urbem Tyranni iugo liberaſſe*, &c. τούτῳ τῷ σωτηριώδει σημείῳ τῷ ἀληθινῷ ἐλέγχῳ τῆς ἀνδρίας. At de crucis viſione Conſtantino oblatâ nihil Euſebius libris illis: Quod poſteriùs tamen memoriæ proditum paſſim libris de vitâ Conſtantini *lib.* 1. *cap.* 22. & à Rufino *lib.* 9. *cap.* 9. Socrate *lib.* 1. *cap.* 1. Sozomeno *lib.* 1. *cap.* 3. Politiæ auctore apud Photium, *num.* 256. *pag.* 1408. Auctore Chronici Alexandrini, Cedreno, aliis: quibus omnibus deinceps Philoſtorgius hic addendus venit: Quam tamen fabulam ſuſpicatos nonnullos jam olim

Gelaſius Cyzicenus *lib.* 1. *hiſtor. Concil. Nic. cap.* 4. tradit. Certè diuerſimodè hæc viſio narratur (id quod & Photius iſtud excerpendo indicatum voluit, & à Baronio prætermiſſum, qui etiam ſolum authorem vitæ Conſtantini, & Artemium ſuper hac viſione allegat) Auctor quippe vitæ Conſtantini M. vt & Socrates, & ex eo Nicephorus, aiunt, Sole diéque in pomeridianum tempus paulùm inclinante, crucis trophæum ἐκ φωτὸς συνιστάμενον ex lucis ſplendore figuratum in cœlo ſoli imminens conſpectum, ínque eo inſcriptionem συνῆφθαι, Τούτῳ νίκα, vel vt Socrates ait, στῦλον φωτὸς σταυροειδῆ, in quo literæ erant, exprimentes Ἐν τούτῳ νίκα, vocula ἐν amplius additâ, *In hoc vince*, pariter vt apud Philoſtorgium *hîc*, & Rufinum, Politiæque authorem apud Photium. At Sozomenus ex traditione ait, vt & Rufinus, Conſtantinum vidiſſe ὄναρ, *per ſoporem* ait Rufinus, crucis ſigni in cœlo ſplendeſcentis, viſionéque obſtupefacto illi Angelos adſtantes dixiſſe, Ὦ Κωνσταντῖνε ἐν τούτῳ νίκα: mox & alteram Chriſti viſionem oblatam, quæ etiam memoratur in vitâ Conſtantini *lib.* 1. *cap.* 4. & apud Socratem *lib.* 1. *cap.* 1. Sozom. *lib.* 1. *cap.* 3. Atenim Philoſtorgius ita rem narrat: Crucis ſignum in Oriente (quod etiam Rufinus habet) viſum longius diſtentum, ſplendore præfulgido figuram eius exprimente, ſtellíſque eam circumcurſantibus Iridis inſtar, compoſitis ad literarum characterem, quibus exprimebatur *In hoc vince*. Quod quidem, de Iride & ſtellis circumcurſantibus verbíſque illa exprimentibus, vnus ex vetuſtioribus Philoſtorgius habet, & ex eo recen-

recentiores, veluti Nicephorus *dict. lib. 8. cap. 3.* (qui idem & *lib. 7. cap. 29.* narrationi quam ex Socrate alioquin de eadem viſione deſumpſerat, ex hoc loco hæc verba inſeruit, γράμμασι Ρωμαϊκοῖς δι' ἀςέρων ἴσων ἐντυπωθεῖσι.) & Cedrenus quoque *pag. 222.* ἔχων ἐπιγραφὴν δι' ἀςέρων. vt & Zonaras *tomo 3. p. 3.* τύπος αὐτοῦ ςαυρικὸς μεσούσης ἡμέρας δι' ἀςέρων ὤφθη κατ' οὐρανὸν, καὶ γραφὴ περὶ τὸν ςαυρὸν Ρωμαϊκοῖς ςοιχείοις δι' ἀςέρων καὶ αὐτοῖς τετυπωμένοις καὶ φράζουσι, ἐν τούτῳ νίκα. Sic ſane rurſùm idem Philoſtorgius *lib. 3. tm. 26.* belli Magnentiaci tempore, i. A. D. 351. crucis ſignum Hieroſolymis viſum memorat, magna Iride coronæ inſtar vndique eam ambiente. Et rurſum, *lib. 10. tm. 9.* poſt victoriam de Maximo, i. A. D. 389. narrat, aſtrum quoddam in cœlo viſum magnum lucidúmque, & ad id ſtellarum concurſum vndique factum, ſimili ſpectaculo quo apum examen circa ducem volitantium, & exinde congreſſu mutuo velut coacta ex omnibus luce in vnam eluxiſſe flammam, gladiíque formam expreſſiſſe. Ergo verba hæc *In hoc ſigno vince* Philoſtorgius expreſſa fuiſſe ait ex concurſu ſtellarum Iridis inſtar crucis ſignum circumcurſantium, περικύκλῳ ſcil. γραφῇ δι' ἀςέρων, cùm alioquin in ipſamet cruce verba illa fuiſſe dicant author vitæ Conſtantini & Socrates, Sozomenus verò ab Angelis Conſtantino dicta ſcribat: & Artemius tandem apud Metaphraſten & Surium 20. *Octobris*, dicat, ſignum crucis radiis ſolis ſplendidius fuiſſe, literáſque *aureas* fuiſſe belli victoriam ſignificantes. Illud quoque notandum in Philoſtorgio, quod is verba hæc *In hoc vince* lingua

Gelaſius Cyzicenus *lib. 1. hiſtor. Concil. Nic. cap.* 4. tradit. Certè diuerſimodè hæc viſio narratur (id quod & Photius iſtud excerpendo indicatum voluit, & à Baronio prætermiſſum, qui etiam ſolum authorem vitæ Conſtantini,& Artemium ſuper hac viſione allegat) Auctor quippe vitæ Conſtantini M. vt & Socrates,& ex eo Nicephorus, aiunt, Sole diéque in pomeridianum tempus paulùm inclinante, crucis trophæum ἐκ φωτὸς συνιστάμενον ex lucis ſplendore figuratum in cœlo ſoli imminens conſpectum, ínque eo inſcriptionem συνῆφθαι, Τούτῳ νίκα, vel vt Socrates ait, στῦλον φωτὸς σταυροειδῆ, in quo literæ erant, exprimentes Ἐν τούτῳ νίκα, vocula ἐν amplius additâ, *In hoc vince*, pariter vt apud Philoſtorgium *hîc*, & Rufinum, Politiæque authorem apud Photium. At Sozomenus ex traditione ait, vt & Rufinus, Conſtantinum vidiſſe ὄναρ, *per ſoporem* ait Rufinus, crucis ſigni in cœlo ſplendeſcentis, viſionéque obſtupefacto illi Angelos adſtantes dixiſſe, Ω Κωνσταντῖνε ἐν τούτῳ νίκα: mox & alteram Chriſti viſionem oblatam,quæ etiam memoratur in vitâ Conſtantini *lib. 1. cap.* 4. & apud Socratem *lib. 1. cap. 1.* Sozom. *lib. 1. cap.* 3. Atenim Philoſtorgius ita rem narrat: Crucis ſignum in Oriente (quod etiam Rufinus habet) viſum longius diſtentum, ſplendore præfulgido figuram eius exprimente, ſtellíſque eam circumcurſantibus Iridis inſtar,compoſitis ad literarum characterem, quibus exprimebatur *In hoc vince.* Quod quidem,de Iride & ſtellis circumcurſantibus verbáque illa exprimentibus,vnus ex vetuſtioribus Philoſtorgius habet,& ex eo recen-

recentiores, veluti Nicephorus *dict.lib.8.cap.3.* (qui idem & *lib.7. cap.29.* narrationi quam ex Socrate alioquin de eadem viſione deſumpſerat, ex hoc loco hæc verba inſeruit, γράμμασι Ρωμαϊκοῖς δι' ἀςέρων ἴσων ἐντυπωθεῖσιν.) & Cedrenus quoque *pag.* 222. ἔχων ἐπιγραφὴν δι' ἀςέρων. vt & Zonaras *tomo* 3. *p.* 3. τύπος αὐτῷ ςαυρικὸς μεσούσης ἡμέρας δι' ἀςέρων ὤφθη κατ' οὐρανὸν, καὶ γραφὴ περὶ τὸν ςαυρὸν Ρωμαϊκοῖς ςοιχείοις δι' ἀςέρων καὶ αὐτοῖς τετυπωμένοις καὶ φράζουσιν, ἐν τούτῳ νίκα. Sic ſane rurſùm idem Philoſtorgius *lib.3.tm.26.* belli Magnentiaci tempore, i. A. D. 351. crucis ſignum Hieroſolymis viſum memorat, magna Iride coronæ inſtar vndique eam ambiente. Et rurſum, *lib.10.tm.9.* poſt victoriam de Maximo, i. A. D. 389. narrat, aſtrum quoddam in cœlo viſum magnum lucidúmque, & ad id ſtellarum concurſum vndíque factum, ſimili ſpectaculo quo apum examen circa ducem volitantium, & exinde congreſſu mutuo velut coacta ex omnibus luce in vnam eluxiſſe flammam, gladiíque formam expreſſiſſe. Ergo verba hæc *In hoc ſigno vince* Philoſtorgius expreſſa fuiſſe ait ex concurſu ſtellarum Iridis inſtar crucis ſignum circumcurſantium, περικύκλῳ ſcil. γραφῇ δι' ἀςέρων, cùm alioquin in ipſamet cruce verba illa fuiſſe dicant author vitæ Conſtantini & Socrates, Sozomenus verò ab Angelis Conſtantino dicta ſcribat: & Artemius tandem apud Metaphraſten & Surium 20. *Octobris*, dicat, ſignum crucis radiis ſolis ſplendidius fuiſſe, literáſque *aureas* fuiſſe belli victoriam ſignificantes. Illud quoque notandum in Philoſtorgio, quod is verba hæc *In hoc vince* lingua

Romana expreſſa ῥητῶς ſcribit, cùm tamen id non ita exprimant alij. In illo quoque differentia inter ſcriptores intercedit; quod Auctor vitæ Conſtantini à toto exercitu id viſum tradit, vt & Socrates ὑπὸ τῶν παρόντων, ipſéque Artemius & αὐτόπτην ſeſe fuiſſe literáſque legiſſe, totúmque exercitum contemplatum adſerit: Et Philoſtorgius noſter in genere ὤφθη. Atenim, vt dixi, & Rufinus *per ſoporem* oblatam ei hanc viſionem dicit: & Sozomenus ὄναρ iſtud Conſtantino oblatum ſcribit, etſi mox auctoris vitæ Conſtantini verba quoque apponat. Diſcrimen & circa tempus: Philoſtorgius ait, ipſo victoriæ de Maxentio tempore crucis ſignum apparuiſſe, alij ante viſum ſcribunt, cùm ſcilicet is inſtitueret bellum aduerſus Maxentium, & aliquò profectus fuiſſet: eáque occaſione multa à Conſtantino facta, & inter alia quoque ſignum crucis effectum, & exercitui prælatum, de quo nihil Philoſtorgius hoc loco. Differentia denique in eo, quod Philoſtorgius victoriam de Maxentio cauſam fuiſſe μεταβολῆς Conſtantini dicat: cùm alij ante victoriam Conſtantinum Chriſtianum fuiſſe adſerant. ¶ Cæterum neque illud omittendum, quod Nicephorus ſcribit *lib.7. cap.47.* poſt Licinium quoque deuictum cum Byzantium oppugnaturus eſſet, ſimilem viſionem oblatam Conſtantino: καὶ σταυρὸς πάλιν ἀπὸ ἀστέρων ἐστηριγμένος ἐν οὐρανῷ, καὶ γραφὴ περικύκλῳ ταῦτα διαγορεύουσα, ἐν τούτῳ τῷ σημείῳ πάντας νικήσεις τοὺς πολεμίους. Imo idem & tertiò bello Scythico idem ſignum ei oblatum memorat *lib.7. cap.49.*

¶ AD

¶Ad Cap. VII. *De decr. ante Syn. Nic.*

Ante Synodum quoque Nicænam ὁμοούσιον ſtabilitum, Ariúmque in Synodo damnatum, ait Philoſtorgius ab Alexandro Epiſc. Alexandrino. De quo aliunde quoque patet: vt & de Oſij Epiſc. Cordubenſis in Ægyptum & Alexandriam legatione rebúſque ab eo aduerſus Arium geſtis. Atenim quod Philoſtorgius ait, id factum in concilio Nicomedienſi, cùm eò Alexander veniſſet, ibidémque in Oſium incidiſſet, id nuſpiam alibi memoratur. Et verò Photius id excerpendo tanquam Philoſtorgio peculiare hîc indicatum voluit. Et quomodo id verum eſſe poſſit, quando & Nicomedia extra diœceſin Alexandri fuerit, & in eâ vrbe Euſebius Epiſc. Nicomedienſis Ario ſuffragabatur, Arióque Topanta erat? Cæteríque ſcriptores id indubiè Alexandriæ factum ſcribant. Vide vel Socratem, *lib.1. cap.4. & 6.*? Certe, quod *Nicomediam* attinet, duo circa hæc tempora reperio ibi tranſacta ante Synodum Nicænam quæ ad Arium pertinent, verùm neque ab Alexandro neque ab Oſio, imò vnum ex his etiam pro Ario. Primò ſcilicet ita comperio, Arium ab Alexandro Eccleſia eiectum Palæſtinam primùm, dein Nicomediam Bithyniæ profectum, literas ex eâ vrbe ad Alexandrum dediſſe, quibus in propoſito errore perſtitit, vt memorat Epiphanius, *hæreſi Meletianorum 68. pag.720.* & *Arianorum 69. pag. 730. 732.* paulóque poſt habitam Synodum: Imò Sozomenus *lib.1. cap. 14. circa fin.* & ex eo Nicetas, *in theſauro orthodoxæ fidei, lib.5. cap.4.* memorant, cùm Arius in ſe de-

creta factáque ad Euſebium Nicomedienſem ſcripſiſſet, coactam Synodum in Bithyniâ, ait Sozomenus, (addit Nicetas Nicomediæ ex CCL. qui eò conuenerunt) Euſebiúmque cum Epiſcopis ad vniuerſos Epiſcopos, vt cum Ario tanquam cum Orthodoxo communicarent, quos tamen vt id facerent adducere non potuerit, & cùm Euſebiani inſtarent, accito Ario & excommunicato Alexandro Alexandriæ Epiſc. ὁμοουσίῳ hæreſin anathemati ſubjeciſſe: Ariúmque ibi animum reſumpſiſſe, &c. A quâ Synodo Nicomedienſi diſtinguenda proinde fuerit altera quæ è totidem CCL. conflata, habitáque poſt Synodum Nicænam: de qua *inf. lib. 2. tm. 7.* cùm contra Philoſtorgius hic ſcribat, ante Synodum Nicænam, Alexandrum Nicomediæ in Synodum conueniſſe, ibíque decretum de ὁμοουσίῳ prædicando, & Ario condemnando factum, quæ planè contraria ſunt. Secundò & illud proditum, Conſtantinum M. diſſidio ob Arium ſopiendo incubuiſſe, cúmque ad Nicomedienſem ciuitatem aliquando veniſſet (de quo Conſtantini Nicomediam aduentu vide & Socratem *lib. 1. cap. 3. pag.* 501. vt cæteroquin hoc tempore Nicomedia fermè Imperatorum in Oriente regia ſeu ſedes erat) & in Euſebium Epiſcop. Nicomedienſem qui apud ipſum plurimum poterat, incidiſſet, in Orientem vlterius perrecturum quoque eo fine fuiſſe, niſi inde retractus fuiſſet: quod ipſemet Conſtantinus teſtatur literis quas poſteà ad Alexandrum & Arium ſcripſiſſe memoratur apud auctorem vitæ Conſtantini *lib. 2. cap. 70.* & ex eo apud Socratem *lib. 1. cap. 4.* quod

Quod quidem nonniſi poſt Licinianum bellum confe-ctum accidiſſe oportet, quando exinde tantum Conſtantinus Nicomediâ potitus eſt, cùm ad eam vrbem A. D. 323. victoriam obtinuiſſet, de quo alibi. Quod *Oſium Cordubenſem* attinet, illud quoque certum, eum à Conſtantino M. componendo Arij diſſidio, (cum literis illis quas dixi Nicomediæ ſcriptis) in Orientem & Ægyptum miſſum: quod Socrates disertè ſcribit, *lib.*1. *cap.* 4. (& ex eo Nicephorus *lib.*8. *cap.*53.) & Sozomenus, *lib.*1. *cap.*15. *&* 16. Imò & Theodoretus *lib.*1. *cap.*7. & Auctor vitæ Conſtantini *lib.*2.*cap.*2. *& vlt.* qui etſi Oſij nomen non exprimant, attamen ſuis notis eum deſcribunt. Imò & idem Auctor vitæ Conſtantini *cap.*5. irritum hâc in re conatum Conſtantini memorans ait, neque Imperatoris, neque Oſij authoritate promotum: Quâ in re etiam omni, ſicut vitæ Conſtantini Author, ita & Socrates, *dict. lib.* 1. *cap.*4. *&* 5. *& lib.*3. *cap.*5. & Sozomenus, & Nicephorus, & Nicetas *duobus locis*, vetuſtiores ſecuti, Oſium à Conſtantino πρῶτος miſſum ſcribunt, & ad eum irritâ legatione reuerſum: quem tamen Baronius à Sylueſtro Papâ miſſum mauult *A.* 318.*num* 88.89. & *A.*316. *num.*22. 23. 24. 25. 26. de cuius argumentis alibi viderimus. Secundò & illud reperio, Alexandrinæ nominatim Synodo, de quâ modo Oſium adfuiſſe, imò præfuiſſe, in quâ & Colluthus in ordinem redactus eſt, teſte Athanaſio *Apol.* 2. & quædam contra Sabellianos definita, teſte Socrate, *lib.*3. *cap.*5. (ne quid nunc dicam de Oſij præſentia in Concilio Nicæno) propter quæ Oſium pro

Ægyptio habitum, & verò à Zoſimo vocari, quis credat, propter ingentes videlicet labores in Ægypto exantlatos: niſi malimus credere, Oſium Ægypto oriundum fuiſſe, quomodo & Oſius quidam Comes S. L. mox & Magiſter officiorum Ægyptius ſub Arcadio occurrit apud Claudianum, & in *Cod. Theod. A. D.* 395. 396. 398. Hæc inquam ita comperio, & de Nicomedia & de Oſio in rebus Arij: quæ tamen omnia ab hac Philoſtorgij narratione plurimùm recedunt. Et profectò haud immeritò credat quis, hæc ab Ariomanitis effecta, vt ita Catholicorum querelis hæc opponerent, qui Nicomedienſi potiſſimum Epiſcopo Arianorum ſignifero, anteſignano, quíque apud Arium ὅλος ὑπῆρχεν, vt Epiphanius teſtatur, Synodóque Nicomedienſi, Arij Arianæque hæreſeos defenſionem adſcribebant, Nicomediámque adeò totius mali officinam τῆς ἀσεβείας ἐργαστήριον quiritabantur: & ſic vt penes Alexandrum Oſiúmque diſſidij inuidiam collocarent.

¶Ad Cap. VIII. *De Nicæna Synodo.*

Ad ipſammet *Concilij Nicæni* hiſtoriam hoc & duo ſequentia capita pertinent: quibus addendum & quartum inſuper, quod *initio libri ſecundi* occurrit, ſed & quintum quod eiuſdem *libri tm.* 7. continetur. Et iſtud quidem tmema eſt, de Epiſcopis Arianis, qui Synodo Nicænæ interfuerunt, quorum recenſum inſtituit Philoſtorgius: Exemplo videlicet & æmulatione Catholicorum ſcriptorum, qui & ipſi vel Epiſcoporum, vna cum vrbium ὀνομασίαις, omnium catalogum ſcriptis ſuis exhibuêre, veluti

veluti Athanaſius in συνοδικῷ, vel illuſtriorum ſaltem in eâ Synodo Epiſcoporum nominatim recenſum agunt, laudéſq; decantant, & in his Oſij, Paphnutij & Spiridionis velut eximiorum, etſi inter hæc Arianorum quoque potiores memorent: vide Socratem *lib.1.c.5.9.* Theodor. 1.*cap.7.* Sozom. *lib.1.cap.16.* ¶ Cæterùm ampliorem longe ex hoc Philoſtorgij libro primo recenſum refert Nicetas, *theſauro orthod. fid.lib.5. cap.7. in fin.* quàm epitome hæc Photiana habet, loco qui inter ſupplementa Philoſtorgiana habetur. ¶ Igitur viginti duos Epiſcopos qui in Synodo Nicæna ab Ario ſteterunt memorauit Philoſtorgius, referente Niceta; & quidem, vt repeto, ex octo prouinciis: ex *Libya ſuperiore* ſex, ex *Aegypto* vnum, è *Palæſtinâ* duos, è *Phœnicia* totidem, è *Ciliciâ* tres, è *Cappadocia* tres, è *Ponto* duos, ex *Bithyniâ* tres: vt proinde hæ octo prouinciæ fuerint, quas iam tum Arianum virus perfuderat, continuo videlicet tractu ſitúque à Libya ſuperiore Bithyniam vſque: è quibus viginti duos Epiſcopos qui Synodo Nicænæ interfuerunt, memorauit Philoſtorgius: cùm tamen Rufinus *lib.10. cap.5.* vt & acta Synodi Nicænæ ſeptemdecim tantum memorent, Niceta quoq; referente, *d.lib.5.cap.7.* Nos de ſingulis nunc fermè, intra modum tamen, videamus, quantum videlicet illuſtrando huic loco ſufficit. ¶ Primus, ordine locorum ſeruato, ex Arianis qui concilio Nicæno interfuerunt memoratur *Sentianus Boræi* ex Libya ſuperiore, qui certè inter Epiſcopos & quidem prouinciæ Libyæ qui Synodo Nicænæ ſubſcripſerunt, non apparet. *Boræum*

porrò Cyrenaicæ Libyæ promontorium fuit ad Syrtim maiorem, Ptolemæo teſte, pariter vt Berenice & Arſinoe, de quâ mox. ¶ Secundus, ex eadem Libya *Dachius Beronices* nominatur, qui *Dathas* vel *Dathes Berenices* inter Epiſcopos prouinciæ Libyæ in ſubſcriptione concilij Nicæni dicitur: imò & in nonnullis codicibus *Dachis*, *Beronice* autem ſiue Berenice hæc vrbs Libyæ fuit, vna è quinque in Pentapolitana, alio nomine Heſperides, à Ptolemæo collocatur. In Itinerario Peutingeriano, *charta E extrema* ſcriptum, *Bernicide portum*, pro *Beronicide portum:* vt *in charta* F ſimiliter *Pernicide portum*, pro *Beronicide.* Mentio eius quoque apud Plinium *lib.5. cap.5.* Ammianum Marcellinum *lib.22.* in Itinerario Antonini, & apud Stephanum, *de vrbibus.* ¶ Tertius ex eâdem Libya nominatur *Secundus Teuchirorum* : pro quo ſubſcriptio concilij Nicæni habet, *Secundus Taurinenſis* vel *Tauritanenſis prouinciæ Libyæ :* Vbi reſcribendum *Tauchiranenſis :* nam *Tauchira* & *Teuchira* promiſcuè dicta: Sic ſanè quoque in optimo Itinerario Peutingeri, *Tauchira*, & apud Stephanum pariter Ταύχειρα πόλις Λιβύας. Marcellini locus *dict. lib.* 22. hic apponendus eſt. *In Pentapoli Libya Cyrene & Ptolemais, & Arſinoë (eademq́ Teuchira) & Darnis & Berenice, quas Heſperides appellant.* De eâdem vide & Syneſium *ep.3.* ¶ Quartus ex eadem Libya memoratur *Zopyrus Barces*, qui in concilio Nicæno ſubſcriptus apparet inter Epiſcopos prouinciæ Libyæ, ita, *Zephyrius Barces.* Barce autem Libyæ vrbs Ptolemæo, Plinio. Apud Athanaſium *ad ſolitar. vit. ag. pag. 660.* memoratur quoque Secundus quidam

quidam Barcæ preſbyter. ¶ Quinto ſextóque loco ex eadem Libya inter Arianos ſtetiſſe in Synodo Nicæna dicuntur, *Secundus Ptolemaidis* & *Theon Marmaricæ*, quod & aliunde notum: vide vel Theodor. 1. *cap.* 7. *in fin.* & ſubſcriptionem Concilij Nicæni, vbi inter Epiſcopos prouinciæ Ægypti Secundus hic Ptolemaites ponitur: de hoc infrà quoque hoc ipſo libro, *tm.* 9. *&* *lib.* 2. *t.* 1. 3. *&* *lib.* 3. *tm.* 19. 20. de Theone *dict. tm.* 9. *&* *lib.* 2. *t.* 3. ¶ Septimus *Melitius* ex Thebis Ægyptis memoratur. Meletius verò hic ille eſt, qui Græcis fermè Μελίπος, in Thebaide Epiſcopus Lyci dicitur: de quo multa in Concilio Nicæno: Lycus enim illa in Thebaide Ægypti prouincia fuit, ſed non Thebæ ipſæ, neque Meletius Thebaidis vrbis Epiſcopus fuit, verùm in Thebaide regione Lyci: Culcitanus quippe tùm Thebaidi vrbi ipſi præerat, teſte Epiphanio *hæreſi Meletianorum* 68. *numer.* 1. Sic quoque Epiphanius de Melitio *hæreſi Arianorum* 69. *num.* 3. Μελίπος ὁ τῆς Αἰγύπτου ἀπὸ Θηβαΐδος δοκῶν εἶναι καὶ αὐτὸς Ἀρχιεπίσκοπος: & mox, ὁ Ἀρχιεπίσκοπος Μελίπος ὁ κατὰ τὴν Αἴγυπτον. Thebæ porrò ipſæ & Dioſpolis dictæ: vide Ptolemæum *lib.* 4. *cap.* 5. Itiner. Peutinger. Notitia Imperij. *ſub Duce Thebaidos.* LYCO, *Hermapoli*, *Tentyræ*, *Copto*, DIOSPOLI, *Lato*: & poſt, *Syene*, *Copto*, *Filis*, THEBIS. Caſſianus quoque *lib.* 4. *de inſtitutis renunciantium*, *Lycum in extrema Thebaide eſſe* ait. Stephanus duas Lycos nominat, vnam in nomo Lycopolite Ægypti, alteram maritimam in nomo Sybennite, quarum illam hùc traho. Hunc igitur Melitium Arianis quoque accenſet hîc Philoſtor-

Dd 2

gius: & certe etſi Melitius hæreticos Arianos primus detexiſſe dicatur ab Epiphanio *hæreſi Melitianorum 68 pag. 719.720.* Meletiani his poſteà ſociati fuêre. Quod autem Philoſtorgius eum Synodo Nicenæ interfuiſſe ait, id verum eſſe poteſt: Certe & Synodicæ literæ à Concilio Nicæno ad Alexandrinos datæ durante adhuc Synodo apud Theodoretum *lib.1. cap.9.* oſtendunt, eum tum ſuperſtitem fuiſſe: vt proinde quod longe ante Concilium Nicænum mortuum eum indicat Epiphanius, *hæreſi Arianorum 69.num.4.* plane erroneum ſit. Mortuus enim hic videtur, vel durante adhuc Synodo, vel ilicò poſt: Certe Concilio Nicæno hodie ſubſcriptus non reperitur. ¶Octauus ab Arrianorum parte Synodo Nicænæ interfuiſſe dicitur à Philoſtorgio *Patrophilus Scythopoleos* ex Palæſtinâ: quod vel ex Theodoreto quoque patet, *lib.1. cap.7. in fin.* qui & ſubſcriptus Concilio Nicæno reperitur: de quo infrà quoque *lib.4.t.10.* ¶ Nonus ex eadem Palæſtina *Euſebius Pamphyli* Cæſarienſis Epiſc. inter Arianos numeratur: qui & ſubſcriptus Synodo Nicænæ reperitur. Hoc proinde iam Philoſtorgij teſtimonium de Euſebio Cæſarienſi Ariano tot aliis veterum teſtimoniis deinceps accedere poterit: in quibus ſunt Euſtathius Antiochenus, apud Socratem, *lib.1.c.23.* Marcellus Ancyræ, apud Euſebium ipſum *lib.1.contra Marcellum cap. 4.p.27.* Epiſcopi Aegyptij, in libello propoſito in Synodo Tyriâ, quem refert Athanaſius *Apolog.2. pag.618.* Sardicenſe concilium, in encyclica apud eundem Athanaſium, *dict.Apolog.pag.594.* Athanaſius, *de decretis Synodi Ni-*

cænæ

tenæ pag. 422. 423. & *lib. de Synodis Arimini & Seleuciæ p.* 683. & *epiſt. ad Africanos :* Hilarius *ad Conſtantium :* Baſilius *de Spiritu ſancto cap.*25. Epiphanius *hæreſi* 68.69. Hieronymus *apolog. contra Rufinum*, & *epiſt.*65. & 152. & *lib. contra Rufinum* 1. *cap.* 2.3. *lib.*2. *cap.* 4. *lib.*3. *cap.*1. ad *Cteſiphontem aduerſus Pelagium :* ad *Pammachium & Oceanum de errorib. Origenis:* Theodoretus, *lib.*1 *cap.*5.6.12.13.21.28. & *lib.*2. *cap.*8. Sozomenus *lib.*1. *cap.*20. & *lib.*2. *cap.* 17.18.19.24. *lib.*3. *cap.*5. Theodoretus Mopſueſtænus apud Nicetam *theſ. orthod. fid. lib.*5. *cap.*7. Suidas *in v.* Εὐσέβιος, Gregorius Syncellus, Secunda Synodus Nicæna, Photius *in Biblioth. num.* 5.9.13.163. Zonaras *tomo* 3. *p.*9 Nicephorus, (qui alibi tamen eum Arianiſmo purgatum vult *lib.* 8. *cap.* 21.) ſibi contrarius *lib.*6. *cap.*37. *lib.* 8. *cap.*18.45. Quibus omnibus & compluribus aliis accedat deinceps & hic Philoſtorgius noſter. Sed quid aliunde teſtimonia conquirimus, cum ipſemet fidem ſuam ſatis prodat? Quid? non libri *Demonſtrat. Euangel.* pleni ſunt parum orthodoxarum ſententiarum, quod Billius rectè obſeruauit 1. *obſeruat.*23.? Non, *lib.*4. *cap.*2. Filium Patris δημιούργημα & Patris ὑπηρέτην vocat? Eodémque *libro cap.* 3. & 8. Filium ὕστερόν τι à Patre docet, item ὑστερούμενον conſilij & poteſtate Patris? Quod Pater προϋπάρχει, προϋφίστηκει Filio ante ipſius generationem: quod cauſa ſit conſtitutionis Filij, quod Filius ab ipſo procedat tanquam à cauſa ſua. Et *lib.*5. *cap.*1. Filium ſecundam cauſam vocat: & *cap.*2. quod Deus filium honoret ſecundo ſceptro: & *cap.*3. vocat Filium ſecundum Dominum: & *cap.*4. eum δευτερείων ἠξιῶσθαι: Item vnum ſolum verum

Deum, quíque ita propriè appelletur, Patrem eſſe, ſecundum autem hoc eſt Filium participatione duntaxat veri ſocietatem adſecutum eſſe : Et paulo poſt, Filium poſt Patrem tanquam Deum honorandum eſſe propter inhabitantem in eo Deum : & alia ſimilia *eod. cap. & cap.* 6. Et *cap.* 8. Patrem Filij Deum ac Dominum eſſe. Et *cap.* 11. præſtantiorem quidem Filium omni Angelicâ natura eſſe, inferiorem tamen μείονα prima cauſa. Et *præfat. lib.* 6. Filium δεύτερον μετὰ τὸν πατέρα οὐσίαν. Libris pariter *de præparatione Euangel. lib. 7. &* 11. vocat Filium δευτέραν οὐσίαν, δεύτερον θεὸν : & *libris contra Marcellum* paſſim, & inter alia *lib.* 1. *cap.* 7. *ſub fin.* ait, Filium non eundem eſſe cum Deo atque Patre, neque enim ſecundum pietatem verè ſenſerit is qui profiteatur eſſe illum Deum qui eſt ſuper omnia, contra expreſſum Pauli locum *ad Romanos* 9. *verſ.* 8 Et *cap.* 11. vocat Patrem Deum & caput Filij : *& cap.* 13. quod Filius ante incarnationem honoratus fuerit Deitate gloriæ paternæ : & *cap.* 20. quod Filius Dei miniſter fuerit in creatione, ὑπηρετικὸς, διακονησάμενος : *ibid.* quod Filius alius ſit à Deo inuiſibili : *ibid.* quod hæc propoſitio falſa ſit, quod ante creationem nihil aliud erat quàm Deus : & *lib.* 2. *cap.* 2. quod Pater & Filius non ſint ἰσοτιμοὶ : *cap.* 6. quod Pater ſit Dux filij : *cap.* 7. quod Filius non ſit ἀΐδιος æternus, quod Filius Patrem adoret : *cap.* 14. quod Filius ſit ὑπηρετικὸς, διακονησάμενος. Et *lib* 3. *cap.* 7. vocat pariter ὀξυπηρετούμενον. Vt omittam incommodas eius ſententias de Spiritu ſancto. Vt proinde Socrates *lib.* 1. *cap.* 3. & *lib.* 2. *cap.* 17. hunc Aethyopem fruſtra lauare conatus ſit, vt maximè

mè *conſubſtantialis* vocem admiſerit, & Synodo Nicænæ tandem ſubſcripſerit, negaritque Filium Creaturam eſſe, neque de nihilo, ὁμοίως τοῖς λοιποῖς κτίσμασιν: Nam & hiſce verbis Euſebius non negat abſcisè Filium creaturam eſſe, imò contra ſupponit, ſimilem tantum aliis creaturis creaturam negans: Haud aliter, atque reliqua Arianorum cohors Nicæno Concilio ſubſcripſit, atque ὁμουσίου vocem amplexata eſt, verum fraude dolóque, ὁμοιουσίου vocem ſub ea occultans: de quo *infrà tm.* 9. & apud Nicetam *lib.* 5. *cap.* 8. & vt pleniſſimè fidem facit Euſebij epiſtola ad Cæſarienſes apud Socratem *lib.* 1. *cap.* 5. ¶ Decimus ab Arianorum parte Concilio Nicæno interfuiſſe dicitur à Philoſtorgio *Paulinus Tyri* ex Phœnicia, de quo vide & *infrà lib.* 5. *tm.* 15. ¶ Vndecimus, *Amphion Sigedonis* ex eadem Phœniciâ: vbi voluiſſe videri poſſit Philoſtorgius *Amphion Sidonis*, quæ trans Tyrum in eadem Phœniciâ, cuius Epiſcopum Paulinum modò memorauit. Verùm huic obſtat ſubſcriptio Concilij Nicæni, vbi comparet *Theodorus Sidonos*. Alioquin *Amphion* hoc æuo memoratur, verùm Ciliciæ (de quâ immediate mox Philoſtorgius) & quidem Epiphaniæ in Cilicia, Ep. Sozom. 1. *c.* 10. qui & ſubſcriptus in Concilio Nicæno inter Epiſcopos Ciliciæ reperitur, quíque contra Arianos ſcripſit, teſte Athanaſio *orat.* 1. *contra Arianos p.* 122. καὶ Ἀμφίονος ἀπὸ τῆς Κιλικίας, vbi malè Interpres *Appianum* ſubſtituit. Meminit eiuſdem & Sozom, *lib.* 1. *cap.* 10. Interfuit idem & Synodo Ancyranæ & Neocæſarienſi. Amphionis etiam Ariani mentio hoc æuo, qui Nico-

mediæ Euſebio ſuffectus eſt: vt docet ep. Synodi Alexandrinæ apud Athan. *apol.* 2. Theodoretus 1. *cap.* 20. *in fi.* Sozom. 2. *cap.* 16. Quare hæc ſiue impoſtura Philoſtorgij fuerit, ſiue menda. ¶ Sequuntur nunc tres è Cilicia Arianorum Epiſcopi qui Concilio Nicæno interfuerunt: primus, qui ordine iam duodecimus eſt, *Narciſſus Irenopoleos*, quod etiam Theodoretus *lib.* 1. *cap.* 7. *in fin.* teſtatur, qui & ipſe ſubſcriptus Concilio Nicæno, de quo *inf. lib.* 4. *tm.* 10. ¶ Decimus tertius *Athanaſius AnaZarbi*, qui Concilio Nicæno ſubſcriptus non reperitur: de eo quoque *infrà lib.* 3. *tm.* 15. ¶ Decimus quartus *Tarcondimatus Aegon* eiuſdem Ciliciæ. In ſubſcriptione Concilij Nicæni dicitur *Tarcondumantus Aegirates*, vel, vt alij rectius, *Tarcondimantus Aegetanus*. Aegeates vel Aegetanus, ab Aegis vrbe Ciliciæ. Hic idem ſedecim annis poſt Concilio quoque Antiocheno ſubſcriptus reperitur: *Prouinciæ Ciliciæ*, &c. *Narciſſus Irenopolis*, *Tarcondimantus Aegerates*, vbi rurſùm reſcribe *Aegeates*: Αἰγαῖος vel Αἰγεάτης ab Aegis vrbe Ciliciæ, vt docet Stephanus: nam Αἰγινήτης vel Αἰγιναῖος ab Aegina inſula. ¶ Sequuntur tres Cappadociæ Epiſcopi, *Leontius*, *Longianus & Eulalius*, qui quintodecimo, ſextodecimo, ſeptimodecimo loco inter Arianos in Concilio Nicæno fuêre: quorum vrbes vt in aliis non adſcribit Philoſtorgius: *Leontius* vero hic eſt Cæſarienſis Cappadociæ Epiſc. qui & ſubſcriptus Concilio Ancyrano, vbi Nerodianenſis vocatur, Neocæſarienſi, & Nicæno, quem tamen Athanaſius inter Orthodoxos memorat *Orat.* 1. *contra Arianos pag.* 121. cùm Philoſtorgius eum Arianis

Arianis accenſeat. Quod *Longinum* attinet, quem Λογγιανὸν vocat Athanaſius, is Neocæſarienſis Ponti Polemoniaci Epiſcopus ſubſcriptus reperitur Synodo Anciranæ (vbi *Longinus Dicaſionenſis* dicitur) & Neocæſarienſi & Nicænæ, quem & ipſum Orthodoxis accenſet Athanaſius *dict. loco pag.* 122. *Eulalius* decimus ſeptimus iam inter Arianos à Philoſtorgio numeratur, & quidem inter Epp. Cappadociæ. In Synodo Nicænâ Eulalius ſubſcriptus reperitur, verùm Iconienſis Piſidiæ Epiſcopus: Gangrenſi quoque Concilio *Eulalius* ſubſcriptus extat. Eulalij certè multi memorantur, Eulalius Amaſeæ (Cappadociæ) ad Pontum, Eulalius Cæſareæ Cappadociæ, qui poſteà Epiſc. Antiochenus fuit: de quo *infrà lib.* 3. *im.* 15. & Eulalius Dorenſium. ¶ Sequuntur Epiſcopi duo ex Ponto; *Baſilius* igitur *Amaſiæ* in Ponto decimus octauus iam Arianorum qui Concilio Nicæno interfuerunt à Philoſtorgio nominatur, & ex eadem Ponto decimus nonus *Meletius Sebaſtopoleos:* Quos duos ſolos cæteris præteritis hâc ecloga ſua Photius memorat, dicens, Philoſtorgium narrare, quod Synodo Nicenæ cum aliis Sacerdotibus Dei & hi duo interfuerint: non expreſſo etiam quod ab Ario ſteterint. Cur igitur hos duos tantum ex ſuperiore catalogo eorum quos Philoſtorgius concilio Nicæno interfuiſſe ſcripſerat, Photius excerpſit? Nempe primo, quia hi reuerà orthodoxi fuêre, & ideò inter Orthodoxos eos recenſet Athanaſius, *Orat.* 1. *contra Arianos, p.* 122. vt & Niceph. *lib.* 8. *cap.* 4. Deinde quia Baſilium Amaſeæ alij ſub Licinio interfectum ſcribunt, vt Euſebius *Chronico* (etſi

is *lib.*10.*Hiſtor.Eccleſ. c.*8. *p.*294. perſecutionem Licinij Amaſeæ deſcribens nil tale de Baſilio memoret) & acta apud Metaphraſt. & Surium 26. Aprilis, imo & Nicephorus ſibi ipſi contrarius *lib.*7. *cap.*44. Certe Concilio Nicæno ſubſcriptus reperitur *Eutychius Amaſeæ Epiſcopus*, Baſilij ſucceſſor. Hæc igitur cauſa, cur Photius iſtud in Philoſtorgio tanquam peculiare & ſuſpectum notat, vt & in altero, quod *Meletium* attinet. Nullibi quippe Meletius occurrit Sebaſtopoleos in Ponto Epiſc. verùm Melitius Sebaſtiæ in Armeniâ, poſt Euſtathium Antiochenum, de quo etiam *infrà lib.*5.*tm.*1. & hoc ipſum ſub Conſtantio poſt Synodum Seleucienſem, de quo Socrates *lib.*2.*cap.*33.34. Theodoretus *lib.*2.*cap.*31. Sozomenus *lib.*4.*cap.*27. Et Sebaſtia alia à Sebaſtopoli: quomodo clarè in Itinerario Antonini duobus locis ſeparantur: modico tamen interuallo, 73. circiter M P. Ab hac vero Armeniacâ Sebaſtopoli ſejungenda altera Ponti Polemoniaci, quæ & ipſa poſtea Armeniæ ſecundæ adſcripta: v. Iuſtin. *Nou.*28.31. Procopium *lib.*1. & 3. περὶ κτισμάτων. & Stephanum *in v.* Διοσκουριάς. Sebaſtopoleos tandem mentio quoque in Notitia Imperij *ſub Duce Armeniæ.*
¶Vltimùm, tres è Bithynia Epiſcopi Ariani qui concilio Nicæno interfuerũt à Philoſtorgio memorãtur, *Theognis Nicææ, Maris Chalcedonis, Euſebius Nicomediæ*, de quibus tribus velut potioribus, paſſim alij & in his Socrates *lib.*1. *cap.*5. v & noſtrum *infr.tm.prox.* ¶ Et hos quidem 22. Epiſcopos memorat Philoſtorgius, præter quos & alij memorantur: & in his Menophantus Epheſius à Theodoreto

tertio *lib.1. cap.7. in fin.* quem & inter principes Euſebianorum Athanaſius numerat. ¶ Circa *Euſebium* verò nominatim Nicomedienſem tria apud Philoſtorgium hic notanda. Primò, quod eum *Magnum* vocet, &, quod ſecundum, hoc cognomen ideò adeptum ſcribat, quod miraculis clarus maximè fuerit. *Miraculorum* ſcil. vim, vt & diuinandi Ariani ſuis quoque tribuêre (de Aetianis & Eunomianis alibi dicetur) & in his Euſebio Nicomedienſi, vt hic Philoſtorgij locus oſtendit apud Nicetam: ídque Photius etiam notabat *in Biblioth. num.*40. ex Philoſtorgio: haud aliter atque Catholici ſuos, & quidem eos qui concilio Nicæno interfuerunt, & in his Paphnutium Spiridionem, Iacobum Niſibenum, miraculis maximè claros deprædicant: vide Rufinum *lib.*10. *cap.*4.5. Socratem *lib.*1. *cap.*8. Theodoretum *lib.*1. *cap.*7. Sozomenum *lib.* 1. *cap.* 11. Politiam Metrophanis apud Photium *num.* 256. *pag.* 1409. Sic & vaticinandi vim ſuis tribuêre Ariani, vt ex Secundi exemplo patet *infrà tm. prox.* Denique ſcriptorum hic Eccleſiaſticorum hoc æuo mos, vt ſuæ quiſque ſectæ vel ſententiæ hominum miracula efferant. Sic & Socrates *lib.*1. *cap.* 9. *&* *lib.* 7. *cap.*17. Nouatianis ſuis miracula tribuit. Quod *Magni* pariter cognomentum attinet, & Catholici & hæretici huius æui illuſtriores Epiſcopos ſuos hoc cognomento donauêre. Sic Catholici Euſtathium Magnum & πανεύφημον: Theodor. *lib.*1. *cap* 17. *&* 25. *&* *lib.*3. *cap.*4. Photius libello cui titulus συναγωγὴ καὶ ἀπόδειξις περὶ ἐπισκόπων: Sic Oſium, Baſilium, Meletium Magnos indigetat Athanaſius, *orat.*1. *contra Arianos*

*pag.*122. Sic igitur & hæretici ſuos *Magnos* dixêre: & Ariani quidem inter alios & præ aliis Euſebium Nicomedienſem, quem ideò Philoſtorgius non vno loco ita vocat, *hîc*, & *tm.*9.*inf.* & apud Photium *Bibl.num.* XL. Tertiò notandum, quod obſeruat Philoſtorgius, Euſebium Nicomedienſem Luciani Martyris familiarem fuiſſe, quod & ipſum repetit *infrà lib.*2.*tm.*3. & 15. & ſic Collucianiſtam, quomodo Arius eum epiſtolâ ſuâ in ἀναςικῷ compellat, apud Epiphanium *hæreſi Arianorum* 69.*num.*6. *in fin.* & Theodor. *lib.*1.*cap.*5.*in fin.* De quibus Collucianiſtis dicetur plenius infrà, *lib.*2.*tm.*15.

¶Ad Cap. IX. *De Subſcriptionib. Conc. Nic.*

Secundum hoc caput eſt, ad *Concilij Nicæni* hiſtoriam pertinens, de his videlicet qui Nicenæ formulæ conſenſerunt, *ſubſcripſerunt*: vbi quinq; à Philoſtorgio indicantur. Primò, Arianos quoque, & in his Euſebium Nicomedienſem, Theognin Niceæ, Marin Chalcedonenſem, de quibus *ſuper. cap.* ſubſcripſiſſe. Quod quidem Photius hâc eclogâ, ET *Philoſtorgium ipſum fateri* obſeruat, ὅτι καὶ αὐτὸς συνομολογεῖ. Nempe aliàs id Orthodoxi ſcriptores ceu veriſſimum memorant paſſim: Rufinus *lib.*1. *cap.*5. *in fin.* Socrates *lib.*1. *cap.*5. *pag.*508. Theodoretus *lib.*1. *cap.*7. *in fin.* & *cap.*8. *in fin.* & *cap.*13. Sozomenus *lib.*1 *cap.* 20. Et Theodorus quoque Mopſueſtenus apud Nicetam, *theſauro orthod.fidei, lib.*5.*cap.*7. Nicephorus ex *Theodoreto*, *lib.*8. *cap.*18. *in princ.* & *cap.* 43. Id igitur velut ſingulare iam notat Photius in Philoſtorgio, vt ita Ariani quoque ſcriptoris teſtimonio liqueat, Arianos Nicęnæ formulæ

ſeu

ſeu fidei ſubſcripſiſſe, quod Ariani poſteà negarunt, ideóque confutari eos oportuiſſe ſcriptorum teſtimoniis diſcere eſt ex Theodoreto, *lib.1. cap. 13. in princip. & fine:* Secundo notat Photius, & hîc & rurſum *infrà lib 2. tm.2.* Philoſtorgium quoque (καὶ αὐτὸς φησὶ) fateri, Arianos fidei Nicænæ dolo ἐν δόλῳ ſubſcripſiſſe, ſub voce ſcil. ὁμοουσίου, ὁμοιούσιον (nam ita hîc reſcribendum) ὑποκλέψαντες occultantes: & ſic κατὰ τὸ προφανὲς, *infrà tm. prox.* Imò & Nicetas, *in theſauro orthodoxæ fidei lib.5.cap.8.* notat, Philoſtorgium authorem eſſe, eorum qui fidei Nicænæ ſubſcripſerunt, alios quidem è regione chirographorum ſuorum ὁμοουσίου dictionem adſcripſiſſe, alios verò ab Euſebio inſtructos blaſphemam ὁμοιουσίου vocem loco ὁμοουσίου ſuppoſuiſſe. Nempe & Photius & Nicetas, obſeruatione vel eclogâ ſuâ Ariani quoque ſcriptoris teſtimonio, Philoſtorgij inquam, verſipellem Arianorum animum cùm formulæ Nicænæ ſubſcriberent, teſtatum facere voluerunt: quod alioquin Orthodoxi ſcriptores alij narrant, Rufinus, *lib. 1. cap. 5. in fin.* Theodoretus *lib.1. cap. 8. in princ.* (ex eo Nicephorus *lib.8 cap.18.*) quorum ille ait, *manu* ſcil. *non mente ſubſcripſiſſe*: hic pariter, ὑπούλως καὶ οὐκ εἰλικρινῶς: & politia patrum apud Photium *in Biblioth. num.256. pag.1412.* μὴ ἐξ εἰλικρινίας ἀλλ᾽ ὑφάλῳ γνώμῃ: & Theodoretus nominatim *lib.1. cap.19.* Arianos ideò ſubſcripſiſſe ait, vt ouium pellibus induti rapacium luporum partes agerent, ὡς αἰ τὰ κώδια περικείμενοι τὰ τῶν λύκων εἰργάσαντο. ¶ Duos tantùm *hîc* & apud Nicetam *lib.5. cap.8.* excipit Philoſtorgius, quod tertio loco hîc obſeruandum, ex Arianis qui formulæ

Nicænæ non ſubſcripſerunt: nempe, *Secundum Ptolemaidis* & *Theonem Marmaricæ*: pariter vt Theodoretus, *lib.1.cap.7. in fin.* & *cap.8. in fin.* & ex eo Nicephorus *lib.8. cap 18. in pr.* & *in fin.* Sozomenus, *lib.1.cap.20.* in genere pleroſque & in his Euſebium Nicomedienſem ſubſcripſiſſe ait. Rufinus, *lib.10.cap.5 in fin.* vt & acta Synodi aiunt ſex in errore perſtitiſſe, paſſoſque ſeſe expelli. Socrates *lib.1 cap.5.pag. 508.* vt & politia Patrum apud Photium *pag.140.* quinque Epiſcopos à Synodo ſeceſſiſſe ſcribit, puta præter Secundum & Theonam (de quibus Philoſtorgius noſter) Euſebium Nicomediæ, Theognin & Marin: quos tres tamen diſertè Nicænæ fidei ſubſcripſiſſe ait Philoſtorgius: & certè idem Socrates mox *pag.509.* ſcribit, cum Ariani in exilium ire iuſſi fuiſſent, Euſebium quoque tùm & Theognin ſubſcripſiſſe ὁμοουσίῳ: vide & Hieron. *aduerſ. Lucif.* Quare diſtinguenda ſunt tempora: initio quidem plures detrectabant, verùm poſt decretum de exilio fatiſcentibus aliis, & in his quoque Euſebio Nicomedienſi (de quo *tm. prox.*) duo ſoli non ſubſcripſere, Theon & Secundus: Et ſic Euſebius quoque Nicomedienſis qui initio non ſubſcripſerat, mox exilij metu ſubſcripſit, quod & Philoſtorgij & Socratis & Theodoreti, & Theodori Mopſueſteni teſtimoniis firmatur. Quod quidem Baronij obſeruationi ſiue adponi ſiue opponi velim *ann.325. num.78.* vbi tradit, Euſebium & Theognin ſolos Arij anathemati ſubſcribere noluiſſe. Quod *Secundum Ptolemaidis* attinet, certe actorum Nicænorum ſubſcriptio Philoſtorgio aliiſque plane aduer-

aduerſatur : ibi quippe *Secundus* hic quoque ſubſcriptus reperitur. De hoc alioquin Secundo vide & *infra tm.10.* & *lib.2.tm* 1.3. *lib.3.tm.19.20.*

Quartò hoc capite obſeruandum, quod Philoſtorgius addit, & Photius velut ſingulare excerpſit, doli huius & ſimulationis, quibus Ariani formulæ Nicænæ ſubſcripſerunt (κατὰ τὸ πρoφανὲς ſcil. vt *tm. prox.* ait) Conſtantinam Conſtantini M. ſororem auctorem fuiſſe, εἰσηγησαμένης αὐτοῖς τὴν εἰς τοῦτο παραίνεσιν, cùm tamen Rufinus *lib.10.cap.5. in fi.* dicat, huius ſimulationis præcipuum authorem extitiſſe Euſebium Nicomediæ Ep. Conſtantinam certe ſiue Conſtantiam hanc, quæ Conſtantini M. ſoror, Licinij vidua fuit, Arianorum fautricem fuiſſe aliunde claret: vnde Hieronymus *aduerſus Pelagium ad Cteſiphontem*, *Arius*, inquit, *vt orbem deciperet, ſororem Principis ante decepit.* Eadem poſteà, quod Sozomenus refert, *lib.3.cap.19.* & poſt eum Nicephorus, *lib. 9. cap.21.* ſomnio confićto Conſtantino fratri perſuaſit, vt Euſebius Nicomedienſis & Theognis Nicææ ab exilio reuocarentur quaſi innoxij iniuſtéque exilio damnati fuiſſent. Eadem presbyterum Arianum moriens fratri commendauit, quidque exinde ſecutum ſit narrant Rufinus *lib.10. cap.11.* Socrates *lib.1. cap.19. lib.2. cap.2.* Theodoretus *lib. 2. cap.3.* Sozomenus *lib.2. cap.26.* Gelaſius Cyzicenus *in actis Synodi Nicænæ.* His omnibus adde, quod refertur *in actis Concilij Niceni, act.6.* de poſtulata ab ea Chriſti imagine ab Euſebio Cæſarienſi, eáque denegata, quam in rem epiſtola *ibidem* ſub Euſebij nomine refertur. Vtriuſque igitur & Conſtantinæ & Euſe-

bij Nicomedienſis ſuggeſtione id factum veriſimile eſt: quod Ariani Conſtantinæ potius adſcribere maluerint, ad doloſi facti inuidiam ab Euſebio Nicomedienſi amoliendam. ¶ Illud inſuper addit Philoſtorgius apud Nicetam, nempe ab Euſebio inſtructos nonnullos Arianorum, ὁμοιουσίου vocem loco ὁμουσίου ſubſcripſiſſe, quod nuſpiam alibi occurrit, & verò à Philoſtorgio additum videtur, ad amoliendam vt dixi ab Euſebio doloſi facti inuidiam, qui ὁμοιούσιον non ὁμούσιον ſubſcribi effecerit.

Quinto ait Philoſtorgius, Secundum & Theonam qui Nicænæ fidei non ſubſcripſerant vna cum Ario eiúſque presbyteris in Illyricum relegatos. De exilio Ario eiúſque aſſeclis in concilio Nicæno à Conſtantino irrogato vt aliunde quoque liquet, ac nominatim ex Rufino *lib.* 10. *cap.* 5. ita ex hoc quoque Philoſtorgij loco, quod tamen an reuerà Arius pertulerit Baronius diſquirit *Ann.* 325. *num.* 78. 79. 80. 81. de Secundi exilio rurſum *tm. prox.* Vnus Philoſtorgius id habet, quod in Illyricum relegati illi fuerint: ſic ſane & poſtea Baſilius Ancyræ in Illyricum in exilium miſſus fuit, *lib.* 5. ꝯ. 1. ¶ Obiter interim hoc capite notandum. Et hic, & alibi ſæpe, vt *lib.* 3. *tm.* 4. 12. 15. *lib.* 9. *tm.* 8. Philoſtorgium ἐφόρων vocem pro Epiſcopis vſurpare. Et ἐφορείας pro Epiſcopatu, *lib.* 9. *tm.* 15.

¶ Ad Cap. X. *De Euſebij exilio.*

Tertium hoc iam tmema eſt, partim ad hiſtoriam Concilij Nicæni pertinens, partim ad id quod mox poſt Concilium Nicænum euenit, circa *Euſebij Nicomedienſis exilium*, quò pertinet quoque *caput* 1. *libri* 2: vbi quatuor

notanda

[illegible] Primò quidem quod ait, exilij metu Euſebium fidei Nicænæ ſubſcripſiſſe; nempe enim cum Imp. exilium ei indixiſſet, paulò poſt pœnitentiæ libellum obtulit, & ab exilio liberatus fuit decreto Imp. ſuæque Eccleſiæ reſtitutus, teſte Socrat. *lib. 1. cap. 5. p. 509. & cap. 10. in princ.* Secundo ait Philoſtorgius, Euſebio Nicomedienſi à Secundo Ptolemaidis Epiſc. cum ipſe in exilium mitteretur (de quo *ſuper. cap.*) tanquam ex vaticinandi ſcientia prædictum, fore videlicet, vt quamuis is vitando exilio fidei Nicænæ ſubſcripſiſſet, intra annum in exilium mitteretur. Vaticinandi ſcilicet vim, & prophetiæ donum, ſuis quoque Ariani, atque adeò & Philoſtorgius adſcribere, pariter vt miraculorum vim, de quo iam *ſupra tit. 4.* vbi de ipſo Euſebio Nicomed. Et vero addit Philoſtorgius hic, quod tertium, Euſebium poſt Synodum Nicænam in exilium miſſum, de quo & *tit. 1. lib. prox.* & Conſtantini ipſius epiſtola apud Theodoretum *lib. 1. cap. 20.* & ipſe Theodoretus *lib. 1. cap. 19.* Sozom. *lib. 1. cap. 20.* Id vero, quod quartum, tribus poſt Synodum Nicænam menſibus accidiſſe ait, & ſic menſe Nouembri *A.D. 325* finita quippe Synodus eo anno VIII Kal. Septembris. Verùm omnis hæc de Euſebij exilio intricata valde hiſtoria eſt: de quo alioquin vide quæ apud Socratem *lib. 1. cap. 5 pag. 509. & cap. 10. in princ.* Theodoretum *lib. 1. cap. 20.* Sozomenum *lib. 1. cap. 15. in princ. & cap. 21. [illegible]* Nicetam in *theſauro orthod. fid. lib. 1. cap. 8.* Philoſtorgius verè poſt tres à Synodo Nicæna menſes Euſebium in exilium miſſum vult, reuocatum vero ab exi-

ſio poſt tres annos integros, i. [illegible] 7. [illegible] ſententia eſt, in exilium demiſſum miſſum A. D. [illegible] reuocatum verò ab exilio A. D. [illegible]. De huius vero Euſebij Nicomedienſis exilij cauſa locoque, *libro proximo cap. 1.* ¶ Obiter interim duo hoc capite notanda veniunt: Primò quidem in Secundi verbis illa, πεϑῶ τοῦ θεοῦ. Hæc ſcilicet formula eſt, rem certam ſibi pollicentis. Sic & Conſtantinus ad Arium apud Epiphanium, *hæreſi Arianorum 69. num. 9.* [illegible] τοῦ θεοῦ εἰ δολίως ἔχεις τι κεκρυμμένον καὶ ἀρνεῖσθαι [illegible] ὁ πάντων δεσπότης [illegible] ὅτι ἔχει μάλιστα καθ' ὃ ὤμοσαι. Secundo obſeruandum quod dicitur, Euſebium κατὰ τὸ φανερὸς in ſpeciem ad impietatem εἰς ἀσέβειαν prolapſum, ſubſcribendo concilio Nicæno. Id quod ex mente Philoſtorgij accipiendum eſt, ἀσέβειαν vocantis fidem Nicænam & ὁμοούσιον, Arianorúmque his ſubſcriptionem, etſi κατὰ τὸ φανερὸς. Sic & Euſebiani apud Conſtantinum id ipſum eodem [illegible] nomine deſignant *lib. 4. tm. 1.* Ab eadem Philoſtorgij mente accipiendum eſt, quod retro *lib.* [illegible] Arij ſententia ἀσέβεια vocatur: ibi, τὴν τοῦ [illegible] τὴν ἀσέβειαν παλινῳδίαν. Et in genere monere Lectorem operæpretium, in hiſce Photij eclogis alia ex Philoſtorgij ipſiuſmet ſenſu accipienda: alia vero ex Photij mente qui eas confecit, excerpſit, indito [illegible] ſæpe addita: de quo καθ' [illegible] deinceps [illegible] plene.

AD

IN LIBRVM SECVNDVM.

❡Ad Cap. I. *De Geſtis poſt Concil. Nic.*

DE his quæ *poſt Concilium Nicænum* ſtatim ab Euſebianis, & ab Imper. Conſtantino M. atque ab Alexandro Epiſc. Alexandrino, Arióque geſta ſunt, eſt hoc tmema, cui coaſſandum venit & alterum ſegmentum, quod Nicetas *Theſaur. orthod. fid. lib. 5. cap. 8.* neque exertè hoc libri ſecundi initio poſitum fuiſſe teſtatur, præterquam quod res ipſa ſeu hiſtoria huic cohæſiſſe id clamat. Vbi multa ſiue ſingularia ſiue paradoxa occurrunt, quæ Photius mendaciſſima & improbiſſima indicatum voluit, duplici, initio ſtatim, ad Philoſtorgij nomen alluſione, vel potius eius immutatione, ὁ φιλοψευδὴς ἐστὶ κακοστόργιος.

Primò ait Philoſtorgius, Euſebianos qui Nicænæ formulæ ſubſcripſerant, poſt Synodum Nicænam mutata ſententia, manifeſtam palinodiam feciſſe, & ἑτερούσιον aperte profeſſos. Id quidem etiam alij teſtantur: ſic quidem, vt Nicephorus *lib. 8. cap. 46.* minus vnde vnde ſcribat, Euſebium & Theognin arte quadam eo cui decreta Nicæna adſeruanda data fuerant, circumuento, ſubſcriptiones ſuas deleuiſſe. Addit autem Philoſtorgius, ab Euſebianis aditum Imp. Conſtantinum, eóſque cum his verbis compellaſſe, *Impij, Imperator, in eo ſumus, quod*

metu perculſi impe[illegible] ſubſcripſimus. Atque hanc, quod ſecundum, cauſam fuiſſe, cur his pœnam [illegible] quippe Imperatorem irritatum fuiſſe nempe quòd cum alia omnia ſentirent, ὁμοιούσιῳ ſubſcripſiſſent, eoſque in exilium miſiſſe, Arianoſq; ſua quemque patria excedere iuſſiſſe. Quæ quidem ita Philoſtorgius [illegible] narrat, vt Euſebianorum & Arianorum in fide Ariana conſtantiam efferat, qui etſi primò metu Imperatoris inflexi fuerint, mox tamen ad ſeſe redierint, & quidem eo maiore fiduciâ, quod id aduerſus recens Nicænæ Synodi decretum, atque in os ipſius Imperatoris facere auſi ſint. Deinde, vt exilij cauſam diſſimulet, quaſi ob priſtinam tantum in Synodo Nicænâ diſſimulationem eo affecti fuerint, non quod Arianorum doctrinam Imperator Conſtantinus improbaret; Quem contra Arianum apertè mox facit Philoſtorgius. Quæ omnia fabuloſiſſima ſunt: Euſebius quippe Euſebianique & Ariani in exilium poſt Synodum Nicænam pulſi [illegible] quibus antea Conſtantinus pepercerat, exiliumque relaxauerat, quod videlicet & nouos iam motus excitarent, neque Arij condemnationi ſubſcribere vellent. de quo vide Theodoretum, *lib.1.cap.19.in fin.& c.20* Sozomenum [illegible] *cap.20.in fin.* Cæterum, quod ter[illegible] occurrit, ait Philoſtorgius in fragmento quod apud Nicetam extat, eos in Gallos relegatos. Nempe & ita poſtea quoque Athanaſius in Galliam relegatus. [illegible]

Quarto ait Philoſtorgius, Secundum [illegible], i. Secundum Ptolemaidis, & Theona Marmaricæ Conſtantino.

cundino, tempore Concilii Nicæni, eo quod fidei Nicænæ ſubſcribere noluiſſent (de quo 10 *ſupr. lib. 1. num. 9. & 10.*) [illegible] ab exilio nunc reuocatos: ſcilicet quia illi iis quæ non ſentirent conſtanter quoque ſubſcribere renuiſſent, apertéque ἑτεροούσιον profeſſi fuiſſent, non vt Euſebiani, qui cùm alia ſentirent ὁμοουσίῳ tamen κατὰ τὸ γεγραμμένον ſubſcripſiſſent. Quod & ipſum portentoſum eſt. Atenim falſiſſima & mendaciſſima ſunt omnium ea quæ in Conſtantinum Imper. ipſummet & Alexandrum Epiſc. Alexandrinum effundit. Nempe ait (quod Quintum iam) Conſtantinum Imp. paulo poſt Synodum Nicænam, cum hæc quæ dixit ſupra præcederent, literas γράμματα Edicta vbique emiſiſſe, quibus ὁμοούσιον lacerabat, ἑτεροούσιον vero firmabat, τὸ μὲν ὁμοούσιον ἀθετοῦντα, κρατύνοντα δὲ τὸ ἑτεροούσιον. Et Alexandrum Epiſc. Alexandrinum (quod *Sextum*) illis Conſtantini literis ſubſcripſiſſe. Et ideo (quod *Septimum*) Arianos quoque cum eo conueniſſe, quo num referri poſſit Sozomeni locus *lib. 2. cap. 30.* tu videris Lector. Mox tamen, (quod *Octauum*) Alexandrum diſceſſu Imperatoris metu ad propriam priſtinamq; ſententiam ſeu ὁμοούσιον reuerſum: quod & ipſum rurſum inculcat *cap. 4 in.* [illegible]. Atque ideo (quod *Nonum*) Arium cum ſuis tum ab eo & ab Eccleſia rurſum defeciſſe. Quæ quidem omnia mendaciſſimè à Philoſtorgio vel ab Arianis conficta fuiſſe Photius indicat. Et verò conficta ſunt, vt ita & inconſtantiæ nomen, & Diſſenſionis [illegible] ſchiſmatis in Eccleſia cauſa penes Catholicos & Alexandrum ſemper collocaretur: eos [illegible] ab

Arrium amoliri ve[illegible] libro ſuperiore [illegible], [illegible] & nunc porrò amoliri pergit. Et quid [illegible] qui [illegible] Conſtantino M. & Alexandro Epiſc. Alexandrino affingit? Nam quod Conſtantinum M. attinet, certe in [illegible] eum ſemper in fide integra integrum diſerta teſtantur veteres, & in his Athanaſ[ius] [illegible]. Epiphanius *hæreſ.* 69. Theodoretus *lib.* 2. *cap.* 5. & hoc ipſo anno 3[illegible] id conteſtatur apertiſſime eius conſtitutio in hæreticos & ſchiſmaticos lata, puta *lex* 1. *Cod. Theod. de hæretic.* Etſi hinc Ariani neſcio quid ſpargerent, Meletianique, qui, vt diſcere eſt ex Epiphanio *hæreſ.* 68, iactitant, factum ſibi à Conſtantino poteſtatem, vti ſeparatim & ſeorſim ab Epiſc. Alexandrino in cœtum coirent-conuenirent, quam calumniam ipſæmet Conſtantini literæ refutant apud Athanaſium *Apolog.* 2. Inde verò clementi[illegible] nimis Conſtantinus viſus nonnullis fuiſſe, quòd Arium quoque ab exilio reuocauerit, interdicto ei quidem in primum Alexandriæ ingreſſu, mox tamen ei indulto, de quo Socrates *lib.* 1. *cap.* 20. *in princ.* Sozom. *lib.* 2. *cap.* 15. Vide & quæ Nicephorus ſcribit *lib.* 8. *cap.* 55 *pag.* 492. *a. b.* Quod vero Alexandrum Epiſc. Alexandrinum attinet, & hic, vt prodit Athanaſius *orat.* 1. *contra Arianos pag.* 132. ad mortem vſque (quam obiit haud integro poſt Synodum Nicænam anno, puta A. D. 326. vt diſcere eſt ex eodem Athanaſio *Apolog.* 2. *pag.* [illegible] Epiphanio *hæreſ.* 69. & Sozomeno *lib.* 2. *cap.* 26.) in fide integra integer manſit. Ex hoc interim quoque [illegible] loco colligitur, Arium poſt Synodum Nicænam adhuc vixiſſe, quod

[illegible]

[illegible] alij quoque agnoſcunt, vno Epiphanio excepto, *[illegible]* 68. *num.* 4. & *[illegible]* qui omnium conſenſu refellitur.

¶ Ad Cap. II. *De Arij Canticis.*

De *Arij canticis* ᾄσμασι ait Philoſtorgius, & ex eo Photius, ſuis tamen verbis immixtis, Arium cùm ab Eccleſiâ receſſiſſet, cantica quædam edidiſſe, quæ cuique conuenire exiſtimabat, vt ita cantus dulcedine ad *ſuam impietatem* imperitiſſimos quoſque (ſunt hæc verba Photij, non Philoſtorgij) ſenſim traheret (ἐκκλέπτων) veluti cantica ναυτικὰ, ἐπιμύλια, ὁδοιπορικὰ & ſimilia. De Thaliâ equidem Sotadicis numeris, effœminato, [illegible] ſcripta, quæ à Conſtantino M. & à Synodo Nicæna damnata fuit, res nota eſt: de quo Athanaſius, *de ſententia Dionyſij pag.* 431. *orat.* 2. *contra Arian. pag.* 31. *de Synodo Ariminenſi & Seleuc. pag.* 680. *&* 681. Socrates, *lib.* 1. *cap.* 9. Sozomenus, *lib.* 1. *cap.* 20. Atenim præter Thaliam ᾄσματα quædam alia Arium ſcripſiſſe Athanaſius quoque indicare videtur, quæ ideo à Thalia diſtinguit, *de decretis Synodi Nicænæ pag.* [illegible] λοιπὸν ἔχειν ὑπολειπόμενον, ὃ καὶ ἐν ᾄσματιοις Ἄρειος, [illegible] ἑαυτοῦ Θαλείᾳ ὡς ὀπιπορῶν μυθολογεῖ. Ἄσματα vero hæc quænam fuerint Philoſtorgius explicat, nempe ναυτικὰ, ἐπιμύλια, ὁδοιπορικὰ & ſimilia, quæ cuique ſcilicet conuenirent, quæ nauigantes, quæ item [illegible]; quæ denique in piſtrinis ſtantes ad fallendum otium & [illegible] cantarent. Ἐπιμύλια ſunt cantica, quæ in piſtrinis inter molendum canebantur, ἃ παρὰ τοὺς ἀλέτους ᾖδον: Quorum mentio apud Pollucem, *lib.* 7. *cap.* 33. *in* 8

vbi [illegible] ἀδη vocatur, uno ex [illegible] coniectura & *lib.4. cap.7 tm.1. infin.* & apud Athenæum, *lib.* 4. *pag.*168. Haud dißimilia porro nonnulla de Apollinario vide & apud Sozomenum, *lib.6. cap.* 25. Illud vnum, Thaliæ nullam a Philoſtorgio mentionem hic fieri, eius forte & ipſum ſuppudabat: niſi putemus, & ᾀσματα hæc ipſa Thaliæ partem conſtituiſſe, vel certe Photium id velut notum iam omiſiſſe.

¶AD CAP. III. *De Arij doctrina.*

De *Arij doctrina* Philoſtorgij iudicium ſequitur: cui adde & alterum eiuſdem *infra lib.*10. *tm* 2. Primum igitur quò ad ea quæ FILII perſonam ſpectant, κατὰ τοῦ υἱοῦ, Philoſtorgius Arium ὑπερθειάζει, i. diuinis laudibus effert. In quo Philoſtorgius θεομάχον ſe, (vt Photius eum ideò hic vocat) oſtendit, Arianumque ſeſe aperte profitetur, vel certe de ſurculo aliquo Arij, vt ſunt Eunomiani: quorum ideò ἀρχηγὸς dicitur *dict. lib.*10. *tm.*2. Atenim in eo, quod ſecundum, Philoſtorgius Arium reprehendit, & ἀτόποις ἐνέχεσθαι *abſurdis* eum *teneri* ait, quod Deum ἄγνωστον καὶ ἀκατάληπτον πανταχοῦ καὶ ἀνεννόητον, inducat: quo nomine rurſum aliiſque præterea duobus eundem notat *dict. lib.*10 *tm.*2. pariter vt Euſebium Cæſarienſem ſuprà notabat *lib.*1.*tm.*2. de quo ad eum locum [illegible] quod ibi quoque iam dixi, Eunomianum ſeſe [illegible] Philoſtorgius profitetur. Subiicit tertio loco, Arium in [illegible] definiuiſſe, *Deum cognoſci comprehendiue non poſſe*, vt *etiam a* FILIO *Dei unigenito* [illegible] *comprehendi* [illegible] *poſſit* [illegible]. Id quod etiam Athanaſius teſtatur, [illegible]

contra

pag.125. l.b. & p. 138. l. c. Auguſtinus *lib.3. contra Maximinum cap. ult.* Nicetas *lib.5. cap.2 p* 440. apud Socrat. *lib.1.c.3.* ὅτι ἀῤῥητός ἐστιν ὁ πατὴρ τῷ υἱῷ, οὔτε γὰρ τελείως οὔτε ἀκριβῶς γινώσκει ὁ υἱὸς τὸν πατέρα οὔτε τελείως ὁρᾶν αὐτὸν δύναται. Et Arius ipſe apud Athanaſ. συνελόντι εἰπεῖν τὸ υἱῷ ὁ θεὸς ἄῤῥητος ὑπάρχει. & *ibid.* ἔστι γὰρ αὐτῷ ὅ ἐστι, τοῦτ' ἔστιν ἄλεκτος. Cæterùm locus Philoſtorgij hic ita reſtituendus. καὶ οὐκ ἀνθρώποις μόνοις, ὃ κακὸν μετριώτερον, ἴσως ἀλλὰ καὶ αὐτῷ, &c. Et verto: *neque ab hominibus ſolum (quod minus malum) verum æqualiter etiam ipſimet unigenito Filio Dei.* Subjicit poſtremò Philoſtorgius, ad hanc de Deo ἀγνώστῳ & ἀκαταλήπτῳ ſententiam (quam ἀτοπίαν ipſe vocat) pleroſque non Arium modò, verum paucis exceptis hoc tempore reliquam impietatis cohortem abreptos, καὶ ἄλλο τῆς ἀσεβείας σύνταγμα πρὸς ταύτην ἀποῤῥυῆναι τὴν δόξαν: Excepto ſcilicet Secundo Ptolemaidis Epiſc. & Theona Marmaricæ, itémque diſcipulis Luciani martyris, puta Leontio Epiſc. Antiocheno, Antonio Tarſi Ciliciæ, Euſebio Nicomediæ. Quinque igitur hos Epiſcopos hoc tempore ſententiam, quæ poſtea Eunomij fuit, de Deo, quod cognoſci is & comprehendi optimè poſſit ſectatos ſcribit, & in his Lucianiſtas, de quibus ad *tm.15. infr.* Et ſic, quod iam antè monui, Eunomianum ſeſe apertiſſimè prodit Philoſtorgius.

¶Ad Cap. IV. *De Criſpi Cæſ. & Fauſtæ cæde.*

De *Criſpi* Cæſaris & *Fauſtæ* cæde eſt hoc caput. Quod quidem Philoſtorgij deinceps teſtimonium ad fidem huic rei geſtæ faciendam complurimis aliorum ſcriptorum teſtimoniis addi poterit, non Gentilium modo

(quorum hanc de Conſtantino calumniam fuiſſe credidit Sozomenus *lib.1.cap.5.*) veluti Sexti Aurelij Victoris, *cap.41.* Ammiani Marcellini, *lib.14.* Zoſimi, *lib.2.* Eutropij, *lib.10*, Victoris *alterius*, verum etiam Chriſtianorum, Artemij, (ſi Deo placet) apud metaphraſtem & Surium 20.*Octob.* Hieronymi, *Chronico*, Oroſij, *lib.7.cap.29.* Sidonij Apollinaris, *lib.5. epiſt.8.* Idacij, Zonaræ, Suidæ, aliorúmque qui eos ſecuti ſunt. Quam tamen hiſtoriam author vitæ Conſtantini & Socrates non habent: imò eam velut falſam iam olim eierarunt Sozomenus, *lib.1. cap.5.* & Euagrius, *lib.3. cap.40.* & poſt Sozomenum Nicephorus, *lib.7. c.35.* Et forte etiam Photius, qui ideò hæc ex Philoſtorgio dùm excerperet, & notare ea velut falſa voluerit.

2. Quod *Cauſam* necis attinet, & Criſpi quidem, in eo quoque Philoſtorgio cum cæteris fermè conuenit, puta quod nouercæ calumniis abreptus Conſtantinus Criſpum ſuſtulerit: Solus Zoſimus, *lib.2.pag.685.* cauſam hanc tradit, quòd in ſuſpicionem Criſpus veniſſet cum Fauſta conſueſcere: εἰς ὑποψίαν ἐλθόντα τῇ φαύςῃ τῇ μητρυιᾷ συνεῖναι. Victor Schotti ait, incertum qua cauſa: pariter Oroſius, cauſas latere dicit, *lib.7. cap.28.* Gregorius Turonenſis, *lib.1. hiſtor. Franc. cap.36.* quòd Regni proditor eſſet. Quod Fauſtam verò attinet, hanc necis eius cauſam reddit Philoſtorgius, quòd delata eſſet, cum vno ex Curſoribus (Imperatoris ſcilicet) mœchari. Quod præter ipſum nemo hactenus dixit; alij enim fermè ideò interfectam ſcribunt, quod eius dolo Criſpus occiſus fuiſſet, in quibus Victor alter, Gregorius Turon. Suidas, Arte-

Artemius. Ideò Zoſimus quoq; *lib.2. p.685* ad ſolatium matris Helenæ cœſam ſcribit, ex cœde Criſpi ſummoperè affectæ. Qui idem *pag. 691.* alteram neſcio quam vxorem adulterij inſimulatam à Conſtantino necatam ſcribit, ἐτέχθησαν δὲ οὗτοι οὐκ ἀπὸ Φαύστης, &c. ἀλλ᾽ ἐξ ἄλλης, ἣν μοιχείας ἐπαγαγὼν μέμψιν ἀπέκτεινε. De quâ tamen alterâ Conſtantini vxore altum apud alios ſilentium. Zonaras, *tomo 3. p.6.* vtrumque coniungit, διὰ τὸ τῆς ταύτης ἀκόλαστον, καὶ τὸν φόνον τοῦ παιδός. 3. Quod *ſupplicij genus* attinet, cùm multi id non exprimant, Philoſtorgius Criſpum gladio ſublatum vult, quod & Marcellinus indicare videtur; atenim Sidonius Apollinaris, & poſt eum Gregorius Turonenſis, frigore veneni interfectum aiunt: Fauſtam verò calore balnei interfectam Philoſtorgius ſcribit: in quo ei iam cum Zoſimo & cum Apollinari conuenit. Et Chryſoſtomus tamen *homilia 15. in Philippenſ.* Fauſtam in montibus alligatam beſtiíſque deuorandam obiectam, neſcio quem authorem ſecutus, indicat. 4. Quod *Rationem temporis* attinet, memorat Criſpi Fauſtæque cœdem Philoſtorgius hoc libro ſecundo, poſt Synodum Nicænam, de qua libro 1. egit. Hieronymus *Chronico*, anno nono ex quo Criſpus Cæſar factus eſt, qui annus congruit anno 325. Oroſius, pariter & alij apud Sozomenum, *lib.1.cap.5.* anno vigeſimo imperij Conſtantiniani adſcribunt. id eſt A. D. 325. Idacius verò *in Faſtis* diſertè Conſtantino 7. & Conſtantino Cæſ. Coſs. i. A. D. 326. Auctor Chronici Alexandrini ad ann. 325. quo Concilium Nicænum habitum fuit id refert. Eutropius ad annum viceſimum

ſecundum Imperij Conſtantini, id eſt,ad A.D.327. Zoſimus diſerte, poſtquam Conſtantinus Romam veniſſet: quod liquido congruit A. D. 326. vt pluribus doceo ad *leg.3. Cod.Th. de infirmand.his quæ ſub Tyrannis.* 5. Quod tandem Philoſtorgius de *Conſtantino à fratribus veneno ſublato* hic ſubjicit, repetitúrque infra ſuo tempore *tm.*17. id non alio fine hic ſubjecit Philoſtorgius, quam in Conſtantini inuidiam, quaſi ob Criſpi & Fauſtæ cœdem ſimili ipſe morte obierit. Simile porró Philoſtorgij iudicium occurrit infrà de Conſtantij aduerſus Perſas infelicitate, poſteaquam is Gallo C. nominatim interfecto, gentilitio cruore manus fœdauit, *lib.5.tm.*4. Vt omittam nunc ſequiora eius judicia alia compluria, Arianæ tantum fidei ſtudio, ſiue de Principum, ſiue de Epiſcoporum exitu, quæ alibi colligo.

¶ AD CAP. V. *De Vrphila Gothorum Epiſcopo.*

De *Vrphila* (ſic enim conſtanter apud Philoſtorgium expreſſum hoc nomen, quē alij *Vlphilam* vocant) Gothorum Epiſcopo, déque Gothis, quando quáue occaſione Chriſtiani facti fuerint, agit hoc capite Philoſtorgius: de quo alioquin agunt Socrates, *lib.*4.*c.*27. Theodoret.*lib.*4. *cap.vlt.* Sozom.*lib.6, cap.*36. Nicephor. *lib.9.c.*44. *& lib.*11. *c.*48 Verùm omnes iſti ſub Valente, non ſub Conſtantino M. vt Philoſtorgius, de Vlphila hoc agunt, de quo mox. Nos Philoſtorgij veſtigiis inſiſtamus, quorum aliquammulta nuſpiam alibi, vel certe non ita occurrunt. 1. Primùm ait, maiores Vrphilæ genere Cappadoces fuiſſe, & quidem è ciuitate Parnaſſo, vico Sadalgothina. *Parnaſſi* huius

huius mentio quoque in Itinerario Burdegalenſi, ſeu Hieroſolymitano: *Ciuitas Arpona M.* XVIII. *Mutatio Galea M.* XIII. *Mutatio Andrapa M.* IX. *Finis Galatiæ & Cappadociæ. Manſio Parnaſſo M.* XIII. *Manſio Iogala M.* XVI. *Manſio Nitalis M.* XVIII. *Mutatio Auguſtana M.* XIII. *Ciuitas Colonia M.* XVI. Et in Itinerario Antonini, in itinere ab Ancyra per Nyſſam Cæſaream vſque. GALATIA. *Gorbeum m.p.* XXIV. *Roſologiacum, m.p.* XVIII. *Aſpenam, m.p.* XX. CAPPADOCIA. *Parnaſſum, m.p.* XXII. *Nyſſam, m.p.* XXIV. *Oſianam, m.p.* XXXII. *Saccaſena, m.p.* XXVIII. *Cæſaream, m.p.* xxx Ex quibus locis de ſitu Parnaſſi ſatis liquet: nempe haud procul Archelais, & Diocæſarea, vbi & *Neanaſſus* ſeu *Nyſſa*: vt Parnaſſus videatur παρὰ Νάσσον: denique in Garſauria præfectura. Extat & Baſilij Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopi, epiſtola 185. παραμυθητικὴ, τῇ Ἐκκλησίᾳ Παρνασσοῦ, quâ Parnaſios ſolatur ob amiſſum paſtorem. Eiuſdem mentio quoque apud Conſtantinum Porphyrogenetam: & forte hùc quoque pertineat παρνησὸς πόλις apud Suidam. De *Sadagolthina* vico ad Parnaſſum nihil mihi compertum: ad cuius vocem prope accedit apud Ptolomæum *Sadagena*, vt eſt in Palatino codice, vel *Salgena*, in Cappadociâ ſub Præfecturâ *Sargauraſenâ lib.5.cap.6.* ſed tamen alio id ſitu collocatur. Secundò de Vrphilâ ait Philoſtorgius, maiores Vrphilæ ſub Valeriano & Gallieno à Scythis Gothis captos fuiſſe, qui tranſcenſo Iſtro Europam, Aſiam, Cappadociam & Galatiam incurſarunt, de quâ Gothorum incurſione paſſim quoque veteres, quæ referenda eſt ad A.D.263. De Cappadociâ

verò nominatim à Gothis tum infeſtata, quod Philoſtorgius hic ait, Trebellius quoque Pollio, *in vita Gallienorum, pag. 179. Scythæ in Cappadociam peruaſerunt, illic captis ciuitatibus; bello etiam vario diu actis ad Bithyniam contulerunt.* Zoſimus *lib.* 1. hanc Gothorum incurſionem memorans prolixè, nil tale de Cappadocia memorat, ſed ea tantum parte de Bithynia agit: illúdque refert, Valerianum intellectis iis quæ in Bithyniâ gerebantur, ab Antiochiâ Cappadociam progreſſum, tranſitu duntaxat attritis oppidis, pedem retuliſſe. αὐτὸς δὲ τῆς Ἀντιοχείας ἄχει Καππαδοκίας ἐχώρει, καὶ τῇ παρόδῳ μόνον ἐπιτρίψας τὰς πόλεις, ὑπέστρεψεν εἰς τοὐπίσω. Tertio ait Philoſtorgius, inter alios captiuos Chriſtianos nonnullos ex clero fuiſſe, & inter alios Cappadoces in Gothiam abductos fuiſſe & maiores Vrphilæ. Quarto ait, captiuos illos, à Gothis inquam in Gothiam abductos, cum Barbaris conuerſantes multos ad Chriſtianam fidem traduxiſſe, & ſic Gothicam gentem hac occaſione Chriſtianâ religione primùm imbutam fuiſſe. Et verò Sozomenus quoque pariter in rebus Conſtantini *lib.* 2. *cap.* 5. Chriſtianæ religionis initia apud Gothos ab iiſdem Imp. Gallieni temporibus repetit, & ab eadem captiuorum occaſione, in quibus & πολλοὶ ἱερεῖς fuêre. At Socrates *lib.* 1. *cap* 14. tradit, Gothos Conſtantini M. victoriis obſtupefactos, tunc primùm Chriſtianæ religioni colendæ, cuius præſidio Conſtantinus incolumis euaſerat, totos ſeſe tradidiſſe. Hæc de fide Chriſtianâ à Gothis ſuſceptâ, & diuerſimodè adhuc ſcriptores. Atenim iidem deinceps non iam fidei

fidei Chriſtianæ, verum Arianæ hæreſeos apud ipſos initia Valentis temporibus, & huic eidem Vlphilæ, adſcribunt, qui videlicet in Synodo Conſtantinopolitana A. D. 359. ab Eudoxio & Acacio ad Arianiſmum traductus fuerit: de quo vide Socratem *lib. 4. cap. 27.* Theodoretum, *lib. 4. cap. vlt.* Sozom. *lib. 6. cap. 36.* Quibus adde & quæ Epiphanius ſcribit, *hæreſi* 70. de Audæo (vnde Audiani) qui multos Gothorum ad fidem inſtruxit, multáque monaſteria in Gothia excitauit. Quintò ait Philoſtorgius, Vrphilam cum aliis nonnullis ad Conſtantinum M. à Rege Gothorum Legatum miſſum. Certe, Sozomenus quoque, *lib. 6. cap. 36. pag. 406. & 407. a.* Vlphilam iſtum à Gothis bis Legatum miſſum memorat, ſed primà vice non ad Conſtantinum, verùm ad Conſtantium Conſtantini filium, circa tempus concilij Conſtantinopolitani, quod habitum, vt iam dixi, A. D. 359. & rurſùm ſub Valente, cùm Gothi ab Hunnis pulſi Iſtro tranſito ſedes ab Imp. poſtularunt. Sextò ait Philoſtorgius, Vrphilam in ea ad Conſtantinum legatione conſtitutum, ab Euſebio Epiſc. Nicomedienſi iiſque qui cum illo erant Epiſcopum Chriſtianorum qui in Gothia erant ordinatum, & primum quidem: Cùm tamen & ante Vlphilam Theophilus Gothorum Epiſcopus Synodo Nicænæ adſcriptus legatur: Et Vlphilam in Synodo primùm Conſtantinopolitana, vt modo dixi, ſub Conſtantio ad Arianiſmum traductum alij ſcribant. Septimò ait Philoſtorgius, Vlphilam inter cætera, etiam propriarum literarum Gothicarum inuentorem fuiſſe,

& Scripturas ſacras in linguam Gothicam vertiſſe: quod & ipſum ſcribunt Socrates, *lib.4.cap.27. in fin.* & Sozomenus, *lib.6.cap.36.* Octauo loco ait, Vrphilam, cùm cæteros ſacræ Scripturæ libros in Gothicam linguam vertiſſet, non vertiſſe tamen libros *Regum*: hac ratione, quod Gothica gens ad bella prona eſſet, φιλοπόλεμος, frænóque magis quam incentiuo ad bellum opus haberet, cæterùm libri Regum res bellicas memorarent, quæ ſi Gothi legerent, in bella quoque porrò ruerent: addita ſententia, *Ea maximè ad bellum incentiuo ſeu protelo eſſe ſolere, quæ & religioſa maxime hab ntur, &c.* ὅπερ ἰσχὺν ἔχει ταῦτα ποιεῖν σεβάσμιά τε μάλιστα νομιζόμενα καὶ πρὸς τὴν τοῦ θείου θεράπειαν τοὺς πειθομένους παραρυθμίζοντα. Quæ quidem omnia vnus Philoſtorgius habet. Nonò ait, Chriſtianos Gothos ſub Conſtantino è Gothiâ pulſos ob fidem Chriſtianam, in Romanum ſolum tranſgreſſos, Vrphilam Ducem habuiſſe, καθηγήσατο τῆς ἐξόδου τῶν εὐσεβῶν, vnde & *ſui temporis* Moſes à Conſtantino Imp vocatus fuerit, Gothóſque à Conſtantino M. in regionibus Myſiæ prout cuíque libitum fuiſſet locatos: περὶ τὰ τῆς Μυσίας χωρία, ὡς ἑκάστῳ (ita enim reponendum) φίλον ἦν: Cùm tamen hæc Valentis temporibus adſcribant alij; & Sozomenus, *lib.6.cap.36.* ſpeciatim dicat, Gothos ab Hunnis pulſos ſub Valente tranſito Iſtro, Legatóq; miſſo Vlphila ſedes in Thraciâ vbi vellent obtinuiſſe. Interim non omninò abludit ab hac Philoſtorgij narratione quod A.D 323. Gothi, cùm Thraciam *Myſiamq;* vaſtaſſent, à Conſtantino repreſſi dicuntur, eorúmque captiui per vrbes diſtributi: de quo Anony-

mus Sirmondi auctor vitæ Conſtantini, & Zoſimus *lib. 2. pag.* 680. *Sozom. lib.* 1. *cap.* 8. Decimo ait Philoſtorgius, Conſtantinum M. magno honore Vrphilam affeciſſe, & inter alia (quod iam dixi) *ſui temporis Moſen*, ὁ ἐφ' ἡμῶν Μωσῆς, vocaſſe, quod & ipſum nuſpiam occurrit. Certe & alios ita hoc æuo cum Moſe comparari video: Ipſummet Conſtantinum cum Moſe componit author vitæ Conſtantini, *lib.* 1. *cap* 8. & 14. & Baſilius *lib. de Spir. ſanct. cap.* 29. Gregorium M. Thaumaturgum ob miraculorum vim ab ipſis quoque veritatis hoſtibus *alterum Moſem* appellatum ſcribit, δεύτερον Μωϋσῆν. Tandem Vrphilam hunc deprædicans θειάζων Philoſtorgius, addit, eum, quíque ſub eo erant, hæreticæ opinionis ſuæ ſectatorem, id eſt Arianum fuiſſe, ſeu ἑτεροούσιον profeſſum, vt ait *cap. prox.* quod etiam teſtatur Socrates, *lib.* 4. *cap* 27. Theodoretus, *lib.* 4. *cap vlt.* Sozomenus, *lib.* 6. *cap* 36. Et verò hæc cauſa eſt, cur hoc loco Philoſtorgius de Vrphila agat, tótque adeo illa de eo prædicet, ac nominatim de eo Epiſcopo Gothorum ab Euſebio Epiſcopo Nicomedienſi facto: & quidem ſub Conſtantino M. vt ita Arianæ fidei propagationem eiúſque antiquitatem per varios quoq; & Barbaros populos efferret: Eo exemplo, quo Catholici ſcriptores in rebus Conſtantini prolixè memorant, quantum & per quos religio Chriſtiana ſub Conſtantino M. profecerit, & ad quos populos ea propagata fuerit, Indos videlicet, Iberos &c. quod ſane exequuntur Rufinus poſt Bacurium, *lib.* 1. *cap.* 9. Socrates, *lib.* 1. *cap* 15. 16. Theodor. *lib.* 1. *cap.* 23. 24. Sozom. *lib.* 2. *cap.* 6. 7. Eodémque

pertinet & tmema proximum. ¶ In tranſcurſu & illud obſeruandum, quod Philoſtorgius ait, *Gothos Conſtantino M. paruiſſe*. Nempe ita paulò liberalius ſcriptores Romani: victi equidem Gothi à Conſtantino fuêre, de quo ſupra: teſtéſque etiam nummi Conſtantini, in quibus *Victoria Gothica* deſignatur: vt & *Ludi Gothici* in Kalendario Heruagiano: ſed fœdus cum his factum: vide Sozom. *lib.1.cap.8.* & authorem *vitæ Conſtant.lib.4.cap.5.6.*

¶ AD CAP. VI. *De Indis interioribus.*

De *Indis interioribus*, quos & Sabæos olim, poſteà verò Homeritas dictos ait, eſt hoc tmema; ad eundem ſcil. finem comparatum, quò ſuperius de Gothis, puta vt oſtenderet Philoſtorgius profectum ſeu propagationem Arianæ fidei iam ſub Conſtantino M. Quæ tamen narratio ad Conſtantij tempora propriè pertinere magis videtur, ſub quo idem hanc rem pleniùs ediſſerit, *tm.4. lib.3. in fi.* nonnihilum etiam ſibi contrarius. ¶ Ait igitur *hoc cap.* interiores Indos Chriſtum colere edoctos ex Bartholomæi Apoſtoli inſtitutione, v. & Rufin. *eod.cap.9.* (hodie Æthyopes & ſic Axumitæ vetuſtatem Chriſtianiſmi à Philippo Apoſtolo repetunt) ἑτερούσιον profiteri: Theophilúmque Indum hanc fidem amplectentem, ad ipſos profectum fidem eorum penitus direxiſſe, τὴν αὐτοῦ ἐκδιηγεῖσθαι δόξαν. In quo Philoſtorgius à cæteris ſcriptoribus abit, qui aliter id narrant, puta Rufin. *lib.10. cap.9* & ex eo Socrates, *lib.1.cap.15.* Theodoret *lib.1.cap.23.* Sozom. *lib.2.cap.23.* & ex eo Niceph. *lib.8. cap.35.* Narrant illi, Indiam equidem quæ Æthyopiæ vicina eſt ſeu adhæret, id

eſt

eſt interiorem, iam olim ſortitam eſſe Bartholomæum Apoſtolum: Atenim interiorē Indiam, ſeu vlteriorem, (quæ inter citeriorem & Parthiam media iacet longo tractu interiorem, quam permultæ gentes incolunt linguis inter ſe diuiſæ) interiores denique Indos, ἀπειρεγέτους μείναντας τῆς Βαρτολομαίου κηρυγμάτων (inquit Sozomenus, *lib.* 2. *cap.* 23.) quam Indiam velut longe remotam nullus Apoſtolicæ prædicationis vomer impreſſerat, vt loquitur Rufinus *dict. cap.* 9, Conſtantini tempore primùm Chriſtianâ religione imbutos: & quidem, non per Theophilum, cuius ne minimam quidem hac in re mentionem illi faciunt, verùm per Frumentium & Ædeſium, Meropij Philoſophi Tyrij ex fratre nepotes, & per Frumentium maximè, qui ab Athanaſio Epiſcopo conſtitutus fuit: addito temporis characteriſmo, cùm Athanaſius νεωστὶ recenter Epiſcopus Alexandrinus factus fuiſſet, quod vtique congruit A.D. 326. quo ipſo temporis momento hanc ſuam narrationem Philoſtorgius hîc ſubſtituit, de Theophilo inquam Indo, qui Arianus, & vt dicitur *infrà tm.* 4. *lib.* 3. ab Arianis Epiſc. factus fuit: Qua in re quantum inter ſe differant hæ narrationes, quilibet per ſe videre poteſt. Igitur & hæc Philoſtorgianæ κρύψεως & ψευδολογίας ſtrictura eſt; qua cauſa Photius in ingreſſu huius narrationis eum δυσσεβῆ vocat, & Theophilum inducere ait, εἰσάγει, falsò ſcilicet. ¶ Interim hîc obiter obſeruandum, gentem Sabæam, non modò Sabæos dictos, verum etiam *Sabam* gentem. Sic & *Sabæ* Dionyſio periegetæ, & fortè Vranio apud Stephanum

in χατεραυρπτης. Σαββαῖοι καὶ Ομηρεῖται : ibi quippe legendum videtur, Σάββαι οἱ καὶ Ομηρεῖται, vt hic Philoſtorgius, Σάβα μὲν πάλαι, τὰ νῦν δὲ Ομηρείτας καλεῖσθαι. Item illud notandum, Homeritas ſeu Sabæos Indis accenſeri. Sic & Arabicus ſinus Procopio Gazenſi, *in* 1. *Regum*, Ἰνδικὴ θάλασσα ſeu Ἰνδικὸς πέλαγος vocatur : vel vt Procopius Cæſar. 1. *Perſicon*, paulò mitius, αὕτη δὲ ἡ θάλασσα ἐξ Ἰνδῶν ἀρχομένη. Mitto alia.

¶ Ad Cap. VII. *De Euſebianis reuocatis, & Euſtathio Antioch. in exilium miſſo.*

De *Euſebianis* ab exilio reuocatis, eorúmque exinde geſtis aduerſus fidem Nicænam, & aduerſus Alexandrum Epiſc. Alexandrinum, & *Euſtathium* Antiochenum, déque *Nicomedienſi* Arianorum Synodo. ¶ Narrat primùm Philoſtorgius, Euſebium, Marin & Theognin ab Imp. Conſtantino ab exilio reuocatos. In quo conuenit ei cum cæteris ſcriptoribus, Socrate, *lib.*1. *cap.*10. & 18. Theodoreto, *lib.*1. *cap.* 20. *in fin.* Sozomeno, *lib.*2. *cap.*18. Et tempus addit, μετρεῖς ὅλους ἐνιαυτούς, vbi reſcribendum μετὰ τρεῖς : quod diſerte ex Philoſtorgio refert Nicetas, *in theſauro orthod. fidei, lib.*5. *cap.*8. *in fin.* poſt narrationem quippe de palinodiâ Euſebianorum poſt concilium Nicænum, & exinde exilio eorum, ex initio libri ſecundi Philoſtorgij, ſubjicit, tmemáque illud his verbis concludit; *Cæterùm exacto triennio, Euſebianis ad ſua poſtliminio redire permiſit* [Conſtantinus Imp.] Quare referendum iſtud fuerit ad A.D. 328. ¶ Secundò ait Philoſtorgius, Euſebianos ab exilio à Conſtantino reuocatos, hæreticæ (hæc vox Photij eſt) fidei ſymbolum vbique miſiſſe aduerſus Synodum Nicænam, & ad Alexandrum Epiſc. Alexan-

drinum abdicandum, eò quod ad ὁμοούσιον ipſe regreſſus eſſet (de quâ alioquin ab Arianis ſuppoſitâ Alexandri palinodia iam ſuprà quoque *tm.*1.) Certè Socrates quoque *lib.*1. *cap.*17. & Theodoretus, *lib.*1. *cap.*21. Euſebium & Theognin ab exilio reuocatos, omne ſtudium ſuum ad euertendam fidem Nicænam contuliſſe aiunt. Verùm, quod de Alexandro Philoſtorgius ait, déque eo abdicando Euſebianos tùm adlaboraſſe, id de Athanaſio illi conſtanter memorant: & verò temporum quoque ratio Philoſtorgium conuincit: hoc enim tempore, tertio videl. quartóque poſt Nicænum concilium anno, quo hæc Philoſtorgius narrat, non Alexander, verùm Athanaſius Eccleſiæ Alexandrinæ præerat: iam enim diu, paucis poſt Synodum Nicænam menſibus, anno 326. Alexander deuixerat, Athanaſiúſque ei ſuffectus fuerat. ¶ Tertiò narrat Philoſtorgius, Euſebianis ab exilio reuerſis, *Euſtathium Epiſc. Antiochenum* ab Imp. Conſtantino in exilium miſſum (quod & ipſum rurſum inculcatur, *lib.*3. *tm.*18) in Occidentem. Quâ parte tres circumſtantiæ perpendendæ ſunt. Prima de *Tempore*, nempe factum id ait, ſub Conſtantino ſcilicet, triennio poſt Synodum Nicænam exacto, cùm Euſebiani ab exilio reuerſi fuiſſent: In quo conueniunt Socrates, *lib.*1. *cap.*18. Theodoretus, *lib.*1. *cap.*21. Sozomenus, *lib.*1. *cap.*18. Certè Hieronymus quoque *Chronico* id refert ad A.D.327. & Socrates id narrat ſub Conſtantino poſt Synodum Nicænam, & quidem vt hic, circa id ipſum tempus quo Euſebiani ab exilio reuocati aduerſus fidem Nicænam laborarunt.

Idem & Theodoretus, qui & alibi *lib.2. cap.31*, Meletij promotionem, quæ contigit anno 360. triginta annis poſt has in Euſtathium inſidias computat. Idem & Sozomenus, ſed & author vitæ Conſtantini *lib.3. cap 57.* id in Conſtantini rebus refert. Et certe ſub eodem Conſtantino Flaccillus tertius iam poſt Euſtathium Antiochenus Epiſcopus reperitur in concilio Tyrio, quod habitum A.D.334. Et id tamen, aduerſus tam conſtantem tot authorum fidem, quibus & Philoſtorgius nunc accedat, referre maluit Baronius ad Conſtantij tempora, ſeu ad A.D.340. vide eum in *Annalib. ann.340. num.21* duabus primùm rationibus, totidémque dein authoritatibus. Prior ratio, quod Theodoretus ipſemet depoſitionem Euſtathij referat eo tempore quo iam Euſebius ad Conſtantinopolitanam ſedem tranſlatus fuerat, (id quod nonniſi ſub Conſtantio Anno 340 factum eſt) Verùm hic Theodoreti error eſt, qui in hac circumſtantia peccat, cùm & ipſe Euſtathij abdicationem ad Conſtantini M. tempora referat. Neque mouet altera ratio, quod Euſtathius dicatur ſede deiectus, quòd fidem concilij Nicæni adprobaret, cæterùm Conſtantino ſuperſtite ne mutire quidem cuiquam aduerſus fidem Nicænam licuiſſe, imò & Euſebianos & ipſos eam profiteri ſimulaſſe. Quia, vt Euſebiani ipſi poſt reditum ab exilio fidem Nicænam impugnarunt, & Catholicos inſecuti ſunt, ínque Synodum Nicomedienſem in id, de quo mox, conuenerunt, etſi Euſtathium reuerà ob fidem perſequerentur (vnde Theodoretus, *d.loco* κατὰ τῆς εὐσεβείας πόλεμον vocat

vocat & Sozomenus, *lib. 2. cap. 18.* ſcribit, *τὸ μὲν ἀληθὲς ὡς πολὺς ἔχει λόγος καθότι τὴν ἐν Νικαίᾳ πίστιν ἐπῄνει.* & Hieronymus, vt & martyrologia, eum propter fidem abdicatum ſcribunt) Attamen non aperte ob fidem Nicænam, verum alio nomine Imperatori inconciliarunt, quod & hic dicitur, de quo mox: & ſic, quod Sozomenus *dict. loco* ait, *πρόφασιν* ſeu prætextum alium obtentum: Quem locum interpres peſſimè etiam vertit. Neque locus aut Athanaſij, *epiſt. ad ſolitariam vitam agentes*, aut Hieronymi *de ſcriptoribus Eccleſiaſt.* quidquam mouere aut turbare nos debet, quando & aliàs vulgato errore vtrobíque *Conſtantij* nomen, loco *Conſtantini* librariorum vitio editum eſt, & apud Athanaſium: quod vel inde quoque manifeſtum fit, quod ipſemet Flaccilli qui Euſtathio depoſito ſucceſſit in Synodo Tyria, quæ habita ann 334. meminerit: & apud Hieronymum, vt etiam nonnulli Codices oſtendunt, & ex Sophronio Hieronymi interprete liquet, qui *Conſtantini* nomen ibi habet. Quod annos verò attinet, quos Epiſcopis Antiochenis Zonaras & Nicephorus tribuunt, ii apertiſſimè erronei ſunt. Secunda circa Euſtath.j Epiſc. Antiocheni depoſitionem, & exinde exilium, circumſtantia eſt, *πρόφασις* ſeu titulus & obtentus eius: veram enim cauſam iam diximus, quam & Sozomenus reddit, *lib. 2. cap. 18.* vbi *τὸ ἀληθὲς* vocat: eíque etiam ſubſcribunt Hieronymus, & menologium Græcorum 15 *Iunij.* Atenim aliæ cauſæ obtentui quæſitæ: & Philoſtorgius quidem hanc adſignat, accuſationem videlicet de vitio puellæ oblato: cuius ſtrophæ hiſtoriam

integram habet Theodoretus, *lib.1.cap.21.* Socrates paucis attigit, *lib.1.cap.18.pag.523.* ὡς μὲν οὖν τινές φασιν, δι' ἄλλας οὐκ ἀγαθὰς αἰτίας: addito, hoc Epiſcopis in more poſitum, vt eos qui abdicantur & accuſent, & impios pronuncient, cauſam tamen impietatis non exprimant. Sed & Sozom. *lib.2.cap.18* πρόφασιν δὲ ὡς οὐχ' ὁσίαις πράξεσι τὴν ἱερωσύνην αἰσχύνας ἐφωράθη: & ſic ὡς μοιχὸς, vt ait Theodoretus, Euſtathius Antiochenus abdicatus. Conſentit & martyrologium Græcum 16. *Iulij.* Adiunctum & aliud crimen, nempe quod in matrem Imperatoris contumelioſus fuiſſet; quod crimen exprimit Athanaſius *epiſt. ad ſolit. vit. ag.* quò fortè vel ad ſimilem indeuotionis in Imperatorem titulum, & ſpeciem pertinet, quod Theodoretus *fine cap.* 21. ait, eum ὡς μοιχὸν ὁμοῦ καὶ τύραννον apud Conſtantinum accuſatum inque exilium miſſum. Fuerunt & qui ideò Euſtathium abdicatum ſcriberent, puta Georgius Laodicenus, quod Sabellij magis errori, quàm fidei Nicænæ aſſentiretur, quem refutat Socrates, *lib.1 cap.18 & lib.2 cap 6.* Vt ad adulterij obtentum redeamus: ſimili poſteà ſtrophà adulterij crimen Athanaſio impactum in concilio Tyrio, de quo dicam *infra tm 12.* Tertio notandus *Locus* exilij Euſtathij; nempe ait Philoſtorgius, eum in Occidentem in exilium miſſum. Hieronymus *de ſcriptor. Eccleſ.* ait, *pulſum in exilium Traianopolim Thraciarum, vbi & conditus eſt* Quomodo & Chryſoſtomus, *homilia de Euſtathio*, eum in Thraciâ ſepultum non vno loco ſcribit. Quos ſequuntur & Martyrologium Romanum, Beda, Vſuardus, Ado, aliíque Socrates, *lib.4 cap.13.* ait,

ait, ἐν Βιζύῃ τῆς Θρᾴκης πόλει ἐξωρίσθη. idémque & Sozomenus, *lib.6.c.13.* & vita Athanaſij apud Photium & Metaphraſtem. Theodoretus, *d. cap.* 21. paulo aliter ait, per Thraciam in Illyricum: καὶ ἐκεῖνος μὲν διὰ τῆς Θρᾴκης εἰς Ἰλλυριῶν πόλιν ἀπήχθη: vt & Theodorus Lector *in collectaneis*, ait, Philippos Macedoniæ vrbem: vt & Menæum Græcorum, ἐπέμφθη διὰ τῆς Θρᾴκης εἰς Φιλίππους πόλιν Μακεδονίας. Quod item ad Valentis tempora referendum: & quidem ad Euſtathium preſbyterum, vt videtur Conſtantinopolitanum. Poſtremò ait Philoſtorgius, hæc omnia in Euſtathium geſta procurata, in *Concilio* habito *Nicomediæ*, quod & coactum fuerit ex CCL. viris. Quod quidem & Nicetas *in theſauro orthod. fid. lib.5. cap.9.* narrat, proculdubio ex hoc Philoſtorgii loco, quem immediatè antea laudauerat. In quo tamen Philoſtorgius aliorum teſtimoniis opprimitur, qui id Antiochiæ factum aiunt, Socrates, *lib.1. cap.18.* Theodoretus, *lib.1.cap.21.* His omnibus addatur, quod apud Nicetam Philoſtorgius ait, loco qui cum hoc coaſſandus venit, Paulinum Tyro Antiochiam in Euſtathij locum tranſlatum. Quod quidem ſolus rurſum Philoſtorgius habet, cùm alij ſuffectum Euſtathio Euphronium ſcribant, vt Theodorus Mopſueſtæus, Socrates & Sozomenus; vel certe Eulalium, vt Theodoretus & Theophanes. Quam ſcriptorum hâc in re διαφωνίαν Nicetas expreſſe notauit: de quo infra rurſum, *lib.3. tit* 15.

¶AD CAP. VIII. *De Agapeto Synadorum Epiſcopo.*

De *Agapeto* Synadorum Epiſcopo, eóque Θαυματουργῷ

& Chriſtianæ religionis propagatore, eſt hoc Philoſtorgij tmema: ad eundem finem, quo ſupra de Vrphila & Theophilo Indo egit. Huic porrò geminus Euſebij Pamphyli locus occurrit, apud Suidam, *in voce* Ἀγαπητὸς. Ἀγαπητος Ἐπίσκοπος Συνάδων, ὃν ἐν ἱστορίᾳ πολλῇ ἤθει) Εὐσέβιος ὁ Παμφίλου, καὶ θαυμάτων αὐτοῦ ἐξαισίων μνήμην ποιεῖται, ὀρῶν μεταστάσεις καὶ ποταμῶν, καὶ νεκρῶν ἐγέρσεις, καὶ ὅτι στρατιώτην ὄντα ἠβουλήθη ὁ Μαξιμῖνος ὡς χριστιανὸν ἀποκτεῖναι, διὰ τὸ πυνθάνεσθαι πολλοὺς τὰ παρ' αὐτοῦ πλήμμυρα ἐμπεφραγμένους. Quem locum alioquin memorat quoque Baronius *ann.* 311. *num.* 19. cuius deinceps Annalibus, ſimùl & illuſtrando Suidæ loco, hic Philoſtorgij locus accedere poterit. Illud peculiare apud Philoſtorgium, quòd Agapetum hunc Arianum facit. Et verò non alio fine de eo hîc egit, quàm vt & hoc Agapeti huius exemplo oſtenderet, & Chriſtianæ religionis per Arianos profectùm, & Arianos miraculorum vi illuſtres fuiſſe, quomodo & Catholici ſcriptores, ſuos Thaumaturgos eorúmque miracula ſub eodem Conſtantino efferunt: de quo iam *ſup. lib.* 1. *tm.* 8. ¶ Alius vero ab hoc Agapeto Synadorum Epiſcopo fuit Agapetus Macedonianus ſub Arcadio Imp. de quo Socrates, *lib.* 7. *cap.* 3. & ex eo Nicephorus, *lib.* 14. *cap.* 11. ¶ Cæterùm *Synada*, vel *Sinas*, cuius Epiſcopus Agapetus hic dicitur, vrbs Phrygiæ fuit: vide vel Strabonem, Ptolemæum, Itinerarium Peutingerianum, Apollinarem, Socratem, Concilium Conſtantinopolitanum 6. & Stephanum. Inde & *Phrygia Sinas* Martiali, & *Synadicum marmor*, de quo Plinius.

¶ AD

¶Ad Cap. IX. *De Conſtantinopoli excitata à Conſtantino M.*

Dè *Conſtantinopoli* à Conſtantino M. excitata eſt hoc caput, cuius partem quoque exſcribit Nicephorus, tacito, vt alias ſæpe, Philoſtorgij nomine, *lib.8. cap.4*: Vbi primò characteriſmus temporis notandus venit: Ait ſcilicet Philoſtorgius, Conſtantinopolim excitatam à Conſtantino octauo & viceſimo Imperij eius anno, qui quidem incidit in Annum Domini 333. Atquin conteſtatiſſimum eſt, iacta Conſtantinopoleos fundamenta A.D.328, Ianuarino & Iuſto coss. 26 Nouembris, teſte Cedreno, & Chronico Alex. v. & Iulianum *Orat.1. p.330.* dedicatam verò eam, ſeu encænia eius celebrata, A. D. 330. menſe Maio, Chron. Alex. Conſularia Idaciana, Cedrenus. Verùm, vt Philoſtorgium cum aliis ſi pote componamus, illud obſeruo, tùm demum Conſtantinopolim nonnullis olim perfici viſam, πλίσαι παντάπασι; cùm replendæ illi tot à Conſtantino excogitata, conſtitutáque fuêre, quæ hoc ipſo tmema tememorantur: nempe, cùm Annona ciuica gratuita his qui eam incolerent deſtinata fuit, quod factum certe A. D. 332. vt teſtatur author Chronici Alexandrini: cùm Operibus publicis, & vt Annona ſufficiens ad tantam multitudinem alendam, à Conſtantino M. enixè cautum fuit, quod factum A. D. 332. 333. 334. quam in rem vide vel *l.1. Cod. Theod. de excuſat. artif.* & *l.6.7. Cod. Theod. de nauicularijs*: vbi in *l.7.* (quæ data eſt anno 334) illa verba obſeruentur, *Pro commoditate vrbis, quam æterno nomine Deo iubente*

donauimus. Si hæc interpretatio minus placet, manifeſtiſſimus fuerit hic Philoſtorgij metachroniſmus. ¶ Suauem porrò Philoſtorgius (quod *ſecundo* loco hic notandum venit) circumſtantiam & hiſtoriam memorat, circa deſignandum vrbis Conſtantinopolitanæ ambitum, vi aliquâ diuinâ ducente, quam & Nicephorus, *lib.*8. *cap.* 4. exſcribit, tacito, vt aliàs ſæpe, quod dixi Philoſtorgij nomine: καὶ τοῦτο δὴ περὶ ταύτης ἱστορεῖται: cuiuſmodi narrationes ſiue næniæ plures aliæ Græculis placuerunt circa Conſtantinopolim & Conſtantinum ipſummet, de quibus nos cùm *Conſtantinum* vindicaturi ſumus: Et viſiones quidem. Certe ad hanc hiſtoriam accedunt proximè vel alludunt, quæ veteres memorant de vrbis formâ & magnitudine primum à Conſtantino apud Ilium deſignatâ, mox verò diuinâ viſione admonito, Byzantio ab eo dilatata, ampliſſimíſque mœnibus cincta: de quo Zoſimus *lib.*2.*pag.*686. Sozomenus, *lib.* 2.*cap.*2. & ex eo Nicephorus, *lib.*7. *cap.*48. & *lib.*8. *cap.*4. & Socrates *lib.*1. *cap.*12. (qui tamen nihil de viſione memorat) Porrò de ampliſſimo Conſtantinopoleos ambitu à Conſtantino deſignato, & maiore adhuc poſtea facto, vide Zoſimum *lib.*2. & quidem à Theodoſio M: v. Themiſtium *Orat.*6. ¶ *Tertiò* ait Philoſtorgius, Conſtantinum vocaſſe Conſtantinopolim *Almam Romam*, i. vt ipſemet interpretatur, illuſtrem: quod & ipſum exſcribit Nicephorus, *dicto libro* 8. *cap.*4. Quod Romæ nomen attinet Conſtantinopoli tributum, id ex aliis notiſſimum eſt; ſed quod de *Alma* Philoſtorgius adjicit, perridiculum

lum eſt: nam etſi *Alma* quoque Conſtantinopolis dici meruerit, haud peculiari tamen ſanctione vel προνομίῳ cognomen iſtud a Conſtantino ei tributum fuit, verùm Νέαν ſiue Nouam Romām, vel etiam δευτέραν, *alteram*, vocari iuſſiſſe alij ſcribunt. Suſpicari liber, Philoſtorgium alicubi legiſſe *Almam Romam*, pro *Alteram Romam*, vel *Æmulam* Romam, vel ἅμιλλαν Romam. Nempe *altera Roma* Conſtantinopolis dicta fuit, quod & Eccleſiaſtici ſcriptores teſtantur, ſeu δευτέρα καὶ νέα Ῥώμη; vel etiam ἰσάμιλλος: & verò vt ita vocaretur Edicto iuſſiſſe Conſtantinum ſcribit Sozomenus, *lib.1. cap.12.* Itaque pro ἰσάμιλλον vel ἅμιλλαν, legerit Philoſtorgius *Almam.* Certè & ipſe Philoſtorgius mox *fine capitis* Conſtantinopolitanæ vrbis ἀντίπαλον κλέος τῇ πρεσβυτέρᾳ Ῥώμῃ vocat. ¶ *Quarto* loco deſignat Philoſtorgius inſigniora προνόμια, præcipua, πρεσβεῖα alia Conſtantinopoli à Conſtantino M. tributa, & duo quidem. Primò, quod *Senatum* ibi conſtituerit, quod quidem pro inſigni aliqua prærogatiuâ memorant pariter alij, & in his Chronicon Alexdr. A. D. 330. quæ & ἱερὰ βουλὴ Sozomeno dicitur *lib. 2. cap.32*: *Senatus ſecundi ordinis*, anonymo authori, quem à V. C. Sirmondo acceptum Vir. Doct. Valeſius edidit. De hoc verò Senatu Conſtantinopoli à Conſtantino conſtituto conſentit & Libanius, *Orat. ad Theodoſium de ſeditione.* Sozomenus *dict. cap.32.* & Auctor Chron. Alex. At enim Zoſimus, *lib.3. pag.713.* id ad Iulianum refert, ἔδωκε τῇ πόλει γερουσίαν ἔχειν ὥσπερ ἐν τῇ Ῥώμῃ. Alterum Conſtantinopolitanæ vrbi προνόμιον à Conſtantino collatum, eſt Annona gra-

met Philoſtorgius *infr. tm.16.* tempore mortis Conſtantini Euſebium Nicomedienſem ſemper vocat, eíque teſtamenti tabulas Nicomediæ Conſtantinum tradi iuſſiſſe ſcribit.

¶Ad Cap. XI. *De Athanaſio facto Epiſcopo Alexandrino.*

Athanaſium vi-dolo Epiſcopum Alexandrinum factum ſcribit Philoſtorgius hoc tmemate, qui ideò rurſùm *tm prox.* illegitimam Athanaſij ordinationem vocat: τὴν ἐν διαγῇ χειροτονίαν. Quod aliis Philoſtorgij ψευδολογίαις adnumerandum, quâ cauſa eum δυσσεβὲς τῆς ψεύδους ὄργανον Photius hîc vocat. Ex Arianorum ſcilicet ore id ita narrat Philoſtorgius, à quibus certe id olim ilicò poſt Athanaſij ordinationem iactatum ſparſúmque fuit, eam ὡς ἀναξίου, καὶ μὴ ὡς ὑπὸ ἀξιοπίστων factam, verùm à ſex vel ſeptem tantum cùm quinquaginta quatuor eſſent, violato iureiurando contra omnium voluntatem clam & in loco obſcuro, veſpera: eapropter & multos tùm ex populo, tum ex clero Ægypti, eius communionem vitaſſe vt videre eſt apud ipſummet Athanaſium, *Apol.2. circa princ. pag.565.* Socratem, *lib.1. cap.18. in princ.* Sozomenum, *lib.2. cap.16. & 24.* vide & *lib.3. c.5.* è quo Sozomeno idem refert Nicephorus *lib.8. cap.44.* Et ita quoque res ad Imperatorem Conſtantinum tùm perlata: Contra verò Synodus Alexandriæ ab omnibus Ægypti, Libyæ & Pentapoleos Epiſcopis, ad eiuſmodi calumniam refellendam habita, & in id epiſtola encyclica ſcripta, quam refert ipſemet *dicto loco pag.565.566.* quâ teſtati illi, com-

munibus omnium votis,vociferationibus, acclamationibus,ſuffragiis,alacritate & lætitia publica Athanaſium feliciter ordinatum fuiſſe, *τὴν κατάστασιν Ἀθανασίου ὑπὸ πάντων ἐπὶ καλοῖς μαρτυρουμένην* : quod etiam Epiphanius ſcribit, *hæreſi Meletianorum* 68 *num.*6. vbi diſertè ſcribit, conuocatâ vndíque Synodo Athanaſium ordinatum, traditámque ſedem digno, *καὶ ἀπεδόθη αὐτῷ ὁ θρόνος τῷ ἀξίῳ* (vbi alludit ad Acclamationis formulam in ordinationibus ſolemnem,de qua *infra lib.*9 *tm.*10.) Vetus igitur hæc criminatio de Athanaſij ordinatione fuit, quam licet iuſte atque ilicò profligatam, tanto poſt tamen,quod hæreticorum ingenium eſt, tempore in ſcenam reponere,próque vera obtrudere Ariani porrò perſtitêre : etiam in Synodo Tyria Anno 335,ſi fides Philoſtorgio *tm. prox.* & authori,vnde Sozomenus, *lib.*2.*cap.*24. id exſcribit,& verò Philoſtorgius hîc reponit, complurimis etiam emblematis & circumſtantus adornatam,quæ expendendæ veniunt. Prima *Tempus* reſpicit: ita videlicet Athanaſij ordinationem narrat, quaſi poſt Conſtantinopolim demùm excitatam facta fuerit, pariter vt auctor Chronici Alexandr. A.330. 14. Kal. Maias : cùm tamen id factum fuerit anno 326. Altera circumſtantia eſt *Loci*, vbi ea Athanaſij ordinatio facta : Ait ſcilicet Philoſtorgius factam eam in Eccleſiâ *Dionyſii.* Dionyſij hæc Eccleſia vna fuit ex Eccleſiis *Alexandrinis*, quæ & Athanaſio in exilium miſſo ſuffectóque ei Gregorio (de quo infrà *lib.*3. *tm.*3.) incenſa fuit A. D.342. vide Epiphanium *hæreſi Arianorum* 69. *p. g.* 728. (vbi inter alias hanc primam ferme nominat)

nominat Socratem, *l.b.2.cap.8 in fin.* Sozomenum, *lib 3. cap 5. in fin* autorem vitæ Pauli Conſtantinopolitani *apud Photium num.257.pag.1422.* authorem vitæ Athanaſij *n 258. pag.1439.* Tertium eſt, quod Philoſtorgius ait, reliquam Epiſcoporum, præter paucos illos qui Athanaſium ordinauerant, cateruam præſentem, Athanaſium anathemati ſubieciſſe. Quod de ſuo peculio Ariani prodidêre. Tandem & precariò addit, Athanaſium de ſua ordinatione ad Imper. Conſtantinum, tanquam à Communi totius ciuitatis, ἀπὸ τοῦ κοινοῦ τῆς πόλεως, factà ſcripſiſſe, & verò Conſtantinum cùm rem ita ſeſe habere crederet, Athanaſij ordinationem confirmaſſe.

¶Ad Cap. XII. *De Synodo Tyria & Conſtantinopol. in cauſa Athanaſij.*

De *Synodo Tyriâ* à Conſtantino M indictà, Athanaſij occaſione, déq; iis quæ in eâ Synodo geſta ſunt, primum huius capitis membrum eſt: vbi, ſi quo alio, Philoſtorgius verè φιλοψευδὴς & κακοσόφιστος apparet: quibus ideò nominibus eum hîc perſequitur Photius, qui & ideò quoque ſubjicit, eum portentoſe multa narrare de S. Athanaſio, περὶ τοῦ ἁγίου Ἀθανασίου τερατεύεται Primò quidem, quod *Cauſam* Synodi Tyriæ indicendæ attinet, quantum quidem ea Athanaſium reſpicit, hæc à Philoſtorgio traditur, vt Athanaſius ordinationis ſuæ rationem redderet. At verò cauſas alias alij memorant: nempe, vt de accuſationibus, quæ poſt Meletianos iam conuictos ab Euſebianis intentabantur, cognoſceretur: quæ illa ex parte crimina ſunt, quorum infra mox mentio fit, quæ-

que Athanaſio in alia Synodo (Conſtantinopolitana videlicet) obiecta Philoſtorgius ait: de Arſenij videlicet cœde manúque, & de myſtico calice ſeu poculo fracto, (quod ſcilicet populo propinabatur νομίμως) Athanaſius *Apolog. 2. pag. 567. 568. 569. 570. & 612.* Socrates, *lib. 1. cap. 20. 21.* Theodoretus, *lib. 1. cap. 28. 30.* Sozomenus certè, *lib. 1. c. 24.* idem ſcribit cum Philoſtorgio, in eâdem Synodo Tyriâ inter alia Athanaſio obiectam eius ordinationem, ceu periurio factam vſque extortam, lectis etiam tabulis, in quibus continebantur populi vociferationes, ac ſi plebs Alexandrina propter eam ad Eccleſiam conuenire renuiſſet. Id quod proculdubio Sozomenus habet ex Ariano ſcriptore aliquo: neque enim (quod Baronius rectè obſeruauit, *anno 335. num. 16. 17.*) ipſemet Athanaſius vllam eiuſce rei mentionem facit. Sed neque Synodus Alexandrina *in epiſt.* quâ aduerſariorum accuſationes, geſtáque in Tyriâ Synodo continentur.

Secundò ait Philoſtorgius, Athanaſium Imperatoris Conſtantini minis vix tandem cedentem ad Synodum Tyriam veniſſe. In hoc verò Philoſtorgio conuenit cum aliis, Socrate & Sozomeno: Socrates quippe *lib. 1. cap. 20. in fin.* ſcribit, Athanaſium Tyrum accedere primùm noluiſſe; ſed hac cauſa addita, non quod crimina obiecta vereretur (quod Philoſtorgius quoq; credi vellet) quando nullius criminis conſcius eſſet, verùm quòd reformidaret, ne quid illic contra Nicæna decreta ſanciretur: Sed quoniam minaces Imperatoris literæ eius animo haud parum timoris incuterent, quib. ad eum ſcripſerat,

ſi ſua

ſi ſua ſponte accedere nollet, vt eò deductum iri, ad concilium ex neceſſitate veniſſe. Et Sozomenus, *lib.2.cap.24.* quoque, Athanaſium, licet grauiter vrgeretur vt Cæſaream veniret, *profectionem* diſtuliſſe ad trigeſimum menſem vſque (vbi Baronius *ann.365.num.6.* mauult, ad tertium menſem vſque) tandem vehementius adhuc impulſum Tyrum veniſſe: μετὰ δὲ ταῦτα σφοδροτέρως βιασθεὶς ἧκεν εἰς Τύρον.

Tertiò ait Philoſtorgius, Athanaſium cùm Tyrum veniſſet, iudicio ſeſe non ſtitiſſe. Quod contrarium plane eſt iis quæ Epiphanius narrat, *hæreſi Meletianorum 68.* & Theodoretus, *lib.1. cap.30.* & ex eo Nicephorus, *lib.8. cap.49.* in tantum, vt Epiphanius narret, *d.loco*, Potamionem Epiſc. cùm ſtantem in Synodo Athanaſium ceu reum vidiſſet, in Euſebium Cæſarienſem grauiter inuectum. Poſteà equidem Athanaſius, cùm Vrſacius & Valens ex Mareotide reuerſi fuiſſent, vehementémque conſpirationem videret, Tyro receſſit, πρὶν εἰσελθεῖν εἰς τὸ δικαστήριον ἢ εἰς πρόσωπον τὰ συκοφαντούμενα αὐτῷ κατὰ στάσεως γένηται; vt idem Epiphanius ſcribit, *d.hæreſi 68. num* 8. vel, vt Socrates, *lib.1. cap.21. in fin.* narrat, cùm eos quos reiecerat, Mareotidem miſſos vidiſſet, cauſámque fallaciis dolóque malo agi clamaſſet, nemóque eſſet qui illi animum attenderet, clàm ſeſe exinde ſubduxit. Hæc igitur Euſebianorum commenta fuêre; quare & inter alias abdicationis eius in concilio Tyrio cauſas, καθαιρετικὰ αὐτοῦ, hæc quoque ab Euſebianis obtenditur: ἄλλοτε δὲ καλούμενος ὑπ' αὐτῶν, μὴ ὑπακούων, ποτὲ δὲ κρίνεσθαι μὴ ἀξιῶν, apud Sozomenum *lib.2.cap.24.circa fin.* Quartò ait Philoſtorgius, muliebre

ſcortum ab Athanaſianis conductam in Synodo Tyriâ in Euſebium Nicomedienſem Synodi Coriphæum (quod poſtremum de Euſebio Synodi Tyriæ coriphæo teſtantur quoque Athanaſius, *Apol* 2. Epiphanius, *d. hæreſi* 68. Theodoretus, *lib.* 1. *cap.* 28.) Euſebioque ſeſe ideò è Synodo ſubducere per metum cogitante, detectam ſtropham ea quam ediſſerit ratione ad Euſebij interrogationem. Quod planè contrarium eſt iis quæ alij narrant, Rufinus, *lib.* 10. *cap.* 17. Theodoretus, *lib.* 1. *cap* 30. & ex eo Nicephorus, *lib.* 8. *c.* 49. Sozomenus, *lib.* 2. *cap.* 24. *p.* 253. & auctor vitæ Athanaſij apud Photium, *nu.* 258. *pag.* 1438. (nam Socrates de eo nihil habet, neque Athanaſius ipſe) Nempe aiunt illi ſcortum in Athanaſium conductum, cuius ſtropha ad Timothei preſbyteri Alexandrini & ſcorti reſponſum detectum fuerit, quod tamen in acta Synodi Tyriæ non relatum ait Sozomenus, οὐκ ἐμφέρεσθαι τοῖς πεπραγμένοις: ratione addita, quod videl. tam turpem & ridiculam rem in Synodalib. geſtis ſcribi non oporteat. Inde forte iam Euſebianis anſa præbita, id in Athanaſium retorquendi, de quo ſcripto reuinci non poſſent.

Quintò ait Philoſtorgius, veritate detecta, nulláque alia re in Synodo Tyria geſta, Euſebium Nicomedienſem à calumniâ vindicatum, contra Athanaſium duplicis criminis reum conuictum : puta & Ordinationis impiæ, & calumniæ, atque ideò exauctoratum eum, contra quod Athanaſius impudentia vſus (προκαταγνωσθὲν) proteſtatus ſit, *ſeſe per inimicitiam abdicatum.* Atenim alij contrà ſcribunt, & Athanaſium νικηφόρον fuiſſe, vt Theodoretus,

doretus, *lib.1.cap.30.in fin.* & Liberius apud eundem *lib.2.cap.6.p.68.* & poſt detectam quam dixi in Athanaſium, ſtrophum quod ſcribit Theodor. *lib.1.cap.*30. & Sozomenus, *lib.2. cap.*24. cætera iam crimina in Synodo Tyriâ Athanaſio intentata, nempe de manu Arſenij & poculo fracto. In eo Philoſtorgio cum aliis conuenit, veluti Socrate, *lib.1.cap.*21. Sozomeno, *lib.2.cap.*24. quod dicit, in ea Synodo Athanaſium exauctoratum fuiſſe, quódque de Synodi iudicio conqueſtus ſit, quando & plures Sacerdotes qui concilio aderant hoc iudicium minimè ſincerum exiſtimarent, teſte Sozomeno *lib.2.cap.*25. Illud notandum, quod Theodoretus notat, *lib.1. cap.30.in fin.* quamuis calumniæ in Athanaſium detectæ conuictæque fuiſſent, aduerſarios tamen mendacia quædam ilicò contra eum confinxiſſe, confictóſque quoſdam commentarios, & calumnias iam ante detectas tanquam vera crimina ad Imperatorem deferri curaſſe, τὸ ψεῦδος ὑφήναντες, καί τινα ὑπομνήματα διαπλάσαντες, καὶ τὰς γυμνωθείσας συκοφαντίας ὡς ἀληθεῖς συνθέντες κατηγορίας, ἀπίςειλαι βασιλεῖ. Quibus haud abſimilia ſunt quæ Socrates ſcribit *lib.1.cap.21.in fin.* Et quis dubitat, huiuſmodi vel ſimiles commentarios Philoſtorgium hîc ſecutum?

Et hæc quidem de Synodo Tyria. Nunc de *Conſtantinopolitana*, quæ eandem ſtatim eadem occaſione ſecuta eſt. Ait igitur Philoſtorgius, poſt Synodum Tyriam, & ad querelam Athanaſij, Conſtantinum M. Imperatorem iuſſiſſe, in alia Synodo ea quæ ad Athanaſium pertinerent examinari. Certe Hieroſolymam primùm, mox

Conſtantinopolim (quò poſt Tyriam ſtatim Athanaſius ad Imp. confugerat) Synodus indicta fuit: teſtis ipſe Athanaſius, *Apolog.2.pag.568.623*, Socrates, *lib.1. cap.22.24.* & ex eo Nicephorus, *lib.8. cap.50 pag.663.lit.d. 654.lit.c.d.* Theodor.1.*cap.31.in fin.* Sozomenus, 2.*cap.27.*

Secundò ait Philoſtorgius, in eâ Synodo (Conſtantinopolitana ſcil.) Athanaſio noua crimina intentata fuiſſe. Quod etiam alij ſcribunt, & Athanaſius ipſe *Apol. 2. pag.568.& 624.* Verùm in eo diſſidet Philoſtorgius, quod illa crimina, quæ alij in Tyria Synodo objecta iam ſcribunt, puta de Arſenij manu, poculo myſtico, ea in Synodo Conſtantinopolitana, tanquam noua crimina Athanaſio intentata ſcribit, cùm contra Athanaſius ipſe, *Apolog 2. pag.568.574.624.* diſertè nullam in ea Synodo calicis aut Arſenij mentionem factam dicat, verùm accuſatum ſeſe, quaſi frumentum & naues quominus Alexandria Conſtantinopolim commearent detenturum ſeſe minatus fuiſſet: item quod frumentum viduis pauperibus ab Imperatore dari ſolitum ſuos in vſus conuertiſſet: quod referunt quoque Socrates, *lib.1.c.23.* & Theodoretus *lib.1. cap.31. in fin.*

Tertiò ait Philoſtorgius, in eâdem Synodo Conſtantinopolitana actum quoque de Callinico, Mareote & Iſchyra: de Callinico, inquam, Peluſij Epiſcopo, nempe quod Callinicus poſt tormenta, compedes ferreas, cuſtodiam, iniurias, interfectus tandem fuiſſet. Sozomenus quoque hanc de Callinico aduerſus Athanaſium accuſationem memorat, eodémque modo deſcribit, ϛρατωπικῆς

τικῆς φρουρᾶς καὶ αἰκισμῶν καὶ δικαστηρίων παραδοθῆναι ἐποίησε: (vbi obiter *δικαστηρίων* Interpres malè vertit, *in iudicium adductum*: *δικαστήριον* enim ibi eſt *κολαστήριον*, vt apud Heſychium & Suidam) verùm in Synodo Tyria id factum ſcribit, non in Conſtantinopolitana, quæ eam mox ſecuta eſt: Pariter vt idem Sozomenus in Synodo Tyria de Iſchyra agitatum ſcribit, quod Philoſtorgius ad Synodum Conſtantinopolitanam hîc refert: rémque ita deſcribit Sozomenus, nempe Athanaſio crimini datum, quod Iſchyrionem preſbyterum ſæpe in carcerem conieciſſet, quinetiam quod nomine ipſius ad Hyginum Præfectum Ægypti falsò delato, quod videlicet in imagines Imperatoris lapides conieciſſet, vinculis conſtringendum curauerat. Interim videtur hic reponendum καὶ ὁ Μαρεώτης ὁ Ἰσχύρας, ſublato καὶ: καὶ ὁ Ἰσχύρας: Iſchyras enim Mareotes fuit: vide Athanaſ. *Apol.* 2. Cæterùm ſimilia alia Athanaſio obiecta ſcribit: quæ idem Sozomenus eodem loco habet, verùm ſemper in Synodo Tyria obiecta refert.

Poſtremò ait Philoſtorgius, Athanaſium à Synodo Conſtantinopolitana exauctoratum, ínque eius locum Gregorium ex Cappadocia à Synodo ordinatum: de quo Gregorio iterum *tm. vlt. huius libri.* Atenim huius facti, Gregoriíque ſub Conſtantino M. Athanaſio ſuffecti nulla alibi mentio extat: Niſi quod Epiphanius quoque *hæreſi Meletianorum* 68. *num.* 9, vnde, vnde, eum qui ſub Conſtantio reuerà Athanaſio ſuffectus fuit, ad Conſtantini pariter tempora perperàm refert. Et certe, ſiue

Arianorum ſiue Philoſtorgij hoc inter alia mendacium eſt; quo etiam nomine Photius hic eum φιλοψευδῆ & κακοσέμνον vocat. Diſerte quippe Athanaſius, duobus locis, *Apol. 2. pag. 582* & ad *ſolitar. vitam ag. pag. 653.* teſtatur, ſibi à Synodo exauctorato, mox & à Conſtantino in Gallias relegato, nullum ſubſtitutum, Imperatorémque poſtulantes id à ſe Euſebianos compeſcuiſſe, & iam rem ipſam conantes grauibus minis deterruiſſe: deniq; cum ab exilio rediret, Eccleſiam etiamtum vacantem σχολάζουσαν reperiſſe. De duobus illis qui reuerà Athanaſio ſuffecti ſub Conſtantio fuêre, Gregorio primùm, mox Georgio, agitur *infr. lib. 3. nu. 3. & lib. 7. nu. 2.*

¶Ad Cap. XIII. *De Helenopoli excitata ab Helena Conſtantini M. matre.*

De *Helenopoli*, excitata ſub Conſtantino, de quo & Socrates, *lib. 1. cap. 13. in princ. & cap. 14. in fin.* Sozomenus, *lib. 2. cap. 1. in fin.* eſt hoc tmema, quod exſcriptum à Nicephoro, *lib. 8. cap. 31. pag. 600.* qui alioquin de eadem re iam ex alio ſcriptôre egerat, *lib. 7. cap. 49. in fin.* Hac verò parte Philoſtorgio non vbiq; cum cæteris conuenit. Primum enim ait is minus cautè, ædificatam eam ab Helena Conſtantini matre: dicere debuerat, à Conſtantino M. de nomine, & in Helenæ matris honorem: quod cæteri ſcribunt, etiam Procopius. Secundò, quod *Tempus* attinet, narrat id Philoſtorgius poſt Conſtantinopolim *excitatam*, imò & poſt Synodum Tyriam, quæ abſoluta A. D. 335. ante Conſtantini obitum A. D. 337. Atenim refert id Hieronymus, *in Chronico*, ad annum 21. Imperij Conſtan-

Conſtantini. i. ad A. D. 327. pariter vt Chronicon Alex. ad eius anni Conſules, *Conſtantino Cæſ. V. & Maximo.* Tertiò, quod *Cauſam* Helenopoleos excitandæ attinet, eam (vnicam ſcilicet) adfert Philoſtorgius, κατ' ἄλλο μὲν οὐδὲν, nempe ob miraculum Luciani, de quo mox: At enim Nicephorus *lib.8. cap.31. pag. 600.* qui hunc alioquin locum, vt dixi, exſcribit, alteram inſuper cauſam addit, quod Helena Drepani nata eſſet, vbi Helenopolis ab ea excitata: qui tamen idem Conſtantinum ipſum ibi natum dixerat, *lib.9, cap.49.* Procopius quoque περὶ κτισμάτων λόγῳ ε. *pag.* 46. ἐκ ταύτης Ἑλένην ὡρμῆσθαι φασὶ: mox eius vrbis τρόφιμον Ἑλένην vocat, item Conſtantinum huic vrbi τὰ τροφεῖα ſoluiſſe, eam vrbem è vico excitando. Miraculum, quod quarto loco Philoſtorgius narrat, de delato Luciani martyris corpore ad littus à delphino, habent & Luciani acta apud metaphraſt. & Surium *7. Ianuarij*: quorum deinceps actorum fides hinc ſaltem firmari deinceps poſſe videri queat. Certe & Hieronymus *de ſcriptor. Eccl.* Lucianum ante Helenopoli Bithyniæ ſepultum ſcribit. Illud omittere non poſſum, quod Chronici Alexandrini auctor ſcribit, à Conſtantino M. eius vrbis Helenopoleos agro immunitatem datam, ἕως φανερᾶς περιοχῆς πρὸ τῆς πόλεως, in quantum vrbis territorio & ambitu includitur: Interpres malè, *quáque patet ante vrbem proſpectus.* Procopius περὶ κτισμάτων, *dict. pag. 46.* nihil aliud huic vrbi à Conſtantino datum ſcribit, quàm quod ex ignobili vico vrbem fecerit, noménque mutarit.

¶Ad Cap. XIV. *De Luciano martyre, & Euchariſtia ab eo celebrata in carcere.*

Quando de *Luciano* Martyre ſuperiore narratione Philoſtorgius aliquid dixerat, occaſione Helenopoleos; déque Luciani diſcipulis nonnulla hoc opere iam ſupra adſperſit, *lib.*1. *tm.*8. hoc ipſo libro 2. *tm.*3. quo Luciano ſeſe Ariani efferebant, de Luciano eiúſque diſcipulis prolixius nunc agere Philoſtorgius inſtituit hoc & duobus ſequentibus capitibus 15. & 16. κατὰ διέξοδον ſeu παρέκβασιν: Cuius explicationem antequam adgredior Epiphanij locus de hoc Luciano hic apponendus venit, *hæreſi Lucianiſtarum* 43. vbi de tribus fidem facit: Nempe eâ hæreſi quæ Arianorum fuit, infectum fuiſſe: ſub Conſtantino [Conſtantio] ſeniore eum extitiſſe: denique ab Arianis pro martyre habitum: ſic enim ille de Luciano quodam vetuſtiore hæretico (vnde Lucianiſtæ) acturus, ſermonem ingreditur. Λουκιανός τις ἀρχαῖος, οὐχ ὁ νῦν ἐν χρόνοις Κωνσταντίνου (Κωνσταντίου) τοῦ γέροντος γεγονώς, ὃν δῆθεν οἱ Ἀρειανοὶ ἐν μάρτυσιν ἐπιψηφίζονται, ἦν γὰρ καὶ οὗτος, ὁ Λουκιανὸς ὁ πρόσφατος φημὶ προσανέχων τῇ τῶν Ἀρειανῶν αἱρέσει, περὶ οὗ ὕστερον ἐν τῇ κατ' αὐτὸν ἀνατροπῇ λέξομεν. νῦν δὲ πρὸς τὸν εἰρημένον ἀρχαῖον Λουκιανὸν ἀποτείνεται ὁ λόγος. Idem Epiphanius, *hæreſi Arianorum* 69. *num.* 9. Euſebium Nicomedienſem cum hoc Luciano Nicomediæ conuixiſſe ait, ἅμα Λουκιανῷ ἐν Νικομηδείᾳ συμβεβηκώς. Sed & Alexander Epiſc. Alexandrinus, ep. ſuâ ad Alexandrum Epiſc. Conſtantinopol. apud Theodor. *lib.*1. *cap.* 4 *pag* 9. Lucianum Pauli Samoſáteni peruerſæ doctrinæ ſucceſſorem factum, multorum annorum ſpatio à tribus Epiſco-

Epiſcopis excluſum ab Eccleſiâ manſiſſe, Arianóſque horum hæreticorum impietatis feces vocat, & occultos illorum ſtolones: ἐν τῆς ἀσεβείας τὴν τρύγα ἐῤῥοφηκότες, &c. τὰ ἐκείνων κεκρυμμένα μοχλεύματα. Tandem, de quo proximè *cap. prox.* in Synodo Antiochena Ariani formulam fidei tanquam Luciani iſtius edidêre. Quibus omnibus teſtimoniis conficitur, haud temerè Arianos Lucianum hunc ſectæ ſuæ tanquam fauentem prætuliſſe: etſi Baronius hoc æuo eum hæreſi liberare conetur, & *notis in Martyrologium*, & *Annalib. ann.* 311. & 318. ¶ Nos ad Philoſtorgium redeamus. Memorat is hoc capite hiſtoriā de Euchariſtiâ citra altare in carcere à Luciano adminiſtrata, quam exſcribit, tacito Philoſtorgij nomine, Nicephorus, *lib.* 8. *cap.* 31. *pag.* 600. & velut decantatam refert, λόγος, inquit, ἐξαπεθρύλληται. E quà hïſtoriâ multa educi poſſunt, & verò iam ex Nicephorianis hinc tranſlatis educuntur, quæ ad Euchariſtiæ religionem, communionem, ritum eiúſque conſpectum infidelibus ademptum (de quo alibi notatum) pertinent, quæ etiam Index exhibebit.

¶AD CAP. XV. & XVI. *De Luciani diſcipulis.*

De *Lucianiſtis*, ſeu Luciani diſcipulis, ſunt hæc duo capita: quò pertinet & tertium *ſuprà lib.* 1. *tm.* 8. & quartum *tm.* 3. hoc ipſo libro. Prius exſcribit quoque Nicephorus *lib.* 8. *cap.* 31. *in fi.* tacito rurſùm Philoſtorgij, vt aliàs ferme, nomine, ídque quaſi vulgare dictum memorat, φασὶν, inquit. Cum plures porrò hîc Luciani diſcipulos memoraſſet Philoſtorgius, decem tantum ex his Photius hac

ecloga ſua recenſet, quibus vndecimus prætereà addendus venit ex *lib.3.tm.15.*, Athanaſius videlicet Anazarbi Epiſcopus. ¶ Fuit hoc ſcilicet olim veluti ſodalitium quoddam φατεία eorum qui Luciani martyris diſcipuli fuiſſent, quíque hoc magiſtro gloriabantur : eò quod Ariani nonnulli hunc ſectæ ſuæ πρόσταση habebant, tanquam eiuſdem cum Ario ſententiæ: cuius tamen vindicias Baronius vt dixi, non vno loco adſumit, pro Catholicâ eius fide. Hinc adeò in Synodo Antiochenâ A.D.341. in quâ Athanaſius abdicatus eſt, Ariani formulæ ſuæ inſerentes, Filium ἀπαράλλακτον εἰκόνα καὶ πρωτότυπον πάσης κτίσεως eſſe, eam Luciani formulam eſſe dixerunt, teſte Sozomeno *lib.3. cap.5* quam formulam etiam proponit Socrates, *lib.2.cap.7.* ¶ Diſcipuli verò hi ſeſe mutuò Συλλουκιανιςαὶ dixêre : quomodo certe Arius Euſebium Nicomedienſem (qui vtique Luciani diſcipulus fuit, vt teſtatur tribus locis Philoſtorgius *lib. 1. tm.8.* apud Nicetam *lib.5. cap.7.* & hoc libro *tm.3. & hoc 15.*) συλλουκιανιςὴν compellat *epiſtolæ ſuæ fine*, apud Epiphanium, *hæreſi Arianorum 69.num.6.in fin.* & Theodoretum, *lib.1.cap.5.l.fin.* Cæterùm nil attinet nunc ſingulis prolixè immemorari. ¶ De Lucianiſtis his duo ait Philoſtorgius: Primo, quod etiam Nicephorus exſcripſit *dict. lib.8. cap.31.* tacito Philoſtorgij, vt aliàs fermè, nomine. φασὶν inquit) nonnullos ex his tempore perſecutionis cedentes Tyrannorum vi ἑλληνίσαι Gentiles factos, in quibus fuit Alexander, & Aſterius Cappadociæ: De Aſterij verò lapſu id quoque nominatim prodit Epiphanius, *hæreſi Anomœorum 76.num.3.* ídque

tempo-

tempore perſecutionis Maximiani. De eiuſdem lapſu & doctrinâ Athanaſius, *Orat.3. contra Arianos p.205 c. 208.b. de decretis Synodi Nicænæ pag. 406. c: de Synodis Arimini & Seleuc. pag.684.a.* paſſimque alibi de eo Athanaſius. Hieronymus quoque *de ſcriptor. Eccl.* eum Arianæ factionis fuiſſe ait, eiúſque ſcripta à ſuæ partis hominibus ſtudioſe lecta teſtatur. Secundo, quod iam argumentum eſt tmematis 16. quod etiam ex parte exſcripſit interpolatum Nicephorus *dict. lib.8. cap.31. in fin.* Lucianiſtarum tres ordines facit: Nēpe, quoſdam ait, ad fidem Nicænam nunquam acceſſiſſe, puta Antonium Tarſi Ciliciæ Epiſcopum, & Leontium Epiſc. Antiochenum: Quoſdam acceſſiſſe quidem, verùm ad frugem poſtea rediiſſe, puta Euſebium Nicomedienſem, Marin Chalcedonis, Theognin Nicææ. Quoſdam denique nouas opiniones inuexiſſe, quas Philoſtorgius proſcribit: & ſic inter ſe ſententiis diuiſos fuiſſe Collucianiſtas docet: Marin ſcilicet & Theognin docuiſſe, *Quod Deus antequàm Filium generaret Pater fuerit, vt pote vim generandi habens:* Aſterium dixiſſe, *Quod Filius ἀπαράλλακτος εἰκών*, i. *omninò ſimilis ſit ſubſtantiæ Patris.* De priore illâ ſententiâ vide & Sozomenum, *lib. 7. cap.17.* & Socratem, *lib.5. cap.22.* (& ex eo Suidam *in v.* Ἀρειανὸς) vbi Marinum hanc ſententiam defendentem inducit aduerſus Dorotheum, vnde & Pſathyriani & Gothici hi dicti fuerint, & quandiu hæreſis illa Conſtantinopoli durauerit, puta ad Plinthum vſque qui Conſul & Magiſter vtriuſque militiæ fuit, quíque eos in concordiam reuocauit. ¶ Quod poſteriorem Aſterij ſen-

tentiam de ἀπαραλλάκτῳ attinet, quod Filius ἀπαράλλακτος εἰκὼν ſit ſubſtantiæ Patris, memorat eam rurſum *inf. lib.* 4. *tm.* 4. vbi tamen ſic eam exprimit, *Filium ſimilem Patri ſecundum ſubſtantiam eſſe.* Hæc verò ſententia, quod Filius ἀπαράλλακτος εἰκὼν ſit οὐσίας Patris, in Antiocheno concilio *ſub Conſtantio* A. D 341. (quo Athanaſius depoſitus, Gregoriúſque ei ſuffectus fuit, de quo *infrà lib.* 3. *tm.* 3. 13.) formulæ cum aliis indita: teſte Athanaſio *de Synodis pag.* 687. 688. vbi ipſa formula extat 702. 703. Socrate, *lib.* 2. *c.* 7. Sozomeno, *lib.* 3. *cap.* 5. & *lib.* 4. *cap.* 21. Et quidem quaſi ea Luciani foret formula, teſte Sozomeno *dict. lib.* 3. *cap.* 5. qui ait, neſcire ſe, vtrum verum id ſit, an verò propriam ibi fidem ſuam martyrio titulo inſignire ſtuduerint. Certe apud Athanaſium *de Trinitate, dial.* 3. Macedonius hanc de ἀπαραλλάκτῳ ſententiam ad Lucianum refert *pag.* 180. 191. vbi vides pariter, hanc formulam ad Lucianum auctorem relatam, quomodo Philoſtorgius hîc ait, eam à Lucianiſtis nonnullis propoſitam. De Aſterio alioquin eiúſque ſententiâ præter Athanaſium vide Epiphanium, *hæreſi Anomœorum num.* 3. Socratem, *lib.* 1. *cap.* 24. Sozomenum, *lib.* 2. *cap.* 31. De voce ἀπαράλλακτος vide & *infrà lib.* 4. *tm.* 12. *lib.* 5. *tm.* 1. *lib.* 8. *tm.* 4. Ἀπαράλλακτον eſt, quod alteri prorſùs, omnino, nullo mutato eſt ſimile, in nullo ab altero quopiam diuerſum ſeu varium. Gloſſæ veteres ἀπαράλλακτος *indiſcretus.* Gregorius Nyſſenus *Orat.* 3. *contra Eunomium pag.* 138. ſicut παρηλλαγμένον ἀνάρμοστον definit, ita τὸ παράλλακτον τὸ ἀνάρμοστον πάντως. ἀπαράλλακτος εἰκὼν *indiſcreta* ſeu *indiſcrepans, omninò ſimilis imago*: ſic (vt alia omittam) Chryſo-

Chryſoſtomus, *homilia* 1. *ad Antiochenos*, *edit. Pariſ. p.* 5. *lit.c.* ἀπαράλλακτον αὐτῷ σπουδὴν dixit, *ſtudium alteri omninò ſimile* & indiſcretum: Alij ἀπαράλλακτον vertunt, *conformem*, *expreſſam*. Porrò Catholici quoque ſcriptores hoc ipſum de Filio dixêre, eum eſſe ἀπαράλλακτον εἰκόνα τοῦ πατρὸς, Athanaſius *contra Gentiles pag.* 36. *diſput.* 32. contra *Arianos pag.* 155. & *homilia de Deipara*, vbi vocat ἀπαράλλακτον σφραγῖδα. Gregorius Nazianz. *Orat. de natiuitate* 42. Baſilius *homilia* 15. *de fide pag.* 499. Et Baſilius iterum diſertè *epiſt. ad Maximum* 41. *pag.* 803. ait, ſi quis hanc vocem ἀπαράλλακτος addat ὁμοίῳ κατ' οὐσίαν, idem ſignificare quod ὁμοούσιον, atque ideò hanc fidem probare ſeſe: vide eundem *aduerſ. Eunomium lib.* 3. *pag.* 98. *a.* &c. Sozomenus quoque *d. lib.* 3. *cap.* 5. fidei Nicænæ formulam hanc Antiochenam conſentire ſibi videri ſcribit, niſi forte inquit ſenſus à ſe non intellectus in verbis obſcurè incluſus ſit.

¶ AD CAP. XVII. *De Conſtantini M. obitu, eiuſq; teſtamento.*

De *Conſtantini* M. obitu, déque eius *Teſtamento* eſt hoc caput: vbi varia notanda veniunt. Primò quidem temporis ratio: Ait ſcilicet Philoſtorgius, Conſtantinum poſt triceſimum ſecundum Imperij annum obiiſſe: *Perperàm*: Imperium quippe auſpicatus eſt Conſtantinus A. D. 306. 8. Kal. Auguſt. triceſimo ætatis anno, obiit verò A. D. 337. 11 Kalen. Iun. Ergo non poſt triceſimum ſecundum, verùm triceſimo ſecundo, quomodo ſcribunt Victor Schotti, Epiphanius *lib. de menſuris & ponder.* Auctor

vitæ Conſtantini *lib.*4. *c.*53. Zonaras & alii recentiores, anno ſcilicet 31. & menſe decimo, vt Chronic. Alexand. vnde alii aiunt, eum imperaſſe annos 31. vt Eutropius, Hieronymus, Socrates *lib.*1.*c.vlt.in fi.* Secundò ait Philoſtorgius, Conſtantinum M. veneno φαρμάκοις interfectum à fratribus, quod & ipſum jam in anteceſſum dixerat, hoc ipſo *lib.*2 *tm.*4. Atenim non produnt veteres ſcriptores, nō Gentiles, Victor, Eutropius, Zoſimus: non Eccleſiaſtici, Socrates, Theodoretus, Sozomenus. Produnt id quoque Zonaras & Cedrenus *p.*244. qui poſtremus ait, id percrebuiſſe, δόξα δὲ κατῆχει, vt & Arthemius in actis apud metaphr. & Surium 20. *Octobris*. Zonaras inſuper (& ex eo Pomponius Lætus) Soteropoli, quæ & Pythia id actum tradit. Tertiò ait Philoſtorgius, Conſtantinum vindictam teſtamento ſuo de interfectoribus, liberis mandaſſe, quod & factum poſtea fuerit. Id quod etiam Cedrenus refert *dict. pag.* 244. Quartò ait, Conſtantinum, veritum ne & liberi ipſius tale quid paterentur, teſtamenti tabulas Euſebio Nicodemienſi tradi juſſiſſe. Atenim Rufinus *lib.*1. *cap.*11. Socrates, *lib.*1. *cap.vlt.* & *lib.*2.*cap.*2. Theodoretus, *lib.*2 *c.*3. Sozomenus *lib.*2.*cap.*32. de preſbytero quodam Ariano id memorant, qui à Conſtantiâ ſorore ei commendatus fuerat. Quod de Acacio (Eutocius hic Gelaſio Cyziceno) Cæſarienſi Luſco preſbytero qui in ſede Cæſarienſi Palæſtinæ poſt Euſebium Pamphyli ſucceſſit, accipit Baronius *an.*337.*n.*9. In actis quoque Metrophanis & Alexandri apud Photium *n.*256. *pag.*1416. & in vitâ Athanaſij apud eundem *pag.*1435.
dicitur

dicitur, teſtamentum Preſbytero commiſſum, quod Conſtantinus M. Conſtantino filio tradi mandauerit, verùm preſbyterum id Conſtantio contra fidem tradidiſſe. Addunt acta Metrophanis, proditionis huius adiutorem fuiſſe Euſebium Nicomedienſem: vbi vides partes aliquas Euſebij quoque Nicomedienſis fuiſſe circa teſtamentum Conſtantini. At nemo ſimile quid iis quæ hic adiungit Philoſtorgius ſcribit, de mandato videlicet Conſtantini, vt ei qui primus ex liberis venturus eſſet id Euſebius traderet. Nam imò Socrates *lib.1.cap.vlt.* & *lib.2.cap.2.* Theodoretus, *lib.2.cap.3.* mandaſſe Conſtantinum aiunt, vt Conſtantio traderetur. Nemo de vafro Euſebij conſilio, imò fabellâ, de accepto teſtamento ab eo, mox verò in manus Conſtantini mortui reddito, vt ita à patruorum inſidiis liberi eius liberarentur. Illud omnium conſenſu traditum, poſt Conſtantini mortem eas tabulas Conſtantio traditas, qui ſcilicet primus è Conſtantini liberis venerat, vt ait Philoſtorgius. Vnde quoque patet, nullum Conſtantino morienti ex eius liberis adfuiſſe, verùm Conſtantium mox ſuperueniſſe: quod etiam author vitæ Conſtantini, *lib.4.cap.67.* Rufinus, *lib.1.cap.11.* Socrates, *lib.1.cap.vlt.* Theodoretus, *lib.2.cap.3.* Sozomenus, *lib.2.cap.vlt.* tradunt. Etſi Iulianus *Orat.1.p.50.* Conſtantium ſuperueniſſe, *ζῶντος μὲν ἔτι καὶ πιεζομένου τῇ νόσῳ* diſertè teſtatur. Verum id ita ſparſum creditúmque, quod Conſtantini mors in Conſtantij aduentum celata eſſet: Rufinus, *lib.1.c.11.* Tandem ait Philoſtorgius, Conſtantium haud multo poſt patris mortem, de pa-

Mm

truis vindictam ſumpſiſſe : quod etiam Zoſimus *lib.2.* Eutropius *lib.*10, Hieronymus *Chronico*, Cedrenus, alij, ſcribunt, nempe interfectos ſtatim à Conſtantio patruos & patrueles, Conſtantem, Dalmatium Cæſarem, & Aniballianum.

¶AD CAP. XVIII. *De Imagine Conſtantini M. eiuſq; cultu.*

De *Imagine* Conſtantini M. eſt hoc tmema, quæ videlicet Conſtantinopoli in columnâ Porphyreticâ ſtabat. Cuius alioquin imaginis & columnæ mentio fit in Veteri vrbis Cōſtantinopolitanæ deſcriptione (quæ ſub Theodoſio Iun. Philoſtorgij tempore conſcripta fuit) *regione 6.* Meminit eius & Socrates, *lib.1.cap,*13.*&* 25. Theodoretus *lib.1. cap.vlt. in fin.* Chronicon Alexandr. *ann.* 328. *&* 416. Nicephorus, *lib.*8. *cap.*4. Zonaras *in Conſtantino* & *in Nicephoro Phocâ*, Codinus *in originibus Conſtantinop. p.*24. Cedrenus *pag.*243, qui vnà cum Nicephoro *lib.*7. *cap.*49. ad eius columnæ baſim ſeptem ſportas & duodecim cophinos à Conſtantino poſita fuiſſe ait: Crucis quoque Saluatoris partem ſtatuæ ſuæ huic Conſtantinum incluſiſſe ex traditione ſcribit Socrat. *lib.*1. *c.*13 etſi Theodor. de Palatio id memoret *lib.*1. *cap.*18. Haud procùl etiam ab eâ Arius diſruptus dicitur à Socrate *lib.1.cap.*25. ¶ De hàc vero Conſtantini M. imagine ait Philoſtorgius, eam à Chriſtianis ita cultam, vt ſacrificiis eam propitiarent, lucernis & incenſis colerent, precéſque velut Deo allegarent, & ſupplicationes malis auerruncandis peragerent; Eóque nomine Philoſtorgius Chriſtianos incuſat, id eſt,

id eſt, Catholicos, Orthodoxos. Atenim Photius hîc falſi dicam ei impingit, & θεομάχου ideò titulo eum nuncupat. Imagines equidem Imperatorum hoc ſæculo nimio cultu & adoratione publicis locis erectas, habitas, propoſitáſque conſtat, quem cultum & Chryſoſtomus aliíque damnauêre, imò & Imperatores ipſimet conſtitutionibus reprimere neceſſe habuêre, hoc ipſo Philoſtorgij ſæculo, quod docent nonnullæ conſtitutiones, vtroque Codice, Theod. & Iuſt. tit. *de Imaginib. Imperialib.* & tit. *de ſtatuis & Imaginibus.* Illúdque ſpeciatim obſeruo, Imagines Imperiales & adclamationibus tanquam ad præſentis numinis ἐπιφάνειαν, feſtiuitatibus ludicríſque cùm erigerentur, vel cùm populis inhiantibus proponerentur, adoratas, cultas, vt ex Cod. Theod. Socrate *lib.* 6. *cap.*16. Sozomeno, *lib.*8. *cap.*22. diſcere eſt, & Chryſoſtomo, εἰς στανρόν. βασιλέως εἰκόνα καὶ προσκυνοῦσιν ἄρχοντες καὶ ἱερὰν πανήγυριν ἐπιτελοῦνται, καὶ ὑπαντῶσι δῆμοι καὶ προσκυνοῦσι: Cuius & alterum eadem de re teſtimonium extat, λόγῳ. 7. *in Paulum Apoſt. tomo* 8. *pag.*57. Sed & in actis ſecundæ Synodi Nicænæ. *Labrata & Icones quæ mittuntur ad ciuitates vel regiones obuij adeunt populi cum* CEREIS & INCENSIS, *non cerâ perfuſam tabulam, ſed Imperatorem honorantes.* Nota etiam hoc ipſo æuo hiſtoria, de Ioannis Chryſoſtomi libertate aduerſus Eudoxiæ ſtatuam, quæ & ipſa in porphyreticâ columnâ ſtabat, ad quam κρότοι τε καὶ δημώδεις θέαι ὀρχηστῶν τε καὶ μίμων ἐπετελοῦντο. Tandem Hieronymus quoque, in Danielem *cap.*3. *Statuam*, inquit, *ſiue imaginem cultores Dei adorare non debent: Ergo Iudices & Principes ſæculi qui*

Imperatorum ſtatuas ADORANT *& imagines, hoc ſe facere intelligant, quod tres pueri facere nolentes placuerũt Deo.* Et quidem hic cultus adorationis delatus nominatim à Iudicibus etiam Chriſtianis hoc æuo, quod & locus ille Hieronymi, & alter Chryſoſtomi apertè teſtantur: imò & lex vn. Cod. Theod. *de Imaginib. Imper.* ſeu *l.2. Cod. de ſtatuis & imaginib. Si quando noſtræ ſtatuæ vel imagines eriguntur, ſeu diebus vt adſolet feſtis ſiue communibus, adſit* IVDEX *ſine adorationis ambitioſo faſtigio.* Id igitur ea l. vetiti facere *Iudices*, qui alioquin Imperatores pro Diis tùm non habuêre. An igitur hæc ipſa cultu ciuili ad illam Conſtantini M. imaginem Porphyreticam, quæ publicè in foro erat, Conſtantinopoli peracta, quæ Philoſtorgius aliò verterit, & liberalius acceperit, pro ſuo in Orthodoxos liuore θεόμαχος ipſe? Orthodoxos, inquam, quos *Chriſtianos* hic Photius vocat: Chriſtiani ſcilicet pro Orthodoxis; & Arianis oppoſiti: Ariani quippe iam olim Patribus nequaquam Chriſtiani viſi: vide Athanaſium *diſput. 1. contra Arianos pag. 125. d: diſput. 2. pag. 156. a, b, 142. & contra Arianos orat. 2. pag. 186. a, b: ad Serapionem, pag. 367. in fin.* Item illud quoque certum, Photij æuo *Imaginum ſacrarum* (de Imperatoria hic tantum ſermo eſt, & quidem de ea quæ in foro poſita) vſum cultúmque inoleuiſſe: Quem & ideò Photius non vno Bibliothecæ ſuæ loco tuetur, Iconomachorúmq; adeò hoſtem ſeſe profitetur *num.* 29 52. 110. 111. 114. 119 160. (de quo etiam aliquid *lib. 7. tm 3.*) Adeò quidem, vt Patriarcha in locum Ignatij ſuffectus, vt Legationem à Papa Nicolao emereretur, quò reuerà Ignatij

depoſitio

depoſitio firmaretur, hunc ſpecioſum titulum & prætextum obtenderit A. D. 859 vt eos qui hæreſin Iconomachorum tuerentur, à Chriſtiano nomine reſcinderet, vt ſcribit Nicetas *in ver. Ignatij*; & Anaſtaſius *in verb. Nicolai pag.* 311. quod & ipſum Michaël Imp. eodem fine obtendit. Et verò poſt id miſſi a Papa Legati κατὰ τῶν εἰκονομάχων: teſte Cedreno *p.* 453. Item de Conſtantino id proditum, quod Eutropius tradit *lib.* 10. eum in Diuos relatum: Imò & illud conſtat, eum à Græcis non tantum vt ἰσαπόστολον habitum, verum diſerte vt ſanctum cultum, quod Menæa Græcorum teſtantur. Item illud comperio apud auctorem vitæ Conſtantini, *lib.* 4. *cap.* 57. Conſtantini funus ſeu cadauer à Comitibus & Magiſtratibus Senatúque eodem honore cultum quo ſuperſtitem, ſic vt genu flexo id adorarent, γονυκλινεῖς ἠσπάζοντο: Item, quod huic proximum, apud Gregorium Nazianzenum στηλιτ. β. *pag.* 118. lego, Conſtantij corpus Conſtantinopolim relatum celebri pompa, ſed & piis officiis nocturnis, cantibus & facibus διὰ παννυχίαις, αἷς χριστιανοὶ, inquit, τιμᾶν μετάστασιν εὐσεβῶν νομίζομεν. Tandem apud Theodoretum quoque lego, *lib* 1. *cap. vlt.* (cuius verba non vbíque rectè vertit Interpres) & poſt eum apud Nicephorum *lib.* 7. *cap. vlt. pag.* 666. cum iuſto iam incremento, creditum miracula & ſanationes morborum ad eam Conſtantini M. ſtatuam & ad eius ſepulchrum facta. Hæc inquam omnia reperio, præter ea quæ de eiuſdem ſepulchro auctor vitæ Conſtantini, *lib.* 4. *cap.* 71: Nihil tamen quiſquam de eo cultu, cuius nomine Chriſtianos incuſat

Mm 3

Philoſtorgius, memorat. Neque illud etiam omittendum, quanta columnæ iſtius ſub Theodoſio Iun. ratio habita fuerit, vt ſarta ſeruaretur: de quo vide Chron. Alex *ann.* 416.

¶AD CAP. XIX. *De Athanaſii è Gallia reditu poſt Constantini M. obitum.*

De *Athanaſii* è Gallia (quò ſcil. in exilium à Conſtantino miſſus fuerat) poſt Conſtantini mortem ad Epiſcopatum reditu eſt hoc caput: de quo ipſemet Athanaſius, *Apol.2.pag.*624. & ad *Solitar.vit. pag.* 631. Epiphanius *hæreſi Meletianorum* 68.*num.*9. Socrates *lib.2.cap.*2. Theodoretus *lib.2.cap.*1. Sozomenus *lib.*3. *cap.*2. & poſt eos Nicephorus *lib.*9.*cap.*3.¶ Tria porrò ſuper hac re narrat Philoſtorgius. Primò ait, Athanaſium è Gallia Alexandriam ab exilio reuerſum, pariter vt cæteri qui exiliis adflictabantur redeundi poteſtatem accepêre. Quod poſtremum ab Athanaſio quoque proditum, *ad Solitar. vit. ag. pag.*631.*a.* Ipſe verò Athanaſius reſtitutus Conſtantini Iun. Galliarum Imperatoris literis, ex vrbe Treuirorũ datis, ídque patris iudicium & deſtinationem ſecuti, quod ipſemet Athanaſius non vno loco tradit: At Epiphanius *dict. loco* ait, ἐκ τῶν δύο βασιλέων, Conſtantini ſcil. & Conſtantis mandato, & Conſtantio probante, συνδοκοῦντος. Secundò ait Philoſtorgius, Athanaſium Gregorio (de quo *ſup.num.*12.) tùm mortuo ſedem recuperaſſe: Quod & ipſum ſcribere videatur Epiphanius, *d[illegible].num.*9. καὶ καθ' ζεῖ) πάλιν εἰς τὸν θρόνον μετὰ τὸν διαδεξάμενον αὐτὸν ὑπὸ τῶν Ἀρειανῶν πεμφθέντα Γρηγόριον ὄντα ἔτι ἐν ἐξορίᾳ Ἀθανάσιον. Verùm de hoc,

ad d.num.

ad d.tm.12. Poſtremò Philoſtorgius Athanaſium eo nomine reprehendit, vel potius calumniatur, quod ſedem Alexandrinam nulla eorum qui eum depoſuerant ratione habitâ receperit, Tyriam videlicet & Conſtantinopolitanam Synodum indicans, ann. 335. & 336. in quibus Athanaſius exauctoratus fuerat, de quo *d tm. 12. ſup.* Id verò olim crimini datum Athanaſio ab Arianis mox in Synodo Antiochenâ A.D. 341. quod videlicet à Synodo damnatus abſque Synodo ſedem contra canones repetiiſſet: vide Socratem *2. cap. 2. in fi. & 5.* & Sozomenum *lib. 3. cap. 2. in princ. & cap. 3.* de quo infrà *lib. 3. cap. 3.* Quod crimen Philoſtorgius tanto poſt auidè hic ſublegit & in ſcenam iterùm repoſuit.

IN LIBRVM TERTIVM.

¶ AD CAP. I. *De Conſtantini Iun. cæde.*

DE *Conſtantini Iun.* cæde eſt hoc caput, vbi Philoſtorgius non vno modo vel peccat, vel ab aliis recedit. Primò, perperàm Conſtantem natu maximum inter Conſtantini liberos facit: cùm reuera Conſtantinus Iun. natu maximus fuerit, Conſtans verò natu minimus, νεώτατος, vt diſertè alij, & vel Zoſimus, *lib. 2. pag. 691.* Socrates, *lib. 2. cap. 3. & 11. in princ.* & Theodoretus, *lib. 1. c. 32. in fi. lib. 2. c. 5. in pr.*

tem ob ſtudium erga Athanaſium per Magnentij tyrannidem vita priuatum. Cùm tamen Orthodoxi Conſtantem miris laudibus efferant, & in his Athanaſius, tanquam piiſſimum εὐσεβέστατον φιλόχριστον, *Apologia ad Conſtantium pag.525. c.* & Arianæ ſectæ infeſtum, vt qui Euſebianos legatos ad ſe miſſos ad Athanaſium accuſandum calumniæ conuictos reiecerit, vt teſtatur ipſe *ad Solitar. vitam agentes pag. 631. c*: Athanaſio contrà cùm maximè fauerit, concilium Sardicenſe promouerit; Eccleſias item donariis repleuerit, *apolog. ad Conſtantium pag 528.* vbi eundem & beatum vocat, imò & martyrem. Illud equidem Socrates ſcribit *lib.2. cap.20*, Conſtantem etſi fratrem interfici non iuſſerit, attamen cœdem eius non vetuiſſe.

¶Ad Cap. II. *de Conſtantij laudibus, & Eccleſiis ab eo excitatis Conſtantinopoli, &c.*

In *Conſtantij* laudes effertur hoc capite Philoſtorgius, vti contrà Conſtantem ſuperiore capite inſectatus fuerat: Et quidem tùm ob Eccleſias excitatas, tùm ob reliquias Apoſtolorum Conſtantinopolim tranſlatas. Quod *Eccleſias* attinet, duas à Conſtantio Conſtantinopoli excitatas memorat Philoſtorgius: Primo quidem, *Magnam Eccleſiam*, ἤγουν, inquit, καὶ καλουμένην μεγάλην, (quæ & alias ſiue Εἰρήνη ſiue Σοφία dicta fuit.) De qua Eccleſia inter alios Hieronymus, *Chronico*, Socrates, *lib.2. cap.12. in fi. & 33.* Sozomenus, *lib.1. cap 12. & lib.3. cap.5. in princ.* auctor martyrij Pauli Conſtantinop. *apud Photium pag. 1423.* Cedrenus *pag.245.* Chronicon Alexand. vbi pro τὴν τοῦ θεοῦ μεγάλην

ἐκκλησίας, reponendum μεγάλην: vt apud eundem authorem A. 360 *pag.* 684. dicitur μεγάλη ἐκκλησια : quomodo hîc ea vocatur, & à Socrate *lib.* 2. *c.* 12. *in fin.* Porrò narrat id Philoſtorgius inter Conſtantini Iun. cœdem, quæ congruit A. D. 340. & alterum Athanaſij exilium, quod incidit in A. D 341. (quò alioquin interuallo Sozomenus *lib.* 3. *cap.* 5. *in princ.* Dominicum Antiochiæ abſolutum refert) Socrates id narrat poſt ſecundum ſtatim exilium Athanaſij. Encœnia certe magnæ Eccleſiæ illius abſolutæ longe poſteriora ſunt & referenda ad Conſtantium decimum, & Iulianum tertium, COSS. A. D. 360. quod faciunt exerte Socrates *lib.* 2. *cap.* 33. Sozom. *lib.* 4. *cap.* 25. *in princ.* Conſularia Idaciana, & Chronicon Alex. *pag.* 682. Porrò cœpta fuerat hæc Eccleſia à Conſtantino M. à Conſtantio verò abſoluta (& ab Euſebio dedicata) quod Socrates ſcribit *lib.* 2. *cap.* 12. *in fin.* Cedrenus *pag.* 245. & auctor Chronici Alexand. *d. pag.* 684. vbi addit, abſolutam eam 34. plus minus anno poſteaquàm à Conſtantino fundamenta eius iacta fuerant. Vnde colligitur, Conſtantinum hanc Eccleſiam, ſtatim vt de Conſtantinopoli excitanda cogitauit, A. D. 328. excitare cœpiſſe. Ex quo authore vt & Socrate *lib.* 2. *cap.* 33. etiam illud diſcimus 14. vel 15 Februarij Encœnia huius Eccleſiæ celebrata. Conflata porrò hæc magna Eccleſia ex duabus Eccleſiis, Pacis εἰρήνης quæ à patre excitata fuerat, & σοφίας quam Conſtantius ædificauit : ſic vt vno muro circumdatæ vno quoque nomine appellarentur : quæ omnia ſcribit Socrates *dict. lib.* 2. *cap.* 15. *in fin.* Sic & Dominicum Antiochiæ

chiæ à Conſtantino M. cœptum, à Conſtantio verò abſolutum fuiſſe, ſcribit Sozomenus *lib.3.cap 5.* ¶ Alterum templum à Conſtantio Conſtantinopoli excitatum, Philoſtorgius ait, τὸ κοινὸν τῶν Ἀποςόλων ἐπιφερόμενον ὄνομα, quod ſub finem περιώνυμον καὶ σεβάσμιον οἶκον vocat. Et tamen à Conſtantino M. excitatum id ait author vitæ Conſtantini, *lib.4. cap.58.59.60.* vt & Socrates, *lib.1. cap.12. in fin cap. vlt.* & Procopius περὶ κτισμάτων, περὶ τῶ Αἰγυςαίυ *pag.8.* ¶ Tertio loco ait Philoſtorgius, ad Apoſtolorum Eccleſiam excitatum à Conſtantio ſepulchrum patris Conſtantini. Et tamen id à Conſtantino M. ipſomet factum ſcribunt rurſum iidem, Auctor vitæ Conſtantini, *lib.4. cap.60.* Socrates *lib.1. cap.vlt.* & poſt eum Nicephorus, *lib.8. c.vlt. p.166.* Procopius ait, Conſtantinum iuſſiſſe ibi ſibi ſepulchrum fieri, τὰς θήκας γενέσθαι αὐτῷ τε καὶ τοῖς ἐς τὸ ἔπειτα βασιλεύουσιν ἐνταῦθα τάξας. ¶ Quarto ait Philoſtorgius, *prope eam* Apoſtolorum Eccleſiam (ἐν πλησίον) Conſtantium Conſtantini patris ſepulchrum excitaſſe: Rectè *propè*: neque enim in ipſomet Apoſtolorum templo ſepultus à Conſtantio Conſtantinus, verum in atrio & veſtibulo eius, teſte Chryſoſtomo, *aduerſus Gentiles, quod Chriſtus ſit Deus*, & *homilia 26. in 2. ad Corinthios*, & *homilia 60. ad populum Antiochenum.* Zonaras quoque *tomo 3. pag. 9.* ἐν τῷ τῶν ἁγίων Ἀποςόλων ἱερῷ ἐν ἰδιαζούσῃ μέν τοι ςοᾷ, ἣν ἐπὶ τῇ ταφῇ τοῦ πατρὸς αὐτὸς [Κωνςάντιος] ᾠκοδόμησεν. Et author tamen vitæ Conſtantini ait, in ipſomet templo, & medio quidem inter duodecim Apoſtolorum thecas loculo, quem Conſtantinus ipſemet excitauit, conditum Conſtantinum *lib.4. cap.60.*

*& cap.*70. ¶ Quinto ait Philoſtorgius, Reliquias varias Apoſtolorum & Euangeliſtarum à Conſtantio in Apoſtolorum Eccleſiam Conſtantinopolim tranſlatas, puta Andreæ Apoſtoli, Lucæ Euangeliſtæ, cuius nomen celeberrimum fuiſſe ait (nam ita hic repono ὄνομα ὖ κλειτὸν, vel κλητὸν) & Thomæ Apoſtoli. Id verò memorant & Hieronymus, *Chronico, anno Conſtantij* 19. *&* 20. & Theodorus Lector *fine collectan.* & auctor Chronici Alexandrini, qui id factum memorant A.356. & 357. (id eſt, A.355.356) & Acta Artemij 20. Octobris apud Surium *pag.*311. ex metaphraſte, Nicephorus *lib.*10. *cap.*11. qui per Artemium Ducem (cuius alioquin Artemij mentio apud Iulianum *epiſt.*10. Marcellinum *lib.*22. Theodoretum *lib.*3. *cap.*17. & Chron. Alexand. *ann.*363.) tranſlatas has ſub Conſtantio reliquias ſcribunt. Et tamen id a Conſtantino factum præferunt Hieronymus, *in Vigilantium*, & lib. *de ſcriptor. Eccleſ. in Luca.* Paulinus apud Dungalum, referente Baronio *ann.*336. *nu.*70. Verùm antiquæ editiones libri *de ſcriptor. Eccleſ.* præferunt vocem *Conſtantij*, teſte *Victorio.* Quod reliquias verò has attinet, meminit earum quoque Procopius *lib.*1. περὶ κτισμάτων *pag* 8. vt & Nicephorus *d. lib.*10. *cap.*11. & Chronicon Alex. *ann.*337. *pag* 671. eodem etiam ordine quo hic, Andreæ, Lucæ, Timothei: Theodorus Lector aliter. Ex ſuperioribus interim conſtat, è quinque illis quæ hoc capite à Philoſtorgio Conſtantio tribuuntur, complurima ab aliis ferme Conſtantino tribui: quæ & ideò Photius excerpere & ſic notare hic voluerit.

¶AD

¶ Ad Cap. III. *De altero Athanaſii exilio, & Georgij ei ſuffecto.*

De *Athanaſio* iterùm, (ſub Conſtantio iam, (in Synodo *Antiochena*) Alexandria pulſo, & *Georgio* (imo *Gregorio*) ei ſuffecto, & alterâ proinde Athanaſij in Occidentem profectione ſeu exilio, eſt hoc caput. ¶ Ait primùm Philoſtorgius, Conſtantium Imper. cùm comperiſſet (nempe ab Euſebianis) Athanaſium ſedem ſuam (è quâ deiectus fuerat à Synodo Tyria & Conſtantinopolitana) recepiſſe: de quo *cap. vlt. ſuper. lib.* (citra Synodi videlicet conſenſum: nam id vitio datum Athanaſio inter alia: vide Socratem *lib. 2. cap. 2. in fin. & cap 5.* Sozomenum, *lib. 3. cap. 2. pag. 266. f. & cap. 5.*) Alexandria eum expuliſſe. Id quod certe factum in Synodo Antiochenâ, *Marcellino* & *Probino* COSS. A.D. 341. vbi præſens fuit Conſtantius, quo conſentiente Athanaſius damnatus fuit. *Cauſam* porrò alteram abdicationis Athanaſij adjiciunt, Theodoretus *lib. 2 cap. 3*, & Sozomenus *lib. 3 cap. 2 & cap. 5.* nempe quod Ariani Imperatori dixerint, Athanaſij reditum multorum malorum & tumultuum cauſam extitiſſe, neque Ægyptum ſolum, ſed & Palæſtinam, Phœniciam, aliáſq; finitimas prouincias turbulentis fluctibus grauiter agitari.

Secundò ait Philoſtorgius, Georgiûm tùm (in Synodo vid. Antiochenâ) Athanaſio ſuffectum: vbi *Georgium* ipſe vocat, pariter vt *numero 12. infrà*, cùm alij hunc *Gregorium* conſtanter vocent, de hac ſuffectione agentes: apud Athanaſium paſſim, & nominatim, *Apolog. 2 pag. 582*

583 584 590 595, *epiſt. ad Solit. vitam agent* (vbi interpres vbique malè *Georgium* vertit) Rufinus *lib* 1 *cap.* 19. Socrates *lib.* 2 *cap* 7 8. Theodoretus *lib* 2 *cap.* 4. Sozomenus *lib.* 3 *c.* 5: quem & idem Theodoretus ſex annis eam ſedem occupaſſe ait: Quod veriſſimum eſt: ſuffectus enim is Athanaſio A.D. 341. vt dixi in concilio Antiocheno, Marcellino & Probino coss. depoſitus verò in Synodo Sardicenſi A.D. 347. vide ipſammet Synodi epiſtolam apud Athanaſium *Apol.* 2 *pag.* 590. Poſtea certe Georgius quidam Athanaſio ſuffectus fuit, poſt Liberij videl. Oſiique lapſum: de quo *infrà lib.* 7. *cap.* 2. Athanaſius *epiſt. ad Solit. vitam agentes pag.* 652. 653. & 266. (quâ *epiſt. pag.* 653 duos iſtos qui Athanaſio ſub Conſtantio diſtinctis vicibus ſuffecti fuerunt, ita diſertè diſtinguit, ἀπέςειλε τὸ μὲν πρῶτον Γρηγόριον, καὶ νῦν δὲ τὸν ταμειογράφον Γεώργιον: & ſimiliter *pag.* 665 666) Rufinus *lib.* 1. *cap.* 19. Sozomenus *lib.* 2 *cap.* 10. *in fin.* Socrates *lib.* 2. *cap.* 10. *in fin.* vbi in ratione temporis peccat.

Tertiò ait Philoſtorgius, Georgium hunc (qui aliis *Gregorius*) Cappadocem fuiſſe: quod & de priore illo, qui ipſi Gregorius, prædicat *dict. num.* 12. prædicat & Athanaſius paſſim, aliíque. Imò & tertium quoque illum Georgium (ſub Iuliano ſcilicet) de quo *infrà lib.* 7. *cap.* 2. Cappadocem faciunt ſcriptores: quem tamen Marcellinus apud Epiphaniam Ciliciæ oppidum natum ſcripſit *lib.* 22, quod Baronius iam notauit.

Quartò ait Philoſtorgius, Georgium hunc, qui aliis Gregorius, iuſſu Imperatoris creatum. Sic ſanè & Georgius ille, de quo *infrà lib.* 7. *cap.* 2. pariter (ex ſuſceptore tribu-

tributorum, ὑποδέκτης ἐν Κωνσταντινουπόλει ταμιακῶν γενόμενος καὶ σφετερισάμενος, Athanaſio teſte *ad Solit. vit. ag. pag. 666*, ſeu ἀπὸ ὑποδεκτῶν, de *Synodis Arimini & Seleuciæ pag. 673.* ταμειοφάγος *ad Solit. pag. 553*) ab Imp. Conſtantio miſſus fuit, ἀποστελλόμενος παρὰ τοῦ βασιλέως κατάσκοπος, *ad Solit. vit. ag. pag. 652.* ἀπὸ τοῦ Καμιτάτου, *epiſt. ad Orthodod. pag. 723* (quem alioquin locum non cepit Interpres) manúque militari introductus. Certe Athanaſius non vno loco iſtum militari manu à Conſtantio Alexandriam miſſum teſtatur. Et Socratis error eſt, qui *lib. 2. cap. 8* quæ de Syriano Duce (de quo Athanaſius variis locis) militibúſq; armatis ad 5000 qui Gregorium Alexandriam deduxerunt ſcribuntur, ad hunc Gregorium refert, cùm referenda ſint ad tertium; de quo modo & ad A. D. 356.

Quintò ait Philoſtorgius, Athanaſium, minas Imperatoris veritum & exinde mortem, (quod idem & Socrates tradit *lib. 2. cap. 1,*) iterum ad Occidentis Imperatorem profectum. Ait Philoſtorgius, ad Occidentis Imperatorem profectum: At Theodoretus *lib. 2. cap. 4. in pr.* ſimpliciter τὴν ἑσπέραν κατείληφε: Socrates *lib. 2. cap. 8.* & Sozom. *lib. 3. cap. 5. in fin.* aiunt, eum Romam ſiue contendiſſe ſiue vocatum à Iulio, quod etiam Theodoretus ſcribit *dict. lib. 2. cap. 4.* de quo ad *cap. 12.* pleniùs. Et iſtud quidem ſecundum Athanaſij exilium, ſeu altera hæc eius fuga fuit: de quo & *infrà cap. 12.* Cæterùm timiditatis Athanaſium hàc quoque narratione Philoſtorgius apertè arguit: quæ Arianorum quoque criminatio fuit eo tempore quo ad mortem à Syriano Duce quæſitus

fuga ſibi conſuluit, quod argumentum eſt *Apologiæ 1. & 2. de fuga ſua*. Qua ratione autem fugerit vide apud Sozomenum *lib. 2. cap. 5.*

¶Ad Cap. IV. *De Homeritis & Legatione ad eos miſſa, à Conſtantio,* &c. *deq́; Theophilo Indo.*

De *Homeritis* & Legatione ad eos à Conſtantio Imp. miſsâ, ad fidem Chriſtianam his inſinuandam (de quo iam ſuprà *lib. 2. cap. 6.*) & exinde Theophili ad Axumitas profectione Philoſtorgij bene longa narratio hæc eſt, quam exſcribit Nicephorus ex parte *lib. 8. cap. 35.* & pleniùs *lib. 9. cap. 18.* Cui nihil tale apud alios hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcriptores occurrit: cuius etiam occaſione Philoſtorgius in longam παρέκβασιν ſeſe effundit, *cap.* 7, 8, 9, 10, 11. Hanc verò Legationem, vt temporis rationem ſtabiliamus, memorat Philoſtorgius medio tempore inter ea quæ contigêre A. D. 341. & A. D. 346. Quare medio hoc quinquennij ſpatio. Quod tamen Baronius decennio poſt referre maluit ad A. D. 354.

Nunc de ipſis *Homeritis* ante omnia videndum eſt, & initio quidem, de eorum Nomine & Origine, Situ, Ritúque, quam partem exſcribit Nicephorus, tacito vt aliàs ferme Philoſtorgij nòmine *lib. 8. cap. 35.* φασὶν inquit. Homeritas igitur Philoſtorgius, & ſuprà iam *lib. 2. cap. 6.* & hîc iterum, cum Sabæis eoſdem facit, pariter vt Procopius Gazenſis in 1. *Regum*, qui tamen apud Ptolemæum diſtinguuntur. Cæterùm à Saba metropoli *Sabæos dictos* ait: Additq; Sabæos hos ex Chettura Abrahami vxore ortos, de quo & Ioſephus *lib. 1. cap. 16.* vnde proculdubio habet

habet Philoſtorgius Subjicit & Reginam inde ad Salomonem acceſſiſſe, cùm tamen Ioſephus *lib.*8.*cap.*6 Reginam illam Ægypti & Æthiopiæ faciat. Verùm eandem cum Philoſtorgio ſententiam ſequuntur hodie viri docti: nam & Arabia Felix, auri & aromatum abundantiſſima eſt, & Iudææ reſpectu ad Auſtrum ſpectat, cuius *Auſtri regina* dicitur à Chriſto: denique à Iudæa remotiſſima, & in finibus terræ vnde ea veniſſe dicitur. Hoc primum. ¶ Quod *Situm* verò Homeritarum attinet, Philoſtorgius ad extimum Oceanum eos collocat, & ſpecialiùs adhuc in Arabia maiore ſeu Felice, cuius metropolis Saba. Recte hæc fermè omnia Philoſtorgius: Homeritæ enim ad Oceanum ſiti Arabum gens fuit, Saracenis proxima, gentibus his inter ſe mari Rubeo ſeu Arabico diſparatis: quod ex Plinio diſcere eſt, *lib.*6. *c.* 28. (quos & idem inter Arabas numeroſiſſimos fuiſſe ait, ex relatione Ælij Galli) & Ptolemæo *lib.*6.*c.*7 Procopio. 1. *Perſic.* & Procopio Gazenſi *in* 1. *Regum:* Theodoreto *quæſt. in vetus teſtam.* Nonnoſo, apud Photium, *num.*3. De quibus & Vranius primo Arabicorum, apud Stephanum, Καμηλοκόμοι χατεσμῶται, Σαββαῖοι (ιſ. Σάββαιοι) καὶ Ομηρῖται. E regione Homeritarum Axumitæ fuère, de quibus *cap. prox.* Denique Homeritæ inter Arabes ſeu in Arabià cenſiti, à Plinio quoque *dict. lib.*6.*cap.*28. Arriano *in periplo maris Erythræi*, & Ptolemæo *lib.* 6. *cap.* 7. Quare manifeſtus error eſt Stephani, qui Homeritas Æthiopum gentem facit, quod de Axumitis verum eſt: Et eorum maximè, qui Homeritas eoſdem cum Axumi-

Oo

Imperatorum ſtatuas ADORANT *& imagines, hoc ſe facere intelligant, quod tres pueri facere nolentes placuerũt Deo.* Et quidem hic cultus adorationis delatus nominatim à Iudicibus etiam Chriſtianis hoc æuo, quod & locus ille Hieronymi, & alter Chryſoſtomi apertè teſtantur: imò & lex vn. Cod. Theod. *de Imaginib. Imper.* ſeu *l. 2. Cod. de ſtatuis & imaginib. Si quando noſtræ ſtatuæ vel imagines eriguntur, ſeu diebus vt adſolet feſtis ſiue communibus, adſit* IVDEX *ſine adorationis ambitioſo faſtigio.* Id igitur ea l. vetiti facere *Iudices*, qui alioquin Imperatores pro Diis tùm non habuêre. An igitur hæc ipſa cultu ciuili ad illam Conſtantini M. imaginem Porphyreticam, quæ publicè in foro erat, Conſtantinopoli peracta, quæ Philoſtorgius aliò verterit, & liberalius acceperit, pro ſuo in Orthodoxos liuore θεόμαχος ipſe? Orthodoxos, inquam, quos *Chriſtianos* hic Photius vocat: Chriſtiani ſcilicet pro Orthodoxis; & Arianis oppoſiti: Ariani quippe iam olim Patribus nequaquam Chriſtiani viſi: vide Athanaſium *diſput. 1. contra Arianos pag. 125. d: diſput. 2. pag. 156. a, b,* 142. & *contra Arianos orat. 2. pag. 186. a, b: ad Serapionem, pag. 367. in fin.* Item illud quoque certum, Photij æuo *Imaginum ſacrarum* (de Imperatoria hic tantum ſermo eſt, & quidem de ea quæ in foro poſita) vſum cultúmque inoleuiſſe: Quem & ideò Photius non vno Bibliothecæ ſuæ loco tuetur, Iconomachorúmq; adeò hoſtem ſeſe profitetur *num.* 29 52. 110. 111. 114. 119 160. (de quo etiam aliquid *lib. 7. tit 3.*) Adeò quidem, vt Patriarcha in locum Ignatij ſuffectus, vt Legationem à Papa Nicolao emereretur, quò reuerà Ignatij

depoſitio

depoſitio firmaretur, hunc ſpecioſum titulum & prætextum obtenderit A. D. 859 vt eos qui hæreſin Iconomachorum tuerentur, à Chriſtiano nomine reſcinderet, vt ſcribit Nicetas *in ver. Ignatij*; & Anaſtaſius *in verb. Nicolai pag.*311. quod & ipſum Michaël Imp. eodem fine obtendit. Et verò poſt id miſſi a Papa Legati κατὰ τῶν εἰκονομάχων: teſte Cedreno *p.*453. Item de Conſtantino id proditum, quod Eutropius tradit *lib.* 10. eum in Diuos relatum: Imò & illud conſtat, eum à Græcis non tantum vt ἰσαπόστολον habitum, verum diſerte vt ſanctum cultum, quod Menæa Græcorum teſtantur. Item illud comperio apud auctorem vitæ Conſtantini, *lib.*4. *cap.*57. Conſtantini funus ſeu cadauer à Comitibus & Magiſtratibus Senatúque eodem honore cultum quo ſuperſtitem, ſic vt genu flexo id adorarent, γονυκλινεῖς ἠσπάζοντο: Item, quod huic proximum, apud Gregorium Nazianzenum στηλιτευτ. *pag.*118. lego, Conſtantij corpus Conſtantinopolim relatum celebri pompa, ſed & piis officiis nocturnis, cantibus & facibus διὰ δυχίαις, ἃς χριστιανοὶ, inquit, τιμᾷν μετάστασιν εὐσεβῆ νομίζομεν. Tandem apud Theodoretum quoque lego, *lib* 1. *cap. vlt.* (cuius verba non vbíque rectè vertit Interpres) & poſt eum apud Nicephorum *lib.*7. *cap. vlt. pag.*666. cum iuſto iam incremento, creditum miracula & ſanationes morborum ad eam Conſtantini M. ſtatuam & ad eius ſepulchrum facta. Hæc inquam omnia reperio, præter ea quæ de eiuſdem ſepulchro auctor vitæ Conſtantini, *lib.*4. *cap.*71: Nihil tamen quiſquam de eo cultu, cuius nomine Chriſtianos incuſat

Philoſtorgius, memorat. Neque illud etiam omittendum, quanta columnæ iſtius ſub Theodoſio Iun. ratio habita fuerit, vt ſarta ſeruaretur: de quo vide Chron. Alex *ann.* 416.

¶AD CAP. XIX. *De Athanaſii è Gallia reditu poſt Conſtantini M. obitum.*

De *Athanaſii* è Gallia (quò ſcil. in exilium à Conſtantino miſſus fuerat) poſt Conſtantini mortem ad Epiſcopatum reditu eſt hoc caput: de quo ipſemet Athanaſius, *Apol.2.pag.*624. & ad *Solitar.vit. pag.* 631. Epiphanius *hæreſi Meletianorum 68.num.9.* Socrates *lib.2.cap.2.* Theodoretus *lib.2.cap.1.* Sozomenus *lib.3. cap.2.* & poſt eos Nicephorus *lib.9.cap.3.*¶ Tria porrò ſuper hac re narrat Philoſtorgius. Primò ait, Athanaſium è Gallia Alexandriam ab exilio reuerſum, pariter vt cæteri qui exiliis adflictabantur redeundi poteſtatem accepêre. Quod poſtremum ab Athanaſio quoque proditum, *ad Solitar. vit. ag. pag.*631.*a.* Ipſe verò Athanaſius reſtitutus Conſtantini Iun. Galliarum Imperatoris literis, ex vrbe Treuirorũ datis, ídque patris iudicium & deſtinationem ſecuti, quod ipſemet Athanaſius non vno loco tradit: At Epiphanius *dict. loco* ait, ἐκ τῶν δύο βασιλέων, Conſtantini ſcil. & Conſtantis mandato, & Conſtantio probante, συνδοκοῦντος. Secundò ait Philoſtorgius, Athanaſium Gregorio (de quo *ſup.tm.*12.) tùm mortuo ſedem recuperaſſe: Quod & ipſum ſcribere videatur Epiphanius, *dict.num.*9. καὶ καθίζει πάλιν εἰς τὸν θρόνον μετὰ τὸν διαδεξάμενον αὐτὸν ὑπὸ τῶν Ἀρειανῶν πεμφθέντα Γρηγόριον ὅτι ἦν ἐν ἐξορίᾳ Ἀθανάσιος. Verùm de hoc,

ad d.tm.

*ad d.tm.*12. Poſtremò Philoſtorgius Athanaſium eo nomine reprehendit, vel potius calumniatur, quod ſedem Alexandrinam nulla eorum qui eum depoſuerant ratione habitâ receperit, Tyriam videlicet & Conſtantinopolitanam Synodum indicans, ann.335. & 336. in quibus Athanaſius exauctoratus fuerat, de quo *d tm.12. ſup.* Id verò olim crimini datum Athanaſio ab Arianis mox in Synodo Antiochenâ A.D.341. quod videlicet à Synodo damnatus abſque Synodo ſedem contra canones repetiiſſet: vide Socratem *2.cap.2. in fi & 5.* & Sozomenum *lib.3. cap.2. in princ. & cap.3.* de quo infrà *lib.3.cap.3.* Quod crimen Philoſtorgius tanto poſt auidè hic ſublegit & in ſcenam iterùm repoſuit.

IN LIBRVM TERTIVM.

¶ AD CAP. I. *De Conſtantini Iun. cæde.*

DE *Conſtantini Iun.* cœde eſt hoc caput, vbi Philoſtorgius non vno modo vel peccat, vel ab aliis recedit. Primò, perperàm Conſtantem natu maximum inter Conſtantini liberos facit: cùm reuera Conſtantinus Iun. natu maximus fuerit, Conſtans verò natu minimus, νεώτατος, vt diſertè alij, & vel Zoſimus, *lib.2.pag.691.* Socrates, *lib.2.cap.3. & 11. in princ.* & Theodoretus, *lib.1.c.32.in fi.lib.2.c.5.in pr.*

tem ob ſtudium erga Athanaſium per Magnentij tyrannidem vita priuatum. Cum tamen Orthodoxi Conſtantem miris laudibus efferant, & in his Athanaſius, tanquam piiſſimum *εὐσεβέστατον φιλόχριστον*, *Apologia ad Conſtantium pag.525. e.* & Arianæ ſectæ infeſtum, vt qui Euſebianos legatos ad ſe miſſos ad Athanaſium accuſandum calumniæ conuictos reiecerit, vt teſtatur ipſe *ad Solitar. vitam agentes pag. 631. c:* Athanaſio contrà cùm maximè fauerit, concilium Sardicenſe promouerit; Eccleſias item donariis repleuerit, *apolog. ad Conſtantium pag 528.* vbi eundem & beatum vocat, imò & martyrem. Illud equidem Socrates ſcribit *lib.2. cap.20*, Conſtantem etſi fratrem interfici non iuſſerit, attamen cœdem eius non vetuiſſe.

¶Ad Cap. II. *de Conſtantij laudibus, & Eccleſiis ab eo excitatis Conſtantinopoli, &c.*

In *Conſtantij* laudes effertur hoc capite Philoſtorgius, vti contrà Conſtantem ſuperiore capite inſectatus fuerat: Et quidem tùm ob Eccleſias excitatas, tùm ob reliquias Apoſtolorum Conſtantinopolim tranſlatas. Quod *Eccleſias* attinet, duas à Conſtantio Conſtantinopoli excitatas memorat Philoſtorgius: Primo quidem, *Magnam Eccleſiam*, ἣν, inquit, *τὴν καλουμένην μεγάλην*, (quæ & alias ſiue Εἰρήνη ſiue Σοφία dicta fuit.) De qua Eccleſia inter alios Hieronymus, *Chronico*, Socrates, *lib.2. cap.12. in fi. & 33.* Sozomenus, *lib.1. cap 12. & lib.3. cap.5. in princ.* auctor martyrij Pauli Conſtantinop. *apud Photium pag. 1423.* Cedrenus *pag.245.* Chronicon Alexand. vbi pro *τὴν τοῦ θεοῦ μεγάλην*

ἐκκλησίας, reponendum *μεγάλην*: vt apud eundem authorem A.360 *pag.* 684. dicitur *μεγάλη ἐκκλησία*: quomodo hîc ea vocatur,& à Socrate *lib.2.c.12.in fin.* Porrò narrat id Philoſtorgius inter Conſtantini Iun. cœdem, quæ congruit A.D.340. & alterum Athanaſij exilium, quod incidit in A.D. 341. (quo alioquin interuallo Sozomenus *lib.3. cap.5. in princ.* Dominicum Antiochiæ abſolutum refert) Socrates id narrat poſt ſecundum ſtatim exilium Athanaſij. Encœnia certe magnæ Eccleſiæ illius abſolutæ longe poſteriora ſunt & referenda ad Conſtantium decimum, & Iulianum tertium, COSS. A.D.360, quod faciunt exerte Socrates *lib.2.cap.33.* Sozom. *lib.4.cap.25. in princ.* Conſularia Idaciana, & Chronicon Alex. *pag.*682. Porrò cœpta fuerat hæc Eccleſia à Conſtantino M. à Conſtantio verò abſoluta (& ab Euſebio dedicata) quod Socrates ſcribit *lib.2.cap.12.in fin.* Cedrenus *pag.*245. & auctor Chronici Alexand. *d.pag.*684. vbi addit, abſolutam eam 34. plus minus anno poſteaquàm à Conſtantino fundamenta eius iacta fuerant. Vnde colligitur, Conſtantinum hanc Eccleſiam, ſtatim vt de Conſtantinopoli excitanda cogitauit, A D.328. excitare cœpiſſe. Ex quo authore vt & Socrate *lib.2. cap.33.* etiam illud diſcimus 14. vel 15 Februarij Encœnia huius Eccleſiæ celebrata. Conflata porrò hæc magna Eccleſia ex duabus Eccleſiis, Pacis *εἰρήνης* quæ à patre excitata fuerat, & *σοφίας* quam Conſtantius ædificauit: ſic vt vno muro circumdatæ vno quoque nomine appellarentur: quæ omnia ſcribit Socrates *d. lib.2. cap.15 in fin.* Sic & Dominicum Antiochiæ

chiæ à Conſtantino M. cœptum, à Conſtantio verò abſolutum fuiſſe, ſcribit Sozomenus *lib.3.cap.5.* ¶ Alterum templum à Conſtantio Conſtantinopoli excitatum, Philoſtorgius ait, τὸ κοινὸν τῶν Ἀποστόλων ἐπιφερόμενον ὄνομα, quod ſub finem περιώνυμον καὶ σεβάσμιον οἶκον vocat. Et tamen à Conſtantino M. excitatum id ait author vitæ Conſtantini, *lib.4. cap.58.59.60.* vt & Socrates, *lib.1. cap.12. in fin cap. vlt.* & Procopius περὶ κτισμάτων, περὶ τῶν Ἀγυστίνου *pag.8.* ¶ Tertio loco ait Philoſtorgius, ad Apoſtolorum Eccleſiam excitatum à Conſtantio ſepulchrum patris Conſtantini. Et tamen id à Conſtantino M. ipſomet factum ſcribunt rurſum iidem, Auctor vitæ Conſtantini, *lib.4. cap.60.* Socrates *lib.1. cap.vlt.* & poſt eum Nicephorus, *lib.8. c. vlt. p.166.* Procopius ait, Conſtantinum iuſſiſſe ibi ſibi ſepulchrum fieri, τὰς θήκας γενέσθαι αὐτῷ τε καὶ τοῖς ἐς τὸ ἔπειτα βασιλεύουσιν ἐνταῦθα τάξας. ¶ Quarto ait Philoſtorgius, *prope eam* Apoſtolorum Eccleſiam (ὁ πλησίον) Conſtantium Conſtantini patris ſepulchrum excitaſſe: Rectè *propè*: neque enim in ipſomet Apoſtolorum templo ſepultus à Conſtantio Conſtantinus, verum in atrio & veſtibulo eius, teſte Chryſoſtomo, *aduerſus Gentiles, quod Chriſtus ſit Deus*, & *homilia 26. in 2. ad Corinthios*, & *homilia 60. ad populum Antiochenum.* Zonaras quoque *tomo 3. pag. 9.* ἐν τῷ τῶν ἁγίων Ἀποστόλων ἱερῷ ἐν ἰδιαζούσῃ μέντοι στοᾷ, ἣν ἐπὶ τῇ ταφῇ τοῦ πατρὸς αὐτὸς [Κωνστάντιος] ᾠκοδόμησεν. Et author tamen vitæ Conſtantini ait, in ipſomet templo, & medio quidem inter duodecim Apoſtolorum thecas loculo, quem Conſtantinus ipſemet excitauit, conditum Conſtantinum *lib.4. cap.60.*

*& cap.*70. ¶ Quinto ait Philoſtorgius, Reliquias varias Apoſtolorum & Euangeliſtarum à Conſtantio in Apoſtolorum Eccleſiam Conſtantinopolim tranſlatas, puta Andreæ Apoſtoli, Lucæ Euangeliſtæ, cuius nomen celeberrimum fuiſſe ait (nam ita hîc repono ὄνομα ὃ κλειτόν, vel κλυτόν) & Thomæ Apoſtoli. Id verò memorant & Hieronymus, *Chronico, anno Conſtantij* 19. *&* 20. & Theodorus Lector *fine collectan.* & auctor Chronici Alexandrini, qui id factum memorant A. 356. & 357. (id eſt, A. 355. 356) & Acta Artemij 20. Octobris apud Surium *pag.* 311. ex metaphraſte, Nicephorus *lib.* 10. *cap.* 11. qui per Artemium Ducem (cuius alioquin Artemij mentio apud Iulianum *epiſt.* 10. Marcellinum *lib.* 22. Theodoretum *lib.* 3. *cap.* 17. & Chron. Alexand. *ann.* 363.) tranſlatas has ſub Conſtantio reliquias ſcribunt. Et tamen id à Conſtantino factum præferunt Hieronymus, *in Vigilantium*, & lib. *de ſcriptor. Eccleſ. in Luca.* Paulinus apud Dungalum, referente Baronio *ann.* 336. *nu.* 70. Verùm antiquæ editiones libri *de ſcriptor. Eccleſ.* præferunt vocem *Conſtantij*, teſte *Victorio.* Quod reliquias verò has attinet, meminit earum quoque Procopius *lib.* 1. περὶ κτισμάτων *pag* 8. vt & Nicephorus *d. lib.* 10. *cap.* 11. & Chronicon Alex. *ann.* 337. *pag* 671. eodem etiam ordine quo hîc, Andreæ, Lucæ, Timothei: Theodorus Lector aliter. Ex ſuperioribus interim conſtat, è quinque illis quæ hoc capite à Philoſtorgio Conſtantio tribuuntur, complurima ab aliis fermè Conſtantino tribui: quæ & ideò Photius excerpere & ſic notare hic voluerit.

¶Ad Cap. III. *De altero Athanaſii exilio, & Georgij ei ſuffecto.*

De *Athanaſio* iterùm, ſub Conſtantio iam, (in Synodo *Antiochena*) Alexandriâ pulſo, & *Georgio* (imò *Gregorio*) ei ſuffecto, & alterâ proinde Athanaſij in Occidentem profectione ſeu exilio, eſt hoc caput. ¶ Ait primùm Philoſtorgius, Conſtantium Imper. cùm comperiſſet (nempe ab Euſebianis) Athanaſium ſedem ſuam (è quâ deiectus fuerat à Synodo Tyria & Conſtantinopolitana) recepiſſe: de quo *cap. vlt. ſup. r. lib.* (citra Synodi videlicet conſenſum: nam id vitio datum Athanaſio inter alia: vide Socratem *lib. 2. cap. 2. in fin. & cap 5.* Sozomenum, *lib. 3. cap. 2. pag. 266. f. & cap. 5.*) Alexandria cum expuliſſe. Id quod certe factum in Synodo Antiochenâ, *Marcellino & Probino* COSS. A. D. 341. vbi præſens fuit Conſtantius, quo conſentiente Athanaſius damnatus fuit. *Cauſam* porrò alteram abdicationis Athanaſij adjiciunt, Theodoretus *lib. 2 cap. 3,* & Sozomenus *lib. 3 cap. 2 & cap. 5.* nempe quod Ariani Imperatori dixerint, Athanaſij reditum multorum malorum & tumultuum cauſam extitiſſe, neque Ægyptum ſolum, ſed & Palæſtinam, Phœniciam, aliáſq; finitimas prouincias turbulentis fluctibus grauiter agitari.

Secundò ait Philoſtorgius, Georgium tùm (in Synodo vid. Antiochena) Athanaſio ſuffectum: vbi *Georgium* ipſe vocat, pariter vt *numero 12. infrà*, cùm alij hunc *Gregorium* conſtanter vocent, de hac ſuffectione agentes: apud Athanaſium paſſim, & nominatim, *Apolog. 2 pag. 582.*

583 584 590 595, *epiſt. ad Solit. vitam agent* (vbi interpres vbique malè *Georgium* vertit) Rufinus *lib.1 cap.19.* Socrates *lib.2 cap 7 8.* Theodoretus *lib 2 cap.4.* Sozomenus *lib.3 c.5:* quem & idem Theodoretus ſex annis eam ſedem occupaſſe ait: Quod veriſſimum eſt: ſuffectus enim is Athanaſio A.D.341. vt dixi in concilio Antiocheno, Marcellino & Probino coss. depoſitus verò in Synodo Sardicenſi A.D.347. vide ipſammet Synodi epiſtolam apud Athanaſium *Apol.2 pag.590.* Poſtea certe Georgius quidam Athanaſio ſuffectus fuit, poſt Liberij videl. Oſiique lapſum: de quo *infra lib.7. cap.2.* Athanaſius *epiſt. ad Solit. vitam agentes pag.652. 653. & 266.* (quâ *epiſt. pag.653* duos iſtos qui Athanaſio ſub Conſtantio diſtinctis vicibus ſuffecti fuerunt, ita diſertè diſtinguit, ἀπέστειλε τὸ μὲν πρῶτον Γρηγόριον, καὶ νῦν δὲ τὸν ταμειογράφον Γεώργιον: & ſimiliter *pag.665 666*) Rufinus *lib.1.cap.19.* Sozomenus *lib.2.cap.10.in fin.* Socrates *lib.2.cap.10.in fin.* vbi in ratione temporis peccat.

Tertiò ait Philoſtorgius, Georgium hunc (qui aliis *Gregorius*) Cappadocem fuiſſe: quod & de priore illo, qui ipſi Gregorius, prædicat *dict. num.12.* prædicat & Athanaſius paſſim, aliique. Imò & tertium quoque illum Georgium (ſub Iuliano ſcilicet) de quo *infrà lib.7. cap.2.* Cappadocem faciunt ſcriptores: quem tamen Marcellinus apud Epiphaniam Ciliciæ oppidum natum ſcripſit *lib.22*, quod Baronius iam notauit.

Quartò ait Philoſtorgius, Georgium hunc, qui aliis Gregorius, iuſſu Imperatoris creatum. Sic ſanè & Georgius ille, de quo *infrà lib.7. cap.2.* pariter (ex ſuſceptore tribu-

tributorum, ὑποδίκτης ἐν Κωνσταντινουπόλει ταμιακῶν γενόμενος καὶ σφετερισάμενος, Athanaſio teſte *ad Solit. vit. ag. pag.666*, ſeu ἀπὸ ὑποδικτῶν, de *Synodis Arimini & Seleuciæ pag.673*. ταμειοφάγος *ad Solit.pag.5*[?]3) ab Imp Conſtantio miſſus fuit, ἀποςελλόμενος παρὰ τοῦ βασιλέως κατάσκοπος, *ad Solit.vit.ag. pag.652*. ἀπὸ τοῦ Κομιτάτου, *epiſt. ad Orthodod. pag.723* (quem alioquin locum non cepit Interpres) manúque militari introductus. Certe Athanaſius non vno loco iſtum militari manu à Conſtantio Alexandriam miſſum teſtatur. Et Socratis error eſt, qui *lib.2. cap.8* quæ de Syriano Duce (de quo Athanaſius variis locis) militibúſq; armatis ad 5000 qui Gregorium Alexandriam deduxerunt ſcribuntur, ad hunc Gregorium refert, cùm referenda ſint ad tertium; de quo modo & ad A.D.356.

Quintò ait Philoſtorgius, Athanaſium, minas Imperatoris veritum & exinde mortem, (quod idem & Socrates tradit *lib.2. cap.15*) iterum ad Occidentis Imperatorem profectum Ait Philoſtorgius, ad Occidentis Imperatorem profectum: At Theodoretus *lib.2.cap.4.in pr.* ſimpliciter τὴν ἑσπέραν κατέλαβε: Socrates *lib. 2. cap.8.* & Sozom. *lib.3. cap.5. in fin.* aiunt, eum Romam ſiue contendiſſe ſiue vocatum à Iulio, quod etiam Theodoretus ſcribit *dict.lib.2. cap.4.* de quo ad *cap.12.* pleniùs. Et iſtud quidem ſecundum Athanaſij exilium, ſeu altera hæc eius fuga fuit: de quo & *infrà cap.12.* Cæterùm timiditatis Athanaſium hàc quoque narratione Philoſtorgius apertè arguit: quæ Arianorum quoque criminatio fuit eo tempore quo ad mortem à Syriano Duce quæſitus

habet Philoſtorgius. Subjicit & Reginam inde ad Salomonem acceſſiſſe, cùm tamen Ioſephus *lib.8.cap.6* Reginam illam Ægypti & Æthiopiæ faciat. Verùm eandem cum Philoſtorgio ſententiam ſequuntur hodie viri docti: nam & Arabia Felix, auri & aromatum abundantiſſima eſt, & Iudææ reſpectu ad Auſtrum ſpectat, cuius *Auſtri regina* dicitur à Chriſto: denique à Iudæa remotiſſima, & in finibus terræ vnde ea veniſſe dicitur. Hoc primum. ¶ Quod *Situm* verò Homeritarum attinet, Philoſtorgius ad extimum Oceanum eos collocat, & ſpecialiùs adhuc in Arabia maiore ſeu Feliçe, cuius metropolis Saba. Recte hæc fermè omnia Philoſtorgius: Homeritæ enim ad Oceanum ſiti Arabum gens fuit, Saracenis proxima, gentibus his inter ſe mari Rubeo ſeu Arabico diſparatis: quod ex Plinio diſcere eſt, *lib.6. c.28.* (quos & idem inter Arabas numeroſiſſimos fuiſſe ait, ex relatione Ælij Galli) & Ptolemæo *lib.6.c.7* Procopio *1.Perſic.* & Procopio Gazenſi *in 1. Regum:* Theodoreto *quæſt. in vetus teſtam.* Nonnoſo, apud Photium, *num.3.* De quibus & Vranius primo Arabicorum, apud Stephanum, Καμηλοκόμοι χατερμῶται, Σαββαῖοι (ἰσ. Σάββαι οἱ) καὶ Ομηρῖται. E regione Homeritarum Axumitæ fuère, de quibus *cap. prox.* Denique Homeritæ inter Arabes ſeu in Arabià cenſiti, à Plinio quoque *dict.lib.6.cap.28.* Ariano *in periplo maris Erythræi*, & Ptolemæo *lib. 6. cap. 7.* Quare manifeſtus error eſt Stephani, qui Homeritas Æthiopum gentem facit, quod de Axumitis verum eſt: Et eorum maximè, qui Homeritas eoſdem cum Axumi-

tis faciunt, hoc tantùm diſcrimine, quod qui priùs Homeritæ dicebantur quamdiu in Arabia fuerunt, poſtea in Æthiopiam tranſlati Axumitæ dicti fuerint. Quibus vel Philoſtorgius noſter refutandis deinceps ſufficiet, qui tam clarè eos diſtinguit. Procopius quoque Gazenſis in 1. *Regum* de Sabæis. ἔθνος ἐςὶν Αἰθιοπικόν· ἐντεῦθεν δὲ κεῖθαι φασὶν αὐτοὺς τῆς θαλάσσης τῆς Ἰνδικῆς, ὀνομάζουσι δὲ αὐτοὺς Ὁμηρίτας, κατ᾽ ἀντικρὺ δὲ εἰσι τῶν Αὐξουμιτῶν· μέση δὲ τούτων χαλκείων ἡ θάλασσα: Qui locus egregiè cum Philoſtorgio concinit, in deſcribendo eorum ſitu. ¶ 3. Nunc de Homeritarum *Vrbibus*. Philoſtorgius igitur Homeritarum metropolin, non Sabam tantùm (vnde Sabæi) verùm & *Tafaron* quoque fuiſſe ait. Τάφφαρα hæc dicuntur apud Stephanum. Τάφφαρα, inquit, οὐδετέρως, πόλις τῆς εὐδαίμονος Ἀραβίας, ὁ πολίτης Ταφφαρηνὸς (hoc ipſum repetitur & in voce Ἄδανα) ὡς Ζόαρα Ζοαρηνὸς, Αὔαρα Αὐαρηνὸς, ὡς Οὐράνιος ἐν Ἀραβικῶν ζ´ τῷ. Ammianus quoque Marcellinus, *lib.23.pag.274.* inter eximias Arabum beatorum ciuitates hanc *Tapharum* memorat, & *Taphron*, vel vt alij, *Taphra* vocat. *Ac licet abundet vrbibus mediterraneis atque maritimis, campiſque coproſis & vallibus, has tamen habet ciuitates eximias, Geapolim & Naſcum & Baraba, itidemque Nagara & Mephran, &* TAPHRON (al. TAPHRA) *& Dioſcuriada*: Apud Ptolemæum quoque, *lib.6.cap.7,* Ταπφαρῖται (nam ita diſertè codices quidam habent, etſi alij Σαπφαρῖται) iuxta Homeritas in Arabia Felice memorantur: & mox Σάπφαρα vel Σάπφαρ μητρόπολις: vt & *lib.8. pag.241.* Σάπφαρ: vbi & interuallum eius ab Alexandria deſignat. Et apud Arianum *in periplo*

in periplo maris Rubri pag. α. 11. Τάπαρα ἐμπόρια Βαρβαρικά: item Ἀσαφ, quam diſertè metropolin Homeritarum vocat *pag.* α. 111. Et hæc de Tapharo. 4. Atenim præter Sabam & Tapharon, duo præterea Homeritarum emporia memorat hic Philoſtorgius: nempe, Emporium Romanum, & Emporium Perſicum. De *Romano* Homeritarum *emporio* tria ait, 1. ſitum id extrorſum ad Oceanum: 2. Regionem vocari *Adanen*: & ſic Emporium Romanum iſtud fuiſſe in regione, quæ vocatur *Adane.* De hâc Adane Vranius quoque *lib.* 3. *Arabicorum*, & Herodianus *lib.* 4. apud Stephanum in Ἄδανα. Ἄδανα ἔστι δὲ καὶ ἑτέρα πόλις ἐν μεσογείῳ τῆς εὐδαίμονος Ἀραβίας, ὡς Οὐράνιος φησὶν ἐν Ἀραβικῶν τρίτῳ. Sic & apud Ptolemæum, ad marginem τῆς Ἀραβίας ἐμπορίου, adſcriptum, *Aden aliis vocari.* Ea verò hodienum *Aden* vrbs regnúmque dicitur. 3. Ait Philoſtorgius ad Romanum Homeritarum emporium appellere Romanos ſolitos (nempe commercij ergo.) Hoc verò proculdubio emporium illud eſt, quod Ptolemæus *lib.* 6. *cap.* 7. in Homeritarum regione diſertè vocat Ἀραβίας ἐμπόριον, vbi ad marginem vt dixi, adſcriptum, *Aden aliis vocari*: cuius eiuſdem meminit & *lib.* 8. *pag.* 242. vbi & diſtantiam eius ab Alexandria deſignat: à quo eodem in eâdem Arabiâ Felice alia Emporia memorantur: puta in Adranitarum regione, Καὶν ἐμπόριον καὶ ἄκρον: in Eliſarorum, Μοῦζα ἐμπόριον, Ὄκηλις ἐμπόριον: in Mediterraneâ Arabia, Ὀμανὸν ἐμπόριον: quorum etiam omnium interualla ab Alexandriâ (quò ſcilicet merces Arabicæ conuehebantur) deſcribit *lib.* 8. *pag.* 241. 242. Nempe felix illa

diuéſque Arabia, Romanorum commerciis patuit; in quem finem emporia quædam ſeu commerciorum loca deſtinata erant, pariter vt apud alias vicinas Romanis gentes commerciorum loca fuêre: vide vel Ammianum Marcellinum, & Itiner. Peutingerianum: vti viceuersâ certa commerciorum loca in Orbe Romano Barbaris patuêre: de quo vtroque vide vel *l.*4. *Cod. de commerciis & mercatoribus.* Et hæc de Romano Emporio apud Homeritas. *Perſicum* quoque apud eoſdem *emporium* memorat hic Philoſtorgius; nempe quò Perſæ commercij ergo commeabant, quibus Arabes felices à læua Perſico mari collimitabant, vt ait Marcellinus *lib.*23.*pag.*255. qui etiam ait, ibi fuiſſe *Emporia denſa.* Verùm quænam ſiue Romana ſiue Perſica emporia ibi fuerint, ſi quis ſcire aueat, & quid ad quemque locum comportatum, commercatumque fuerit, legat is Ariani *periplum maris Erythræi.* Et hæc de ſitu vrbibuſque Homeritarum.

4 ¶Quod *Ritus moréſque* Homeritarum attinet, ait Philoſtorgius (quod etiam exſcripſit Nicephorus, *lib.*8. *cap.*35 Primò, circumciſam eam gentem fuiſſe. Certe de iis quoq; populis paſſim Æthyopibus, Troglodytis (qui poſtea Axumitæ dicti, de quibus *cap.prox.*) & Herodotus, & Agatharchides, *lib.*5.*cap.*30. & Diodorus, *lib.*3. & Strabo *lib.*16.*p.*530.531. notat, eos κολοβοὺς τὰς βαλάνους, imò & γυναῖκας Ἰουδαϊκῶς ἐκτετμημένας fuiſſe: & à Pytholai promontorio rurſum ὁλοκλήρους fuiſſe. De Idumæis, de Chetturâ & Ægyptis Theodoretus in Catena Patrum *in Pentateuchum.* Secundò, quod tempus circumciſionis attinet, ait Homeritas

meritas circumciſos octauo die: Nempe more Iudaico. Et Ioſephus tamen *lib.*1. *Antiq.*23. & Euſtathius *in Hexaemeron pag.* 60. ait Arabas poſt decimum tertium annum id facere. Tertiò ait Philoſtorgius, Homeritas ſacrificaſſe Soli, Lunæ, cæteriſq; dæmonibus indigenis: Quod etiam habent acta Metaphraſtis apud Surium 24. *Octob.* totidem penè verbis, vbi de Axumitarum & Homeritarum Rege: *Omnes qui erant in ſuà poteſtatę habebat circunciſos, partim quidem Iudaicam ſequentes ſuperſtitionem, partim autem plane Gentiles, Soli & Lunæ ſacrificantes & dæmonibus,* &c. Certe Arabes Soli & Lucifero ſacrificaſſe teſtatur quoq; Nilus, *in narratione de cæde Monachorum montis Sinai, & Theoduli filij captiuitate.* Et iam olim Arabes duo tantum numina coluiſſe Arrianus ſcribit, 4.*de exped.Alex.pag.*161: Cœlum, quod Solem aſtráque alia in ſe contineret, & Dionyſium, ob famam ducti ad Indos exercitus. Sic & Blemyes Soli ſacrificaſſe, & quidem humana hoſtia ſcribit Procopius 1. *Perſic.* Poſtremò ait Philoſtorgius, Iudæos quoque multos hoc æuo apud Homeritas fuiſſe, ídque duobus locis huius capitis ſcribit. Prodit id quoque Procopius 1. *Perſicorum pag.* 34. ἐπειδὴ Ὁμηριτῶν ἔγνω πολλοὺς μὲν Ἰουδαίους ὄντας, &c. & prædicta acta apud Surium ſub Iuſtino Imp. Vt proinde mirum non ſit, ſi circumciſa gens ea fuerit, quando & ex Chetturâ Abrahami ea orta: & Iudæi his plurimi immixti fuêre. Et hactenus quidem de Homeritis ipſis, eorúmque moribus.

¶ Nunc, de *Legatione*, quam à Conſtantio ad Homeritas miſſam Philoſtorgius ſcribit, quiſve eius Legationis

exitus fuerit. Quam quidem narrationem à Nicephoro, vti dixi, ex Philoſtorgio mutuatam, Baronius pro ſuſpecta habuit A D. 354. *num.* 14. 15. 16. quando nulli prætereà ex hiſtoricis Eccleſiaſticis idem memorant. Addo, Philoſtorgium ſibi vix in omnibus conſtare videri, vt ex collatione capitis *6. ſuperiori libro* cum hoc colligitur. Tandem, non alio fine hæc ſcripta à Philoſtorgio, quàm in Ariomanitarum gratiam. Nos Philoſtorgium ſequamur, qui non omninò ſaltem falſus, vel in omnibus. Primò ſpectandum illud, agi hîc de amicâ Conſtantij ad Homeritas legatione, pariter vt ad Axumitas. Nempe, vt ab antiquo Homeritæ & Axumitæ Romanorum fœderati fuêre (quod de Homeritis quoque nominatim teſtatur Arrianus, *in periplo maris Rubri p.* α IIII.) ita & ſub Conſtantio Imp. nominatim, ſub quo nunc verſamur. Fidem facit de Axumitis Conſtantij Imp epiſtola *ad Tyrannos Axumitarum Arzanam & Sazanum*, in quâ de Frumentio Epiſc. Auxumitano & Athanaſio Alexandrino agit, quam memorat Athanaſius. *Apolog. ad Imp. Conſtantium pag.* 540. & ipſam conſignat *pag.* 542. vbi & fine epiſtolæ Conſtantius eos vocat ἀδελφοὺς τιμιωτάτους: Eáque refert, ſeſe his paria cum Romanis iura tribuiſſe, τῆς αὐτῆς προνοίας ἀξιοῦντες ὑμᾶς καὶ τὴν ἴσην Ρωμαίοις μεταδιδόντες. De vtriſque, de Axumitis inquam & Homeritis, teſtis quoque eiuſdem Conſtantij Imp. conſtitutio: quæ eo ipſo anno 356 data eſt quo ſuperior illa eiuſdem Imperatoris epiſtola ad Tyrannos Axumitarum. Ea ſic habet *l. 2. Cod. Theod. de Legatis.*

Con-

Conſtantius A. & Iulianus C. Muſoniano PP.

Nullus ad gentem Axumitarum & Homeritas ire præceptus vltra annui temporis ſpatium debet Alexādriæ de cætero demorari, nec poſt annum percipere alimonias annonarias. Dat. XVIII. *Kal. Febr. Med. Indictione* XV. *Conſtantio A.* VIII. *& Iuliano Cæſ. Coſſ.* Fœderati igitur Romanis fuêre & Homeritæ & Axumitæ hoc Conſtantij æuo: vt & deinceps quoque mansêre etiam ſub Iuſtiniano, Procopio teſte, *lib.1. Perſicor. p.32.* & Nonnoſo, *apud Photium*; aduerſus Perſas videlicet quibus vicini erant; cum quibus Perſis ſanè Conſtantio Imp. hoc æuo res erat, qui tùm Armeniam & Meſopotamiam incurſabant, cùm Muſonianus PP. eſſet (cui ſuperior lex illa inſcribitur) teſte Ammiano Marcellino, *lib.15. pag.61. 62: lib.16. pag.64: lib.17. p.102.* Inde igitur Legationes iſtæ à Conſtantio ad Homeritas & Axumitas miſſæ, vt non tantum ex hoc Philoſtorgij loco liquet, verùm etiam ex *dict. l.2.* quæ proinde Philoſtorgium non omninò neque vbique falſum in hâc narratione oſtendit.

Finis porrò, quod ſecundum, Legationis iſtius, quam præ manibus nunc habemus, à Conſtantio videlicet ad Homeritas miſſæ, hic à Philoſtorgio redditur, puta vt ad pietatem ſeu fidem Chriſtianam eos traduceret: de quo iam ad *cap.6. ſuperioris libri 2.* Et Metaphraſtes apud Surium 24. *Octob.* cuius verba, ſiue hinc ſiue è Nicephoro mutuata, hîc apponere iuuat, vt appareat quomodo ea inflexa ab eo ſcriptore fuerint. *Ciuitas in Homeritide quæ vocatur Nigren, cum iam longo ab hinc tempore veniſſet ad agnitionem veritatis & pietatem ſuſcepiſſet, nempe ex quo Conſtantius*

Magni Conſtantini filius ad Sabæos qui nunc vocantur Homeritæ, nisi vero ſunt ex Cetura Abrahæ, miſit Legatos, & Rege gentis illius muneribus ſibi conciliato ædificauit hic in ciuitate Eccleſias: & quendam virum pium, qui ad vitam ſe conuerterat monaſticam, & moralibus & actiuis virtutibus erat magnus: atque adeo omnibus ſui temporis ſuperior, miſit, vt præeſſet iis qui ad veram acceſſiſſent religionem. Quo quidem tempore Iudæis reſiſtentibus & Barbaro ſuadentibus ne tam facile hoſpitem admitteret in ciuitatem, neque circa res diuinas aliquid innouaret, niſi prius vir religioſus aliquod ſignum oſtenderet (quomodo ſolent iſti petere, vt qui ſint increduli) quod quidem ſi præſtiterit, tunc ei concederet ingreſſum in ciuitatem. Ille diuinis fretus promiſſis, quod ſigna ſequerentur eos qui crediderint, annuit citra vllam dubitationem, & eorum quæ petebantur miraculorum magnam oſtendit operationem. Ab illo tempore ciuitas Dominum pure colens & orthodoxa diuinorum patrum ſequens dogmata perſeuerabat,&c. Quæ præterea ſub Iuſtino & Iuſtiniano Imp. apud hos populos facta circa fidem Chriſtianam, vide apud *Cedrenum*, & Hiſtoriæ *Miſcellæ ſcriptorem*. Tertiò, *Theophilum* Legationis iſtius à Conſtantio ad Homeritas miſſæ principem fuiſſe, ait Philoſtorgius: De quo Theophilo multa habet, vt hoc opere paſſim, ita hoc capite, quæ hinc etiam exſcripſit Nicephorus *lib.9 cap.*18. déque eo Thalaſſij locus apud Suidam, quem vide *infrà extremò cap.6.* Primò ait, eum *Indum* fuiſſe, ex inſula *Diuu.* Διβοῦ, vel Διβοῦς. inſula, de qua bis hoc capite, à qua & incolæ ab eodem Philoſtorgio Διβηνοὶ dicuntur: male apud Nicephorum *lib.9.cap* 18. Διαβοῦς & Διαβηνοὶ: vnde maiore adhùc errore Interpres

Adiabenos

Adiabenos fecit, quem alioquin etiam ſecutus eſt Baronius in Annalibus *Ann.354.num.12.& 14.Divu* ſcilicet hæc gens eſt, hi *Diuæi*, quorum meminit Vetus Orbis deſcriptio, ſub hoc ipſo Conſtantio Imp. ſcripta, quam nos extulimus, *cap. 9.* poſteaquam enim de Seribus, Brachmanis, Euilæis, Emeritis, Nebuſæis, Diſaphenis, Ioneis ante Indiam egit, de Diuæis hæc ſubjicit, vt habet vetus & inficeta Latina interpretatio: *Diua gens eodem modo regnatur à Maioribus, habentes terram manſionum ducentas decem*, quam quia nos Græcam primo conatu reſtituere adniſi ſumus, terſiorem fors aliquando edituri, ideò inclementer nobis nonnullis dicere viſum, imò & id falſo objectare auſi, quaſi pro authenticâ eam obrudere ſuſtinuerimus, quos vel *præfatio* ibi noſtra refellit. Verùm ad rem. Horum *Diuorum* & *Serindiuorum* mentio quoque apud Ammianum Marcellinum, *lib.22 pag.211.* vt ex Codice Regio & Florentino tuetur Doctiſſ. Valeſius. Ceterùm & hos Indos dictos Philoſtorgius ait, id eſt inter Indos cenſitos, vnde & *Serindiui* Marcellino. Situs porrò eorum inter Homeritas & Indiam fuit, vt ex Theophili Itinerario infrà mox colligitur. Tandem inſulam hanc facit Philoſtorgius, quod neque Vetus deſcriptio, neque Marcellinus indicãt. Vt videri poſſit, *Deuadæ inſula*, quam eo omninò tractu Arabiæ memorat Plinius, *lib.6. cap.28.* vel quæ Straboni, *lib.16. pag. 534.* eo pariter tractu, νῆσος χαλυμθὴν Δία: vel qui apud eundem *pag.535.* Δίβαι vocantur (vbi eſt qui reponat Διδίφαι) de quibus & Agatarchides, *lib.5.cap.48.* & Diodorus, *lib.3. pag.125.* Verùm haſce ſimi-

leſve conjecturas aliis & potioribus relinquo. Secundò de Theophilo hoc Indo Philoſtorgius, & ex eo Nicephorus, ait, eum Conſtantino M. imperante iuuenem obſidem à Diuæis ad Romanos miſſum fuiſſe. Certe, Indorum, maríſque Rubri accolarum, multa mentio in rebus Conſtantini M. qui fœdus & amicitiam eius expetiêre, donáque ei misêre: videndus panegyricus Publilij Optatiani Porphyrij *ad Conſtantinum*, *carmine* 15. 16. *edit. Velſer.* Auctor vitæ Conſtantini, *lib.* 4. *cap.* 50. Socrates *lib.* 1. *cap.* 15. Theodoretus, *lib.* 1. *cap.* 23. Sozom. *lib.* 1. *c.* 23.

Tertiò ait Philoſtorgius, & ex eo Nicephorus, Theophilum hunc diu apud Romanos vixiſſe, moréſque ad ſummam virtutis compoſuiſſe, *εἰς τὸ ἀκρότατον πρὸς ἀρετὴν ῥυθμίσαι*, fidémq; ad *pietat m*, *καὶ τὴν δόξαν πρὸς εὐσέβειαν* conuertiſſe. Quod pietatem attinet, hoc vocabulo Philoſtorgius non Chriſtianam in genere fidem, verùm Arianam intelligit: fuit enim Theophilus hic Arianus, quod paſſim oſtendit Philoſtorgius & Nicephorus *lib.* 9. *cap.* 18. *in prin.* Imò addit, quod quartum, Theophilum ſectatum *μονaύλιον βίον*: Quod Nicephori Interpres accipit de monaſticâ vitâ: id verò & de cœlibe vitâ intelligat quis: quo ſenſu *μοναυλία* Platoni, *de legibus*. Subjicit Philoſtorgius Theophilum diaconum factum, imponente ei manus Euſebio Nicomedienſi, imò & Ephorum (i Epiſcopum) ab Arianis cùm in Legationem mitteretur, ordinatum.

Quintò ait, Theophilum hunc miraculis quoque clarum fuiſſe: neque hîc tantum, ſed & apud Photium *Bibl. num.* 40. & *lib.* 4. *cap.* 7. *infra.* Quomodo & alios ex

Ari-

Arianis inſigniores Thaumaturgos nobis facit Philoſtorgius: de quo ad *ſuper.lib.cap.*8.

¶Ad Legationem ipſam Conſtantij ad Homeritas redeamus: Eam verò magnificam & munificam valde deſcribit Philoſtorgius: Inter alia verò munera ad Homeritas à Conſtantio miſſa, ait, & ex eo Nicephorus, & ducentos equos è Cappadocibus nobiliſſimis, miſſos. De Cappadocum equorum nobilitate & præſtantia nota iam res eſt: déque his & noſmetipſi iam ad *Veterem Orbis deſcriptionem.* Tanta vero eorum nobilitas fuit, vt Imperatorum fermè vſibus ſeruarentur, vnde & *Diuina animalia* in dictâ *Veteri orbis deſcriptione*, i. Imperatoria, de quibus & Nemeſianus *Cynegetico* & Claudianus *in laudem Serenæ.* Ex his equis erant Palmati illi, de quibus Nemeſiani locus, Heſychij, lib.1. Chronicorum *in Gloſſis Nomicis: lex vn.C.Theod.de grege dominico: & lex 1.eod.Cod. de equis Curulibus*, tandem & Itinerarium Hieroſolymitanum, prout eius verba iam olim reſtituimus. Huiuſcemodi equis nonnullis nulli fas fuit vti, vel factionibus diuidere præter Imperatorem, ne Conſulibus quidem: vide Capitolinum *in Gordianis pag.*152. De quo accipio & quod infrà dicitur, *lib.*11. *cap.*6. Ergo & inter dona munera, & quidem nobiliſſima & ad Reges exteros miſſa fuêre equi Cappadoces, & nunc ideò ad Homeritas à Conſtantio miſſa.

Quod *Exitum* huius Legationis attinet, ait Philoſtorgius, & ex eo Nicephorus, Homeritarum Regem ad Chriſti fidem conuerſum, tréſque ab eo Eccleſias locis

opportuniſſimis excitatas : Primam quidem in metropoli gentis, Tapharone: Secundam, in Emporio Romano, quò Romani commercaturi commeare ſolebant, extrorſum ad Oceanum : Tertiam, ad alteram regionis partem, ad fauces videlicet Perſici maris, in Emporio Perſico. Vnde diſcimus iam, Homeritarum regionem à mari Rubro & Oceano ad Perſicum mare vſque tum procurriſſe : cùm tamen Ptolemæus ſuo tempore Homeritarum fines inter *Madocen* ciuitatem & *Melan* montem coërceat.

¶AD CAP. V. *De Diueis & Indis ad quos profectus Theophilus.*

Hactenus de Homeritis, déque Theophilo Indo ad eos Legato à Conſtantio miſſo, eiúſque exitu. Reliquum Theophili iter perſequamur. Ait Philoſtorgius, & ex eo Nicephorus, Theophilum Indum poſt Homeritas ad *Diuæos* ſuos qui Indi erant (de quibus iam ſupra) profectum : indéque vlterius in *Indiam*, εἰς τὴν ἄλλην Ἰνδικήν: ibíque & ritus quoſdam emendaſſe, & ἑτερούσιον firmaſſe. Duo ſcilicet hæc apud Indos præſtitiſſe Theophilum ait: Primo, quod *Ritus* attinet, ait eum multa quæ apud eos haud ritè fiebant emendaſſe, & inter alia iſtud, quòd apud Indos *Lectiones Euangelicas ſedentes audirent*, καθεζόμενοι τῶν εὐαγγελικῶν ἀκουσμάτων ἐποιοῦντο τὴν ἀκρόασιν. Vt varij ſcil. iam olim ritus, & diuerſi quidem ſæpe per diuerſas Eccleſias fuêre, ita & habitus quoq; corporis diuerſus per diuerſas Eccleſias ſæpe fuit. Vt omittam de adgeniculatione vel ſtatione ad Orationem, de quo vel Tertullianus

nus, & canones Nicæni, & Baſilius de *Spiritu ſancto cap.27.* vt omittam quod à Diacono acclamatum ὀρθοὶ στῶμεν καλῶς, etſi id ad animum quoque pertineat, vide vel Chryſoſtomum περὶ ἀκαταλήπτου *hom.4.* ita ſanè & cùm Euangelia legerentur, quorum ſtatæ etiam certæque Lectiones, εἰσηγήσεις, ἀκούσματα erant (cuius rei luculentum inter alia teſtimonium extat in Hippolyti Paſchali, vbi Lectiones huiuſmodi in cellulis areæ laterculi ſtatæ deſignantur, de quo plene alibi) certo quoque corporis habitu Chriſtiani in Eccleſia fuêre : Nempe enim à ſtantibus Euangeliorum Lectiònes audiri oportuiſſe hic Philoſtorgij locus indicat; quem ritum, quam obſeruantiam τοῦ ὀρθίου σχήματος, cum Indi non ſequerentur, ſedentéſque adeò Euangeliorum lectionem audirent, cum Theophilus ibi reuexerit. Certè Sozomenus quoque *lib.7.cap.19.* varios & diuerſos per Eccleſias ritus habitúſque commemorans, notat, in ſolâ Alexandrinâ Eccleſiâ Epiſcopum Alexandrinum dum Euangelium recitaretur, non adſurrexiſſe. Ξενὸν δὲ κἀκεῖνο παρὰ Ἀλεξανδρεῦσι τούτοις, ἀναγινωσκομένων γὰρ τῶν εὐαγγελίων οὐκ ἐπανίσταται Ἐπίσκοπος, ὃ παρ' ἄλλοις οὔτ' ἔγνων οὔτ' ἀκήκοα : Quod nullibi ita fieri ſubjicit. Fuit ergo ſolemnis hic olim in Eccleſiâ habitus, vt à ſtantibus Lectiones Euangelicæ audirentur, quod ex Philoſtorgio & Sozomeno iam diſcimus : à quo more receſſerint tum Epiſcopi Alexandrini, tum Indi. Eidem quoque mori Burgundiones olim obrogaſſe comperio : in eorum quippe Eccleſiis ſacram Scripturam legi ſolitam non ſtantibus verùm ſedentibus preſbyteris aliiſque, conſtat ex *epiſtola*

Anaſtaſij ad eoſdem data, in quâ eam conſuetudinem à maioribus acceptam abrogat. Cæterùm, ex hoc Philoſtorgij loco liquet, quò proceſſerit veterum tum, vel ſaltem Arianorum ſimiliúmque, circa nudos Eccleſiæ ritus ſtudium; quaſi non εὐσχημοσύνας tantum, cuius in Eccleſia maximam profectò rationem haberi oportet, verùm pietatis fermè pars hæc & eiuſcemodi alia eſſent. Vide enim quàm Philoſtorgius grauiter de hoc quoque cenſeat: πολλὰ, inquit, παρ' αὐτοῖς οὐκ ΕΥΑΓΩΣ δρωμένων ἐπηνωρθώσατο: καὶ γὰρ καθεζόμενοι τὰς τῶν εὐαγγελικῶν ἀναγνωσμάτων ἐποιοῦντο τὴν ἀκρόασιν, καὶ ἄλλα τινα ὧν μὴ ΘΕΙΟΣ (Nicephorus ſubſtituit ἐκκλησιαστικὸς) ΘΕΣΜΟΣ ἐπετάττει διεπράττοντο: ἀλλὰ ταῦθ' ἕκαστα πρὸς τὸ σεβάσμιον αὐτοῖς καὶ ΘΕΟΦΙΛΕΣ μεταρρυθμίσας, &c. Et hæc de ritibus, quæque circa eos Theophilus ſub Conſtantio, vt Philoſtorgius equidem memorat, apud Indos emendauit.

Quod dogmata verò attinet, ait idem Philoſtorgius, & poſt eum Nicephorus, Theophilum Eccleſiæ dogma ſeu ἑτερούσιον apud eos tantum firmaſſe, iam enim eos ab antiquo ἑτερούσιον crediditſſe. At Nicephorus *lib. 9. cap.* 18. hunc alioquin locum deſcribens, contrarium ait, nempe Theophilum id eos docuiſſe, ſcilicet quod Philoſtorgium mentiri crederet. Et verò Photius quoque hîc apertè mendacij dicam Philoſtorgio impingit: φησὶν, inquit, ὁ δυσσεβὴς οὗτος. Et nos iam ſuprà ſemel notauimus, Philoſtorgij ſtudium in vindicanda Arianiſmi, ſeu ἑτερουσίου antiquitate, pérque varias gentes propagatione. Itinerarium Theophili, Philoſtorgio duce perſequamur.

¶AD

¶AD CAP. VI. *De Auxumitis, & Theophili Indi apud eos geſtis, deq; Theophili reditu.*

Ad *Auxumitas* profectum ſub Conſtantio Theophilum Indum Arabia digreſſum, ſcribit Philoſtorgius, & ex eo Nicephorus *lib.9. cap.18. pag.720.* De *Auxumitis* his (quorum nullam mentionem reperio apud Strabonem aut Plinium) multa nos docet Philoſtorgius, & quidem initio ſitum eorum deſcribit: nempe enim 1. Æthiopes eos fuiſſe ait: 2. ad primas maris Rubri oras & ad ſiniſtram quidem exteriorem, eos habitaſſe: 3. Ante hos Auxumitas Orientem verſus ad exteriorem Oceanum habitaſſe Syros (de quibus mox) Quibus omnibus graphicè ſitus eorum deſcribitur. 4. Auxumitas denique dictos à metropoli *Auxuma.* Quæ omnia veriſſima ſunt: Auxumitæ ſcilicet Æthyopica gens fuit, mari Rubro ab Homeritis diſparati Quod & Ptolemæi tabulæ docent, gradu vt ipſemet ait, 65. 11. & Arianus, *periplo maris Erythræi*, & Procopius, 1. *Perſicorum pag.32. 33. 34* & περὶ κτισμάτων *pag.51.* Theodoretus *in Vetus Teſtamentum*, Nonnoſus apud *Photium, num.3.* In nummo quoque Imp. Heliogabali legimus Αξωμειτῶν. Et Axomitarum horum meminit quoque junctim cum Blemyibus (qui & ipſi Æthiopes fuêre) & Arabibus felicibus Vopiſcus *in v. Aureliani: Blemyes,* inquit, *Axomitæ, Arabes Eudæmones*: pariter vt Epiphanius ἐν συντόμῳ λόγῳ: τὴν μικρὰν Αἰθιοπίαν Ανκβιτῶν, τε καὶ Βλεμμύων καὶ Εξωμιτῶν. Et Stephanus *in v.* Αξωμίτης, vbi & metropolim ipſam Αξωμίτην nominat, pariter vt Arianus *in periplo.* Meminit horum & Epiphanius, *initio Ancborati*, & *hæreſi*

Sethianorum 39. *num.* 7. & in *hæreſi Manichæorum* 66. *num.* 83. Αὔξουμιν metropolin vocat Philoſtorgius: pariter vt Ptolemæo Αὐξούμη vel Ἀξούμη dicitur, ἐν ᾗ βασίλειον. Nonnoſus apud Photium *num.* 3. ait, maximam ciuitatem eſſe, & quaſi totius Æthyopiæ metropolim, ſitam verò eam μεσημβρινωτέραν καὶ ἀνατολικωτέραν τῆς Ῥωμαίων ἀρχῆς. Ibi vero regnaſſe Reginam Sabam iuxta Theodoretum Æthiopum Annales memorant(quod Philoſtorgius Homeritis ſuprà adſeruit) Imò & Candacem Reginam (cuius Eunuchus à B. Philippo baptizatus eſt,& à quâ vt & à Philippo Apoſtolo antiquitatem Chriſtianiſmi repetunt) Quorſum vide & Strabonem *lib.* 17. *pag* 564. Hodie retento veteri nomine *Chaxuma* vel *Caſſuma* vocatur: de quo videnda Æthyopica hiſtoria Franciſci Alvarez *cap.* 38. 39. 40. 41. & Odoardus Barboſa. De horum verò fœdere & amicitiâ cum Romanis, & quidem ſub Conſtantio, iam ſuprà dixi, adductâ eam in rem quoque ipſiuſmet Conſtantij Imp. tum epiſt. ad Tyrannos Auxumitarum Aizanam & Sazanum, vbi & in fine eos vocat ἀδελφοὺς τιμιωτάτους, iiſque ſeſe paria cum Romanis iura conceſſiſſe ait, tum & Conſtitutione, puta *l.* 2. *Cod. Theod. de Legatis.*

¶ Cœterùm, Auxumitarum occaſione, ſitúſq; eorum ad mare Rubrum, Philoſtorgius obiter de mari Rubro quædam attingit. Nempe ait, mare Rubrum in duos κόλπους (alij μυχοὺς vocant) diuidi: vnum, qui Aegyptum verſus tendit (hic vero *Hermopoliticus* eſt) vbi nomen ſuum retinens interit, per quem olim populus Iſraeliticus tranſiit: alterum Palæſtinam verſus, ad vrbem Aeila,

κατὰ πό-

τὴν πόλιν Ἀειλὰ ἐκ παλαιᾶς καλουμένην. Recte omninò. Hic ſcilicet *Ailaniticus*, vel *Elaniticus* maris Rubri ſinus eſt: cuius vrbis Αειλὰ nomen in terra Idumeæ variè admodum exprimitur. Philoſtorgius noſter Ἀειλᾶ vel Αἰλαί vocat, pariter vt Strabo, *lib.*16. & Epiphanius, *hæreſi* 66.*num.*1.*pag.* 618. Αειλᾶ, ἥτις ἐστὶ ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ. Alij proximè Αἰλὰ vt Glaucus Arabicus apud Stephanum in Αἴλανον: & Procopius 1. *Perſicorum*. vbi ſitum eius ſimiliter cum Philoſtorgio deſcribit. Notitia Imperij ſub Duce Palæſtinæ, *Præfectus Legionis decimæ Fretenſis Ailæ*: & apud Hieronymum *de locis Hebr. & in* 47. *Ezech.* Vnde & *Petrus Ailenſis* Epiſc. inter Palæſtinæ Epiſcopos in Concilio Nicæno. Αἰλανίτης μυχὸς ſeu κόλπος, aliis Ælana, Elana, Ælaniticus, Elaniticus: quam diuerſitatem & olim iam notauit Plinius, *lib.*6. *cap.*28.

Ad Auxumitarum ſitum redeamus. Ait Philoſtorgius, ante Auxumitas Orientem verſus habitare *Syros*: pro quâ voce Nicephorus, *lib.*19. *cap.*18. hunc locum ex ſcribens, repoſuit perperam *Aſſyrios*. De hiſce verò Syris hæc tradit Philoſtorgius. Primo, vt iam dixi, eos ſupra Auxumitas Orientem verſus ad exteriorem Oceanum habitare: πρόσπεραν δὲ τούτων τῶν Αὐξουμιτῶν, ἐπὶ τὸν ἐξωτάτω πρὸς ἀνατολὰς καθήκοντες Ὠκεανὸν παροικοῦσιν οἱ Σύροι. Secundò ait, eos hanc Syrorum appellationem apud illos ferre. Tertiò, nominis iſtius rationem reddit, nempe quod Alexander Macedo hos Syriâ pulſos eò colonos deduxerit. Quartò, eos & nunc patriâ ſeu Syriacâ linguâ vſos. Quintò, hos nigros valde eſſe, vt pote cùm acutis ſolis

radiis adurantur. Poſtremò, apud hos gigni xylocaſſiam, & Caſſiam & Caſſamum, cinnamomum, & Elephantorum multitudinem: de quo fermè & Strabo *lib.* 1. *pag.* 532. Plinius 12. *cap.* 19. Quod *Caſſiam* attinet, putet quis *in l. vlt. ff. de publ. & vect.* hanc illam Caſſiam eſſe, quæ ibi Turiana pro *Suriana* fortè dicatur, nempe ab his *Syris.* Quod *Caſſamum* attinet, putet quis hic reponẽdum Κόϛον, ἄμωμον. Certe hæc quatuor, *Caſſia, cinnamomum, Coſtum & amomum*, vnà fermè ambulant: vide vel Dioſcoridem *lib.* 1: vel reponendum videatur vna voce *Coſtamomum*, vt in *dict. l. vlt. ff. de publ.* Verùm nil mutandum: *Caſſamum* ita quoque in *d. l. vlt.* in nonnullis Codicibus legitur loco *coſtamomum*: *Caſſanium* perperam editum apud Æginetam, vbi ait quoſdam dicere id eſſe fructum balſami. Idem verò forte cum *cancamo*, quod cum caſia & cinnamo jungitur à Plinio *lib.* 12. *cap.* 20. quæ inuehi ait per Nabatæos Troglodytas qui conſedère ex Nabatæis: & ab Ariano, *in periplo maris Eryth. l. a.* 11. *b.* Vt proinde his omnibus inſpectis *Syri* hi videantur, Troglodytarum Adulitæ (hodie *Adel*) Megabardi, Aualitæ, Moſyli (qui aliis *Syli*) cum Azania forte: Nam & ſitus reſpondet, ſiti quippe illi ſupra Auxumitas ad exteriorem Oceanum, Orientem verſus, & nigerrimi ſunt, & Elephantorum ibi multitudo ingens eſt (vnde & ibidem *Elephas* mons) & regio hæc myrrhifera & cinnamomifera eſt, & aromatum ferax: Quibus alioquin Æthyopia olim cenſita, vide Plinium, *lib.* 9. *c.* 19. Solinum, *c.* 30. &c. At *Syrorum* ibi nomen apud nullum prætereà ſcriptorem occur-

occurrit : neque vlla alibi Syrorum eò deductorum ab Alexandro Macedone mentio. Et certè Philoſtorgij hic inter alios error eſt. Arabes equidem *Syros* dictos reperio διὰ τὴν ἐκ τοῦ ὁμορεῖν ἐπιμιξίαν αὐτῶν, teſte Euſtathio. Imò Syrorum nomine regio omnis ab ora Syriæ maritimâ vſque ad Babylonem, & à Babylonia vſque ad Iſſicum flumen continebatur. Item & illud compertum, Alexandrum è *Syriâ* Africam petere ſtatuiſſe, teſte Q. Curtio *lib.*10. *cap.*1. Tandem & illud notum, & Afros & Æthiopes legatos ad Alexandrum Babylonem miſiſſe memorari ab Arriano *lib.*7. Verùm de Syris in Æthyopia nulla alibi mentio. Et hæc de Auxumitarum ſitu.

Quod *Religionem* verò ſeu *Fidem* eorundem Auxumitarum attinet, nihil de eâ hîc ῥητῶς Philoſtorgius, niſi quod & hos Arianam fidem ſectatos indicare voluiſſe videtur, eo, quem ſupra dixi, ſemper fine : ait enim, Theophilum Indum eò profectum res ibi conſtituiſſe, indéque ad Romanos repedaſſe : καὶ τὰ ἐντεῦθεν καταστησάμενος ἐπὶ Ῥωμαίους ἀνακομιδῆς εἴχετο. Athanaſius certè, *Apol. ad Conſtantium pag.* 540. ait, ad ſe famâ perlatum, Conſtantium ad Auxumitanos ſcripſiſſe, vti Frumentium Epiſcopum inde ad ſe mitterent, & Athanaſium vbicunque etiam apud Barbaros requirerent, & ad Commentarienſes Præfecti Auguſtalis mitterent, populóſque & clericos ad communionem hæreſis Arianæ cogerent, eóſque qui ex his non obtemperarent, interfici curarent : Quod & opere ipſo completum ſit. Ipſa Conſtantij epiſtola, quam exhibet Athanaſius, *pag.* 542. eos vnum cum Ro-

manis dogma ſeruare jubet, *τὴν ἴσαν Ρωμαίοις μεταδιδόντες, ἐπὶ μετ' αὐτῶν κρατεῖν δόγμα ἐν ταῖς Ἐκκλησίαις κελευόμενοι*: Frumentiúmque Epiſc. in Ægyptum ad Georgium Epiſc. Alexandrinum Synodúmque Ægypti mitti, ne videlicet ſermonibus ſuis Auxumitanos corrumperet, *βλασφημοῦντας εἰς τὸν κρείττονα*, & vt ab Athanaſio Epiſcopus perperàm factus, fidémque Arianam amplexans, in Epiſcopatu rite conſtituatur. Vnde conſtat, Auxumitanos orthodoxam fidem per Frumentium Epiſc. ab Athanaſio miſſum tenuiſſe hoc tempore quo Theophilum Indum Arianum ibi fuiſſe narrat Philoſtorgius: verùm ad Arianam fidem Conſtantium & Georgium Epiſc. Alexandrinum eos traducere ſtuduiſſe. Quod forte tentatum ab his per Theophilum Indum, quod tamen nullus præterea ſcriptorum Eccleſiaſticorum refert.

Tandem ſub finem huius capitis Philoſtorgius ait, Theophilum ad Romanos reducem, ab Homeritis, Diuæis, Indis & Auxumitis (Antiochiam ſcilicet) Primo multis ab Imp. Conſtantio honoribus affectum, *πολλῆς τῆς τιμῆς παρὰ τοῦ βασιλέως μετὰ τὴν ἐπάνοδον ἀξιωθεὶς*: Secundò ait Philoſtorgius, & ex eo Nicephorus, Theophilum ab Homeritis & Auxumitis reducem peculiaris alicuius ciuitatis curam, i. Epiſcopatum, ſortitum non eſſe, verùm ceu commune ſimulachrum, *κοινὸν δὲ ὥσπερ ἄγαλμα* ob virtutem ab homodoxis ſuſpectum. Hoc vero ipſum vtrumque & Suidas memorat *in verb.* Θεόφιλος, proculdubio ex hoc Philoſtorgii loco, vbi & nonnulla alia ad Theophili commendationem occurrunt, quæ ex parte

author

author ille à Thalaſſio habet: Operæ puto locum integrum hîc adſcribere. Θεόφιλος δὲ ὁ ἐξ Ἰνδῶν ἐπανελθὼν, ἐν Ἀντιοχείᾳ διῆγε, ἐκκλησίαν μὲν ἀφωρισμένην ὐδεμίαν ἔχων αὐτὸς, κοινὸς δέ τις ὢν, ὡς πάσαις αὐτὸν μετ' ἀδείας ἐπιφοιτᾶν ὡς ἰδίαις ἐξὸν, βασιλέως αὐτὸν ἐς τὰ μάλιστα διὰ τιμῆς τε πάσης καὶ αἰδοῦς ἄγοντος, καὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων ὁπόσοις ἐπισταίη μετὰ πάσης προθυμίας αὐτὸν ὑποδεχομένων. καὶ τὸ τῆς ἀρετῆς αὐτοῦ μέγεθος καταπληττομένων. ἦν γὰρ ὁ ἀνὴρ κρείσσων ἢ ὡς ἄν τις δηλώσειε λόγῳ, ὡς ἄν τις τῶν ἀποστόλων εἰκών. λέγεται γέ τοι ποτὲ καὶ νεκρὸν ἀναστῆσαι ἐν Ἀντιοχείᾳ Ἰουδαίας τινός. Θαλάσσιος δὲ τοῦτο φησὶ, τῶν ἐπ' οὐκ ὀλίγον τῷ ἀνδρὶ συγγενομένων χρόνον. καὶ ἥκιστα δὴ εἰς τὰ τοιαῦτα ψεύδεσθαι ὕποπτος ὢν, ἄλλως τε καὶ ἔχων οὐκ ὀλίγους τῶν κατὰ τὸν αὐτὸν αὐτῷ γενομένων χρόνον τοὺς ἐπιμαρτυροῦντας. Quo loco *Thalaſſius* non eſt Præfectus Prætorio, de quo Marcellinus, *lib.*14.*pag.*3. vt cenſet Baronius *Ann.*354.*num.*15. qui antea Comes fuerat: cuius meminit quoque Athanaſius *ad Solit. vit.ag pag.* 657. verùm Thalaſſius potius alter ex proximo libellorum, de quo idem Marcellinus in A D.362.*lib.*20.*pag.* 221. qui & idem inſidiator Galli C. fuit, cui Gallo C. Theophilus Indus comes adhæſit: vide *infrà lib.*4. *cap.*1.

¶AD CAP. VII. *De Tigride fluuio.*

Occaſione ſuperioris narrationis de Theophili Indi in Arabiam felicem & Æthyopiam ſub Conſtantio Imp. profectione, vbi & de mari Rubio & Perſico actum fuit, item poſt ea quæ de Theophilo narrauit (κατὰ τὸν εἰρημένον Θεόφιλον ait Nicephorus, *lib* 9. *cap.*19. *in princ.* vbi Interpres peſſime vertit, *ex ſententia Theophil.*) Philoſtorgius iam ἱςορῶν διεξέρχεται, inquit Nicephorus, παρεμβατικώτερα, vt

loquitur idem *lib.9. cap.19. in fin.pag.727.* vbi ea ex Philoſtorgio nominatim exſcribit. Cuius παρεκβάσεως duæ partes ſunt: prior, quæ continetur quatuor capitibus puta 7.8.9.10, eſt de Tigride & Euphrate, eadémque occaſione, de Quatuor Paradiſi fluminibus, & Paradiſo ipſo: Et quidem de Tigride ſigillatim hoc *cap.7.* de Euphrate proximo *cap.8.* de Quatuor Paradiſi fluminibus, & de Paradiſo, *cap.9.&* 10. Quâ parte de Tigridis & Euphratis origine, curſu, concurſu, exitu in mare Perſicum, Philoſtorgio ratio conſtat, cúmque cæteris Geographis conuenit, quod ſigillatim enarrare nihil attinet. Singularia tantum quædam hîc ſublegemus: ac primo quidem circa Tigrin fluuium. ¶ Primùm ait, *Tigrin* à Tigride ferâ dictum dici, quod magnus & aquarum vi rapidus fragoſo ſonitu prouoluatur: quod etiam Hieronymo placet de *locis Hebraicis* & Iſidoro. Atenim & Curtius, *lib.6.* & Strabo, *lib.8.* & Plinius, *lib.6.cap.27.* Tigrin à celeritate ſagittæ inſtar dictum volunt, quia ita, *Tigrin* inquam, Medi ſagittam appellent. ¶ Secundò ait Philoſtorgius, Tigrin per Syriam meare, indéque ad terram Suſida peruenire: vbi *Syriam* pro Aſſyria dixit, vt paſſim apud alios, quod viris doctis iam obſeruatum. Tigris ſcilicet παρὰ τὴν Συρίαν ἑλκόμενος. Exerte Epiphanius *Ancorato num.* 58. Τίγρις ὁ πορευόμενος ὁ κατέναντι τῶν Ἀσσυρίων, διατέμνει γὰρ τὰ μέρη τῆς ἀνατολῆς, καὶ δύνει ὑπὸ τὴν γῆν, καὶ ἀνίσχει ἀπὸ τῆς Ἀρμενίας κατὰ μέσον Καρδιαίων καὶ Ἀρμενίων, καὶ ἀναπηγάζει πάλιν καὶ ἀνατέμνεται εἰς τὴν τῶν Ἀσσυρίων γῆν: vide & Marcellinum, *lib.23.pag.269.* Hieronymus *de locis Hebr. Tigris fluuius de paradiſo exiens per-*

peregrinſq; contra Aſſyrios, & poſt multos circuitus, vt vult Ioſephus, in mare Rubrum influens. ¶ Tertiò, de Tigride ait Philoſtorgius, cum antequam in mare ſeſe effundat, ſcindi in duo magna flumina, duobúſque exinde oſtiis longe à ſe inuicem diſſitis in Perſicum mare ſeſe condere: Terram autem ſiue inſulam illam quæ inter duo illa flumina oſtiáque Tigridis ſita eſt, *Meſenorum* gentem incolere. Hæc ſcilicet *Meſena* eſt, quam cum Meſopotamia vide ne cum nonnullis confundas, quas Philoſtorgius hîc recte diſtinguit, iuxta veteres, veluti Strabonem, *lib. 2. pag. 58.* Aſinius quoque Quadratus apud Stephanum: χώρα Μεσηνὴ δι' ἑνὸς σ. ὑπὸ τῶν δύο ποταμῶν μεσαζομένη. Et idem apud eundem: Ἀπάμεια ἐστὶ ἄλλη ἐν τῇ Μεσηνῶν γῇ. τῷ Τίγρητι περιεχομένη, ἐν ᾗ σχίζεται ὁ Τίγρις ποταμός: καὶ ἐν μὲν τῇ δεξιᾷ μερίδι περιέχεται ποταμὸς Δέλας, ἐν δὲ τῇ ἀριστερᾷ Τίγρης ὁμώνυμος τῷ μεγάλῳ. Quæ apprimè reſpondent Philoſtorgianis. Quibus concinit & Plinius, *lib. 6. cap. 27. Circa Apamiam Meſenes oppidum citra Seleuciam Babyloniam* CXXIV. *M. P. diuiſus in alueos duos, altero meridiem ac Seleuciam petit, Meſenen perfundens, altero ad Septentrionem flexus, eiuſdem gentis tergo campos Cauchos ſecat.* Et mox: *Proxima Tigri regio Parapotamia appellatur: in eâ dictum eſt de Meſene:* vide & Dionem apud Xiphil. *in Adriano.* Horum Meſenorum, vt & Apamiæ (quæ ideò *Apamia Meſena* cognominatur) meminit quoque Ammianus Marcellinus, *lib. 23. pag. 251. lib. 24. pag. 270.* ¶ Rectè autem Philoſtorgius Inſulam Meſenam, fluuialem ſimùl & maritimam vocat, ποταμίαν τε ἅμα καὶ θαλαττίαν, quia ſcilicet duobus Tigridis alveis ad latera, à fronte

verò Perſico mari ea efficitur & concluditur: Inde igitur iam & Μεσανίτης κόλπος ſinus Perſicus, qui ea parte eſt; Ptolemæo *lib.5.cap 19. & lib.6.cap.7.*

¶Ad Cap. VIII. *De Euphrate fluuio.*

Circa ea quæ de *Euphrate* vel eius occaſione Philoſtorgius hoc capite memorat, cùm reliqua ex collatione aliorum ſcriptorum illuſtrari facile poſſint, hæc tria tantum nunc ſublegere iuuat. Primò notandum, quod ait de monte *Ararat* in Armeniâ; quem ait etiamnum ita apud Armenios vocari, ínque eo Arcæ, quam ibi (conquieuiſſe S. Scriptura dicit) etiamnum haud parua lignorum & clauorum fragmina ſupereſſe dici. Id ſanè de ſuis adhuc temporibus olim Beroſum Chaldæum, dein & Nicolaum Damaſcenum lib. *96.* de ſuis, retuliſſe ſcribit Ioſephus & Hieronymus: & ipſemet Ioſephus, de ſuo quoque æuo idem memorat *lib.1. Antiq.Iud. cap.4. pag.*10. & Hieronymus *de locis Hebraicis*, de ſuis. Quibus quintus hic nunc accedat Philoſtorgius, qui 400 fermè poſt Ioſephum annis de ſuo quoque æuo id adhuc tradi ſcribit.

Secundo ait, Euphratem ſecare Syriam, quæ propriè *Euphratenſis* vocatur: de hàc verò Euphratenſi, vel Auguſto Euphratenſi Syria, quæ olim Comagena, videndus Marcellinus, *lib.14. & lib.23.* Victor *in Veſpaſ.* Index Sconhouianus, Notitia Imperij, *Lex 2.Cod.Theod.de venat.ferarum: Lex 2.eod.Cod.ne Comitibus: Lex* 10. *Cod.de ædif.priu.l.1.C. de diu.off* Procopius *lib.1. de bello Perſico*,&c. Cæterum inter

Syriæ

Syriæ prouincias Philoſtorgius hanc Euphratenſem cenſet : Atenim Marcellinus *lib.* 14. à Syriâ eam ſeparat, quod facit & Index Sconchou. & Notitia Imperij, etſi ſub eodem Duce Syriæ haberetur.

Tertiò ait, Euphratem ad *Suſas* potiſſimùm Tigridi ſociari, κατὰ Σούσας : melius *ſuper. cap.* κατὰ Σουσίδα γῆν : neque enim ad Suſas ipſas jungitur. Hinc interim apparet, à Tigridis atque Euphratis confluentibus incipere Suſianam, quod & Ptolemæus indicat, cùm Suſianam Tigridem verſus ab aris Herculis incipere ait *lib.6. cap.*3. Quare peccatum ab iis qui tabulas Ptolemaïcas delinearunt, qui infra confluentes Suſianæ initium ducunt.

¶AD CAP. IX. & X. *De quatuor Paradiſi fluminibus, & de Paradiſo.*

Superioribus duobus capitibus, de Tigridis & Euphratis ortu & origine ſigillatim, κατὰ μὲν τὸ ἐμφανὲς, vt hoc *cap.*9. loquitur : κατὰ τὸ προφανὲς, vt *ſuper. cap.* 8, i. quantum quidem oculis percipi poteſt, egiſſe ſeſe Philoſtorgius ait: At nunc, vt *hoc* ita & *prox. cap.* 10. hoſce duos fluuios ex Paradiſo reuerà *oriri* ait, vna cum duobus aliis, Phyſone videlicet & Gyone : Paradiſum autem immenſo terrârum mariúmque tractu à fluuiorum illorum ortu qui κατὰ τὸ προφανὲς eſt ponit. Et vt exinde ortum eorum repetat, de Tigridis, Euphratis, Phyſonis & Gyonis fluxu mira & incredunda narrat : Quæ & Nicephorus exſcripſit *lib.9.cap.*19. Ingens equidem ſemper de loco Paradiſi, déque Quatuor fluminibus quibus Paradiſus irrigaba-

tur & olim diſceptatio fuit; videndus vel Epiphanius *in Anchorato num.*58. qui & ipſe de eo ex profeſſo agit,& hoc ſœculo id argumentum plures curæ ſuæ fecère : Sedenim tam portentoſa, tot tantáque omni Geographiâ inuitâ nemo veterum, nemo recentiorum, commentus eſt, vt Philoſtorgius hic noſter. Nos ea paucis tantum ediſſeremus. Vbi prius dixero, Fragmentum quoddam de Quatuor Paradiſi fluminibus à CLAR. V. Salmaſio laudari, *in Solinum pag.* 693. quod ex hoc Philoſtorgio noſtro deſumptum videri poſſit : certè ſimilia omninò ibi his quæ hic continentur occurrunt, *Tigrin ſcilicet & Euphratem à fontibus ſuis protinus merſos ſub terrâ fluere, & in Tauro monte vtrumque erumpere & apparere: Hinc vtriuſque fontes ibi agnouiſſe tantum veteres, vbi incipiunt exiſtere.* Theodoritus pariter huic Philoſtorgij loco & ſententiæ apprimè conuenit concinítque *in Catena Patrum, in Pentateuchum*, cuius interpretationem edidit olim Franc. Zephyrus, à ſe haud parum, quod & ipſe profitetur, interpolatam. Πῶς ἐκ τοῦ παραδείσου φησὶν ὁ Μωσῆς τὸν Τίγρητα ἐξιέναι καὶ τὸν Εὐφράτην, ὥς φασί τινες ἐκ τῶν ὀρῶν ἀναβλύζειν τῆς Ἀρμενίας; ἔστιν ἰδεῖν καὶ ἄλλους ποταμοὺς ἑτέρωθεν μὲν ἐξιόντας, ἔπειτα δὲ εἰς τὴν γῆν διά τινων καταδύσεων χωροῦντας, καὶ πάλιν ἄνωθεν ἀναβλύζοντας: τοῦτο καὶ ἐπὶ τούτων γεγένηται τῶν ποταμῶν: ἐξίασι μὲν γὰρ φησὶ ἡ θεία γραφή, εἶτα διά τινων ὑπογείων διϊόντες πόρων ἑτέρας ἀρχὰς ἐνταῦθα λαμβάνουσι. τοῦτο δὲ οὐ μάτην ᾠκονόμησεν [ἐπινόησεν, *excogitauit*] ὁ τῶν ὅλων Θεὸς, ἀλλὰ τὴν περιττὴν τῶν ἀνθρώπων πολυπραγμοσύνην ἐκκόπτων: εἰ γὰρ δῆλος ἦν αὐτῶν ἅπας ὁ πόρος, ἐπεχείρησαν μὲν ἄν τινες παρὰ τὰς τούτων ὄχθας ὁδεύοντες τὸ τοῦ παραδείσου κατοπτεῦσαι χωρίον: διημαρ-

τανον

ταῖον δὲ τοῦ ποθουμένου, καὶ τῷ μήκει τῆς ὁδοιπορείας κοπτόμενοι καὶ τῇ σπάνει τῶν ἀναγκαίων διαφθειρόμενοι, καὶ νῦν μὲν εἰς δυσχωρείας, νῦν δὲ εἰς ἐρημίας ἐμπίπτοντες, ἔστι δὲ ὅτι καὶ ἀπηνέσι βαρβάροις ἀνθρώποις περιπίπτοντες: καὶ τούτων τινῶν περιμνηθέμενος ὁ φιλοικτείρμων θεὸς ἀλλήλους αὐτῶν τοὺς πόνους [πόρους] ἀπέφηνεν. Hactenùs Theodoritus.

¶De Paradiſo igitur hæc Philoſtorgij ſententia eſt, eum κατὰ τὰς ἰσημερίας τῆς Ἠοῦς, i. ad Æquinoctium Orientale ſitum eſſe, non vero meridiem verſus, vbi media ſeu torrida Zona eſt, & vbi omnia fermè inhabitata ſunt. Hoc quidem rectè; ſedenim mox oſtendit, quam longè hunc Orientis tractum ponat, in quo Paradiſus fuerit: Nempe Phiſonem qui & ipſe Paradiſum irrigabat, quémque Hyphaſin fluuium ipſe facit, ait ex Arctois magis Orientis partibus meridiem verſus fluere, & in Oceanum qui ibi eſt aquas ſuas condere è regione inſulæ Taprobanæ. Sic Paradiſum in Indiâ apertè collocat: Sic Phiſon ei Hyphaſis eſt, qui certe Indiæ fluuius eſt: quò & Alexander victoriis ſuis peruenit: de cuius oſtiis adhuc quæritur, vtrum videlicet in mare decurrat, vt Philoſtorgius ait, an verò in Indum fluuium non in mare ſeſe exoneret. Alij propè omnes veteres Phiſonem cum Gange eundem faciunt, qui Indus à Græcis vocatur, vt Epiphanius in *Ancorato*, qui etiam addit, eum maiorem Æthyopiam permeare & ad auſtrum conuerſum in Gaditanum Oceanum irrumpere. Quæ mira Geographia eſt. Et Hieronymus tamen quoque, *Fiſon*, inquit, *quem noſtri Gangen vocant, de Paradiſo exiens & pergens ad Indiæ regiones, poſt quas erumpit in*

pelagus. Cæterùm vt probet Philoſtorgius, Phiſonem eo loci collocandum, addit, ad ripas Hyphaſis reperiri caryophilum (ſiue is flos ſiue fructus eſt) & incolas credere hanc arborem eſſe ex arboribus Paradiſi. Certe Indi quoque hodie Gangem (quem Ioſephus, Epiphanius, Auguſtinus, Hieronymus, aliíque, Phiſonem faciunt) è Paradiſo originem trahere credunt, magnáque ab his veneratione frequentatur qui eò lauandi gratia confluunt, atque eâ lotione à peccatorum ſordibus luſtrari ſibi perſuadent, etiam mortuos ad genua vſque demergunt, vt rectà ad beatorum ſedes demigrent. Cui certe proximum eſt, quod pro ſecundo iam argumento ponit Philoſtorgius ad miraculum confugiens, ad probandum Hyphaſin ex Paradiſo procedere, nempe, quòd validâ febri correptus ſi in flumen illud immergatur, ſtatim morbo liberetur: quod argumentum vocat, σύμβολον τῆς περὶ τὸν παράδεισον γενεᾶς ἐπιμιξίας. Ergo Phiſonem in Indiâ ex Paradiſo oriri ait, ſic quidem vt ſtatim ab exitu Paradiſi terrâ conditus ſub eâ labatur, florem exinde ex Paradiſo ferens, quod niſi terrâ conderetur facere non poſſet: & verò cæteros tres fluuios, qui ex Paradiſo pariter oriuntur, nullum talem florem ferre, quandoquidem illi modò ſub terrâ condantur, modò emergant. An non hæc aperta Philoſtorgij ſomnia ſunt? Quibus ſimilia iam accipe. Et de *Geone* primùm, quem ipſe quoque Nilum facit, qui Græcis Ægyptius, vt multi ex veteribus. Sed quomodo Nilus in India, vbi Paradiſus ſcilicet erat? Expecta ſis, & miram Philoſtorgij

Geo-

Geographiam audies. Hic, inquit, vt conjicere licet, ὡς ἐπὶ συμβαλεῖν. è Paradiſo (nempe in India) prodiens, antequam ſupra terram habitabilem (nempe in Æthyopiâ) appareat, demerſus, exinde Indicum mare ſubit, eoque in orbem circumcurſato, ἐπὶ καὶ κύκλῳ γε αὐτὴν [Ἰνδικὴν θάλατταν] περιελιχθεὶς, vt veriſimile eſt, ὡς εἰκάσαι (ecquis enim addit, hominum hæc perſcrutetur, ſubtúſque omnem quæ in medio eſt terram illatus ad Mare Rubrum vſque & ſub eo fluens, ad alteram eius partem exit ad montem Lunæ. Hoc ſcilicet Nili apud Philoſtorgium Itinerarium eſt: ex Indiâ in mare Indicum is immergitur; exinde & Mare Rubrum emetitur, inde in Æthyopia penetrans ad montem Lunæ erumpit. De eruptione Nili in Æthyopia è monte Lunæ res nota Geographis, etiam ex Philoſtrato & Geographo Arabe *part. 4. clim. 1.* Et hæc de Phiſone & Geone, quorum illum Hyphaſin Philoſtorgius facit, hunc verò Nilum: cùm alij Gangem & Nilum nominent: in quibus & Acacius Cæſareæ, in optima Catena Patrum. Τὰ τῶν τεσσάρων ποταμῶν ὀνόματα καὶ τὰ μὲν Ἑβραίοις οὕτω καλεῖται, ὁ μὲν πρῶτος Φεισὼν, ὁ δὲ δεύτερος Γεὼν, ὁ τρίτος Φαῤῥὰδ, ὁ τέταρτος Ἐδδεκὲμ: παρὰ δὲ Ἕλλησι Γάγγης, Νεῖλος, Εὐφράτης, Τίγρης. ¶ De Tigride & Euphrate Philoſtorgius eadem indicat: nempe, eos è Paradiſo oriri [in Indiâ ſcilicet] eóſque aliquamdiu quidem ſupra terram fluere, mox verò magnâ terrâ deſerta & arenoſiſſima dehiſcit, inde tandem vbi oriri creduntur, erumpere; additis alijs quibus id non incredibile videatur, ὡς εἰκὸς ἀπιστὸν, eos ſub terrâ tam longo ſpatio procedere, quæ quiſ-

que per ſe legere poteſt: Inter cætera verò de fluminibus ſub terrâ labentibus dein erumpentibus (quorum pleniſſimum catalogum contexuit nuper Doct. Freinshemius ad Curtij *lib.6. cap.4. num.4.*) iam & illud Dauidicum allegat: *Ipſe ſuper maria fundauit eum, & ſupra flumina præparauit eum:* Inter hæc alioquin piè diſſerens de ineffabili Dei ſapientiâ.

¶AD CAP. XI. *De variis Animalibus regionum Orientalium & Meridionalium, deq; earundem Fructibus & Frugibus: deq; Paradiſi eximio ſitu.*

De variis *Animalibus*, quæ in regionibus ad Solem Orientem & Meridiem verſus, atque adeò & in Æthyopia & Arabia reperiuntur, prolixa hæc, eâdem occaſione quâ ſuperior, Philoſtorgij παρέκβασις eſt, quam exſcribit Nicephorus, *lib.9. cap.19. pag.724.725.726.727:* cui & nos breuiter ſaltem inſiſtere oportet: quando Eccleſiaſticis vel iis quæ eò propiùs faciunt libentius immoramur. ¶Igitur ait, in hiſce regionibus maxima Cete in Oceano ludere, Elephantos maximos eſſe, & Taurelephantos, & Dracones immenſæ magnitudinis, & Monocerotes, Camelopardalos, Simiarum item varia genera (& in his quoque Pana, Satyrum, & Sphyngen) Aſinos item agreſtes, Phœnicen, Pſittacos, Garamantas aues. Cum quo inter alios committendus eſt Agatharchides, Strabo, *lib. 16. pag.533.* Plinius, *lib 6. cap.29. lib.8. cap.20.* Solinus, *cap.30. 52.* Illud verò obſeruandum, Philoſtorgium multa ex his ad Romanos allata ſemetipſum vidiſſe profiteri, veluti

veluti Taurelephantas, Draconum maximorum exuuias, Monocerotis item imaginem, Simiarum varia genera, Pſittacos, Garamantas aues. Et ſic de viſu tectis Philoſtorgius (cui adeò tanto magis fides in his ſaltem deſcribendis habenda) Et quidem Conſtantinopoli: de qua ipſius Conſtantinopoli mora, vide *infrà lib.10. cap.6.* Quod *Dracones* attinet, de eorum pariter magnitudine in Æthyopia Plinius *lib.8. cap.13.* Quod *Taurelephantos* ſpectat, & hos quoque exprimit Philoſtorgius: apud eum quippe pro ταρελεφάντας, reſcribendum ταυρελεφάντας: pro quo apud apud Nicephorum perperàm editum περελεφάντας, vnde Interpres *ſpurios elephantos* effecit, quod ſtolidum eſſe, vel ſequentia apud Philoſtorgium indicant: Deſcribit enim elephanti genus, quod boui maximo ferme ſimile (*Bos Lucas* inde & pro elephanto apud Italos, quod in Lucania primùm viſus fuerit) corio tantum, colore & magnitudine ferme elephas eſt. *Monocerotem* autem longe aliter deſcribit Philoſtorgius, quam Plinius, *lib.8. cap.21.* & Solinus, *cap.52.* Inter alia verò, longam ei ceruicem tribuit in altum protenſam, ſyrmati draconis proximè accedentem, ὁλκῷ δράκοντος (Suidas ὁλκὸς κυρίως τὸ τῶν δρακόντων σύρμα: & minus rectè apud Nicephorum Interpres *tractum* vertit) *Camelopardalim* deinceps deſcribit fermè vt alij. Vnus etiam Strabo, *lib.16. pag.533.* idem cum Philoſtorgio dicit, de pedibus anterioribus qui poſterioribus altiores ſunt: apud Æthyopes *Nabis* dictus, *Giraffa* hodie: de Camelopardali Indicà nominatim Baſſus in *Geoponicis, lib.16. cap. vlt. Simia-*

rum inde genera varia Philoſtorgius fuiſſe ait, 1. Αἰγοπίθηκον, ſimilem videlicet capræ ſimiam, 2. Αρκτοπίθηκον ſimilem vrſo ſimiam, nam ita legendum, quomodo & apud Nicephorum iam ex ingenio reſtituit Geſnerus *cap. de ſimiis pag.* 870. qui & figuram eius exprimit. 3. Λεοντοπίθηκον, ſimilem Leoni ſimiam. 4. Κυνοκέφαλον, capite canino ſimiam: Nam & hanc in ſimiarum genere ponit, pariter vt Ariſtoteles, Plinius *lib* 8. *cap.* 54. *in fin.* Solinus, *cap.* 27. Galenus, *de anatom. admin. lib.* 1. *cap.* 2. aliíque, vnde & quod de ſimiarum mœrore, ſeu triſtitia, cauâ ſeu lumine caſſa lunâ, ab aliis dicitur, id de Cynocephalo ſcribit Orus Apollo in *Hieroglyphicis*. His ſcilicet ſimiarum generibus animalium illorum quorum nomina his adjiciuntur ſpecies immixta erat: vnde his nomina indita. In quo concinit Plinius, *lib.* 8. *cap.* 54. Solinus, *cap.* 27. *circa fin.* qui & *ſimiarum plebem* ſeu *vulgus* vocat, pariter vt Philoſtorgius hic πιθήκων δῆμον. 5. *Pana* quoque ſimiarum generi adſcribit Philoſtorgius, quod nullus prætereà facit. Ait verò eam caprinâ facie eſſe: inde certè & *Aegipanes* dicti, de quibus Plinius, Solinus, Mela, Capella, alij. Ait etiam, miſſum Pana à Rege Indorum ad Conſtantium Imp. Quomodo & Auctor vitæ Conſtantini, *lib.* 4. *cap.* 50. id de Conſtantino in genere notat, *varia animalia ad eum à R. Indorum miſſa*: Vti viceuerſa dona à Conſtantio ad Homeritas miſſa vidimus. Mythologiam tandem Panis, cultúſque eius ex Philoſtorgio hic obſerua. 6. *Sphyngem* quoque ſeu *Sphyngia* in Æthyopiâ, aliíſque Orientalibus & Meridionalibus partibus

partibus naſci ait: de Æthyopia v.Strabonem *lib.16.p.533.* Plinium *lib.6.c.29.* Cæterùm eum in ſimiarũ cenſu ponit pariter vt Plin.*lib.*8.*c.*54.Solin.*c.*27.*in fi.* Quod deſcriptionem eius attinet,conuenit ea cum Agatharchidis deſcriptione: Verùm hæc Philoſtorgiana exactiſſima omnium eſt: vt & Mythologia eius ſingularis,quam tute vide. Et hæc de Simiarum generibus. Sequuntur *Onagri* ſeu aſini agreſtes,de quibus & eorum pullis (quos *Laliſiones* appellabant) videndus quoque Plinius, *lib.*8.*cap.*30.44. & Solinus,*cap.*27.*p.*53.Nemo tamen varietatem eorum deſcribit præter Philoſtorgium.De *Phœnice* aue,quæ in Æthyopia naſci, in Ægypto mori dicitur, res nota, quam tamen Photius juxta alios plures in dubium reuocat. Bibl.*num.* 126. vt & de *Pſittacis* : quos è Gagandâ Æthyopiæ inſula primum miſſos à Neronis exploratoribus relatum ait Plinius, *lib.6. cap.29. in fin.* De *Garamantibus* auibus diſerte hoc nomine nulla alibi mentio occurrit : vocat autem eas ποικίλους & καταστηγεῖς variegatas & punctis diſtinctas: Certe *Aethyopicas* aues diſcolores maximè ait Plinius, *lib.* 10.*cap.*2. *Aethyopes atque Indi diſcolores maximè & inenarrabiles ferunt aues, & ante omnes nobilem Arabia Phœnicem.* Hæ igitur illæ Garamantes aues ſunt. De *Auro* & χρυσείοις non modo Indorum Arabúmque,quæ notiſſima ſunt,verum etiam de auro Æthyopum , déque modo auri ibi conficiendi , pauperúmque miſeriâ in ergaſtulis illis , Agatharchides,*lib.*5. *cap.*11. & ex eo Diodorus,*lib.*3 *pag.*104.105. Strabo,*lib.*17. *pag.*565. Et hæc de Animalibus auróque.

Inter cæteras etiam dotes Orientalium & Meridio-

nalium regionum ponit Philoſtorgius fructus & in his *Carya*, ἐν γνώσμασι τὰ κάρυα: Intelligit ſcilicet carya ſeu caryotas palmulas, φοίνικας, quæ nucis formâ ſunt, vnde & nomen habent, in quibus præcipuæ *Nicolai palmulæ* in Palæſtinâ, de quibus iam ad *Veterem Orbis deſcriptionem*: Babylonicæ item, Ægyptiacæ, Thebaïcę, de quibus Dioſcorides, Strabo, Plinius, Galenus, alij: Arabicæ, apud Plinium *lib.13. cap.4.* & Diodorum Siculum: Æthiopicæ item apud Strabonem *lib.17. pag.565.* De palmâ alioquin Æthyopicâ, quæ Κοὶξ dicta, in quâ pomum rotundum maiore quàm mali amplitudine, vide Theophraſtum, *lib.2. hiſtor.* Heſychium, Plinium, *lib.13. cap.4.* Strabonem, *lib.17. pag.565.* De *biferâ* tandem Arabiâ, vnde & *Felix* maximè dicta v. vel Strabonem, *lib.16. pag.628.*

¶AD CAP. XII. *De Athanaſii apud Conſtantem Imp. gratia, deq; eius per eum reſtitutione, geſtiſq; in reditu, in Palæſtina nominatim.*

De *Athanaſii* apud Conſtantem Imp. gratiâ, déque eius per Conſtantem in Epiſcopatum reſtitutione, déque ὁμουσίου per Athanaſium propagatione eſt hoc caput. ¶Ait primò Philoſtorgius, Athanaſium, cùm ad Conſtantem Imp. veniſſet, donorum multitudine eos qui apud Imp. valebant ſubegiſſe: ac nominatim Euſtathium Comitem rerum priuatarum. Quæ inſignis inter alias in Athanaſium & Conſtantem Imp. Philoſtorgij calumnia eſt, ab Euſebianis deriuata, quam hîc tanto poſt reponit. Quales etiam Sabini ſcriptoris Macedoniani

niani calumniæ ſunt, vt teſtatur Socrates, *lib.1. cap.5. & lib.2. cap.13.* de quo dico in *Prolegomenis.* Primùm illud *hîc* & *c.3. ſup.* mendax, quod Athanaſius ad Conſtantem, ſeu Comitatum eius, ſecundùm nunc exul, profectus fuerit: Id enim ab Euſebianis iam olim objectum diluit ipſemet *Apolog. ad Conſtantium,* verùm Romam profectum ſeſe ait, & *ibi* & *epiſt. ad Solit. vit. ag. pag. 632.* quod etiam Sozom. *lib.3. cap.5.* & *7. in fin.* ſcribit, & Theodoretus quoque teſtatur *lib.2. cap.4.* (Socrates indefinitè *lib.2. cap.11.* in Italiam trajeciſſe eum ſcribit) ibíque triennium manſit, vſque quo ab Imp. Mediolanum vocatus fuit, quarto iam exilij ſui anno, vt idem ibidem teſtatur *pag. 526.* quod poſtremum congruit Anno Domini 346. Et ita accipiendum eſt, quod Theodoretus ſubjicit *cap.5. dict. lib.2.* Nempe, Euſebiani ſeu Ariani id agebant, vt Athanaſium arguerent, quaſi Principum animos commouentem. Quomodo certe obiectum ei, quod hoc ipſo tempore Conſtantium apud fratrem Conſtantem calumniatus eſſet, cúmque in illum concitaſſet: quod & ipſe multis diluit *in dicta apologia.*

Secundò & illud hîc mendax, quod Athanaſius donorum multitudine eos qui apud Conſtantem imp. valebant, τοὺς αὐτοῦ ὑπερδυναστεύοντας ſubegerit, ac nominatim Euſtathium Comitem R.P. & ſic per eos Conſtantis Imp. gratiam aucupatus ſit: ſcilicet & hæc commenti olim Ariani, vt ita Orthodoxis id reponerent, qui Euſebium & Euſebianos prædicabant Conſtantij beneuolentiam per conjugem & Eunuchos, ac nominatim per Euſebium

eunuchum Præpoſitum S. cubiculi, nactos, querebantúrque τοὺς παραδυναστεύοντας Conſtantij animum hùc illuc vertiſſe, quod docet vel Theodoretus *lib. 2. cap. 12. & 13. in princ.* Cæterùm Euſtathij nominatim Comitis R. P. inter παραδυναστεύοντας apud Conſtantem meminit Philoſtorgius. Hic verò ille eſt Euſtathius Comes R. P. cui inſcribitur A. D. 345. additâ pariter dignitate, *lex 7. C. Th. de petitionibus.* Quod huic loco, hujúſque narrationis de Athanaſio æræ conuenientiſſimum eſt: vt viciſſim ex hoc Philoſtorgij loco legi illi non parùm lucis accedit: hinc enim inter alia quoque diſcimus, legis illius non Conſtantium verùm Conſtantem Imp. authorem eſſe, quando Euſtathius cui ea lex inſcribitur apud Conſtantem inter παραδυναστεύοντας erat, & Comitiuam R. P. apud eum gerebat. Hic verò Euſtathius paulo poſt A. D. 349. Præfectus Prætorio Italiæ fuit, vt docet *lex 1. C. Th. de Iuriſdict.* & *lex 6. eod. C. de exaction.* quæ duæ leges vnius & eiuſdem conſtitutionis partes ſunt, atque ideò inter ſe coaſſandæ veniunt. Ex his interim patet, verum ſaltem illud eſſe quod Philoſtorgius ſcribit, Euſtathium inter alios Conſtanti Imperatori παραδυναστεύοντας fuiſſe, & τῷ βασιλεῖ πιθανώτατον, quando ſummas eum in Palatio dignitates, Comitiuam ſcilicet primo R. P. mox & ſummum Præfecturæ prætorianæ culmen conſcendiſſe videmus. Proculdubio autem Euſtathium hunc veri numinis cultorem ſeu Orthodoxum fuiſſe oportet, quando eo loco apud Conſtantem habitus fuit, Principem certè Chriſtianiſſimum: quando item Euſebianorum & Philoſtor-

loſtorgij quoque in eum virus ſeſe hîc effundit, quaſi donis ab Athanaſio ſubactum. De dignitate porrò hâc, id eſt de Comitiuâ rerum priuatarum infrà rurſum *lib.* 7. *cap.*1. vbi dicitur ὁ τῶν θησαυρῶν προεστώς, & plenius Zoſimo *lib.*5 ὁ τῶν ἰδίᾳ τῷ βασιλεῖ προσηκόντων ταμείων προβεβλημένος. Tertiò ait Philoſtorgius, Athanaſium à Conſtante minaces ad Conſtantium literas retuliſſe pro ſua reſtitutione. Hanc verò epiſtolam Conſtantis, Laconicam & minacem, exſcribit Nicephorus, *lib.*9.*cap.*21. Paulò aliter, etſi eodem ſenſu, eam refert Socrates, *lib.*2 *cap.*18. Meminit & harum literarum Theodoretus, *lib.*2.*cap.*28. *in fin.* Imò & Sozomenus, *lib* 3. *cap.*19. aperte quoque Conſtantem fratri Conſtantio bellum minatum refert: vide & authorem vitæ Pauli apud Photium *pag.*1426. Et apud Athanaſium tamen nil tale occurrit, imò, Conſtantium ad fratrem Conſtantem literas ſcripſiſſe ait, quibus hortabatur παρεκάλεσε, vt Athanaſium Conſtans ad reditum hortaretur, additis aliis compluribus, quin & aliis pluribus Comitibus ſuis eadem ſcribere iuſſis: *Apolog.* 2.*pag.*597. *epiſt.ad Solit.vit.ag.pag.*657. Quartò ait Philoſtorgius, Conſtantium acceptis minacibus illis Conſtantis fratris literis pro Athanaſio reſtituendo, cum Epiſcopis in conſilium iuiſſe, quid facto opus eſſet: illos verò, ſatius eſſe dixiſſe Athanaſium, reſtitui, quam bellum fratri indici. Id vero ipſum memorant Socrates *lib.* 2. *cap* 18. & Sozomenus, *lib.*3. *cap.*19. & Nicephorus, *lib.*9. *cap.*21. qui Philoſtorgium alioquin ſecutus, ita Epiſcoporum conſilium reddit: ἄμεινον ἔφασαν ἐκεῖνοι, Ἀθανασίῳ παρα-

χωρεῖν τῶν ἐκκλησιῶν ἢ ἐμφυλίῳ διαχειρίσασθαι μάχαις. Quintò ait, poſt haſce literas Conſtantium Imp. Athanaſio permiſiſſe, vt Epiſcopatùm repeteret, id quod in fratris gratiam ad tempus tantùm à ſe indultum poſteà publicis edictis Conſtantius profeſſus eſt, vt ſcribit Athanaſius *ad Solit.vit.ag.pag.652. in fin. & 653. in princ. & fin.* Id quod ibi refutat Athanaſius. Retrò addit, quod Sextum, Philoſtorgius, Georgium qui Athanaſio ſuffectus fuerat cum epiſtolâ in patriam ſuam Cappadociam remiſſum: De quo non Georgio verùm Gregorio jam ſuprà *cap.3.* Socrates, *lib.2.cap.10. in fin.& 11.* vtrumque & Gregorium & Georgium hoc tempore vnum poſt alterum Athanaſio ſuffectum per errorem ſcribit. Atenim temporum ratio & ordo hîc egregiè conſtat, de Gregorio videlicet Alexandriâ pulſo poſt Conſtantis ad Conſtantium literas, déque Athanaſij in ſedem Alexandrinam reſtitutione (poſt Concilium videlicet Sardicenſe, cuius nulla hîc mentio, quod habitum A.D.347.) Et rectè Theodoretus, *lib.2. cap.4.* qui Gregorium hunc ſex annos Alexandrinam Eccleſiam tenuiſſe ſcribit: tot enim ſunt anni ab A. D. 341. vel 342. (quo Athanaſius in exilium miſſus eſt) & Gregorius ei ſuffectus, ad hoc tempus vſque i. A.D.348. Cæterùm ait Philoſtorgius, Gregorium ad ſua cum epiſtola à Conſtantio remiſſum, ibi ſua deinceps accuraſſe. Atquin à Synodo Sardicenſi prius depoſitum, A. D. 347. mox à ſuis Alexandrinis occiſum ſcribit Theodoretus, *lib.2.cap.12.* Athanaſius autem, *epiſt. ad Solit vitam agentes, pag.637.* decem menſibus poſt miſſam

à Sar-

à Sardicenſi Concilio ad Conſtantium Imp. legationem defunctum ſcribit, nullâ cædis eius mentione facta: idémque ait, defuncto demum hoc Gregorio Athanaſium à Conſtantio accerſitum. Et verò Theodoreti lapſus ille videtur: de Gregorio quippe priore, de quo *ſuprà lib.2.cap.2.12.* id traditum, eum à ſuis occiſum: vide Socratem, *lib.6. cap.6. in fin.* vt & de tertio Georgio: de quo *infrà lib.7. cap.2.*

Septimo loco narrat deinceps Philoſtorgius *Athanaſii* ab exilio Alexandriam reuertentis in itinere pro ὁμοουσίῳ geſta factáque & quidem in Palæſtinâ, quò pertinet hoc caput: vt & in Syriâ Antiochiæ: quâ partim occaſione Philoſtorgius tractat ea quæ continentur *cap.13. 14. 15. 17. 18.* Ait igitur, Athanaſium maiore iam animo per ciuitates tranſeuntem, διϊόντα τὰς πόλεις, Epiſcopos ad quos acceſſit, ad ὁμοούσιον perduxiſſe. Certe Athanaſius ipſe *epiſt. ad Solit. vit. ag. pag.639.* ait, in hoc itinere ſuo, omnes Palæſtinæ Epiſcopos, exceptis duobus vel ad ſummum tribus, Athanaſium excepiſſe, eiúſque communionem amplexos, ſcriptíſque verbíſque proteſtatos, ſe quæ antea ſcripſerant, non voluntate, ſed vi coactos feciſſe. At Philoſtorgius liberaliùs jam Athanaſium Epiſcopos Palæſtinæ ad ὁμοούσιον perduxiſſe ſcribit: imò & vt ne alios quàm Homoouſiaſtas admitterent perſuaſiſſe: Inter alios verò & *Maximum* Epiſc. Hieroſolymitanum ad Athanaſij ſententiam acceſſiſſe. Hinc verò nouo iam crimine Athanaſio mox objectum ab Arianis, quod in itinere & extra diœceſim ſuam ordinationes feciſſet:

κατὰ πόλεις ἐν ταῖς ἄλλων παροικίαις. Socrates *lib.2.cap.19.in fin.*(& ex eo Nicephorus, *lib.8.cap.26.*) & *cap.21* : & Sozomenus, *lib.3. cap. 20. διὰ τῶν ἄλλων ἐθνῶν τὴν ὁδοιπορίαν ποιούμενος.* Illud proculdubio calumnioſum, quod adjicit, de *Aëtio* Palæſtinæ Epiſc. (Lyddæ ſcilicet) de quo alioquin Aëtio vide epiſtolam ad Euſebium Nicomedienſem apud Theodoretum, *lib.1. cap 5* vbi Arius eum ſibi aſſentientem ait: qui idem & *lib.1. cap.21* Ariana labe infectum fuiſſe teſtatur. Hic Aëtius quoque pars fuit Synodi Antiochenæ Arianorum, in qua Euſtathius depoſitus fuit (A.D.328) teſte Theodoreto, *lib.1.cap.20.* Interfuit & cum Maximo Sardicenſi Synodo A.D.347, vt teſtatur Athanaſius, *Apol. 2.p.597.* Παλαιστίνης, inquit, Μάξιμος. Αἴτιος, & quidem inter Orthodoxos iam : Interfuit idem & Synodo Hieroſolymitanæ. A.D.349. quæ Athanaſium in communionem recepit: teſte eodem Athanaſio *Apol.2.pag. 602.* Ex quibus quidem apparet, eum Orthodoxum hoc tempore fuiſſe, & Athanaſij ſententiæ adhæſiſſe, quod Philoſtorgius ait: Atenim meras calumnias eſſe, quaſi id fecerit Aëtius, & nunc demum & vt adulterij pœnam euitaret, mox tamen nihilominus acerbiſſimam pœnam crucifragij luerit. Quæ proculdubio Euſebianorum commenta ſunt ex Athanaſij odio, & quod Aëtius hic ex Arianiſmo ad Orthodoxam fidem acceſſiſſet: Et nominatim quidem, quod adulterij accuſationem attinet quæ hoc æuo paſſim objecta Epiſcopis ab aduerſariis vt oſtendunt ea, quæ aduerſus Euſtathium pariter commenti, *lib.2.cap.7.ſup.* & in Athanaſium, de quo ad *l.2.c.12.*

Ad

Ad retundendas videlicet ſimiles Catholicorum accuſationes, quæ paſſim plures occurrunt apud hiſtoriæ Eccleſ. ſcriptores. Tandem de hoc ipſo *Aëtio* Palæſtinæ Epiſcopo agit Epiphanius, *hæreſi Archonticorum* 40: vbi ait, Petrum quendam Gnoſticorum hæreſeos conuictum ab hac Aëtio ſacerdotio exauctoratum, & in Cochaben Arabiæ oppidum ex Palæſtina profectum. ¶Addit & Philoſtorgius, *Maximum* quoque Epiſcopum Hieroſolymitanum tùm ad Athanaſij ſententiam acceſſiſſe, id eſt ad ὁμοούσιον, poſt reditum videlicet Athanaſij à ſecundo exilio. Quod & ipſum falſiſſimum eſt. Verum equidem illud, Maximum aliquando in Synodo Tyriâ ſub Conſtantino A. D. 335 lapſum circumuentúmque, verùm à Paphnutio mox erectum, & perpetuâ dehinc communione Athanaſio ſociatum, teſtis eſt Rufinus, *lib.* 1. *cap.* 17. & Sozomenus, *lib.* 2. *cap.* 24. *in fin.* Inde igitur neque ad Synodum Antiochenam, quæ A D. 341. ad euerſionem fidei homoouſianæ & Athanaſij depoſitionem vergebat, venit authore Socrare *lib.* 2. *cap* 5. & Sozomeno *lib.* 3. *cap.* 5. Contra Synodo Sardicenſi A D. 347, inter Palæſtinæ Epiſcopos & primus quidem ſubſcripſit, apud Athanâſ. *Apol.* 2. *pag.* 597. Et Hieroſolymitanum Synodum pro Athanaſio in communionem recipiendo A. D. 347 coëgit, eique ſubſcripſit. Athanaſius *d. Apolog.* 2. *pag.* 602: Socrates, *lib.* 2. *cap.* 19: Sozomenus, *lib.* 3. *cap.* 20. *in fin. & cap.* 21. Vnde poſteà etiam ante Synodum Seleucenam depoſitus, & ab Eccleſiâ pulſus eſt. Socrates, *lib* 2. *cap.* 38. Sozom. *lib.* 4. *cap.* 20. Et Socrates tamen quoque

lib.2. cap.19: & Sozom. *lib.3. cap.5* ſcribunt, Maximum autem in fraudem impulſum calculo ſuo Athanaſium abdicaſſe, ſed facti poſteà pœnitentem, ad Synodum Antiochenam venire noluiſſe. Sedenim quidquid medio tempore fecerit Maximus, vt iam dixi, & Sardicenſi ipſe Concilio ante aduentum Athanaſij ſubſcripſit, & nunc pleniſſimè in Hieroſolymitanâ Synodo Athanaſio communionem & dignitatem reſtituit. Et verò, hanc aduerſarij Athanaſij aduerſus Maximum vociferandi occaſionem arripuêre, σφόδρα κατεπτωχύσαντο τοῦ Μαξίμου, quod videlicet cùm Athanaſium antea ſuo quoque ſuffragio abdicaſſet, nunc mutatâ ſententiâ illi ſuffragatus eſſet, & communionem dignitatémque ſimùl reſtituiſſet, vt diſertè ſcribit Socrates, *dict. lib.2. cap.19.* Inde & hoc ipſo facto, tanquam illuſtri maximè pro Athanaſio, Maximum nunc demùm ad Athanaſij ſententiam acceſſiſſe Philoſtorgius falsò credi voluit: eidémque conuicium facit: exprobrato etiam, quod à priſcâ conſtantiâ receſſiſſet, vtpote qui Maximiani perſecutione martyr extitiſſet, alterúmque oculum ob pietatem effoſſum ferret (Quod & Nicephorus, tacito Philoſtorgij nomine, inſeruit *lib.9. cap.26.* vbi Interpres per errorem habet *ſub Licinij perſecutione*) De quo alioquin Maximi martyrio Rufinus *lib.1. cap.17*: Sozomenus, *lib.1 cap.10*, & *lib.2 cap 19*: Theodoretus, *lib.2. cap.27.* qui oculum dextrum effoſſum aiunt: addúntque nonnulli, & pedis ſiue dextri ſiue ſiniſtri flexum inciſum.

¶Ad

¶AD CAP. XIII. *De Δοξολογίᾳ, variiſq; eius formulis Antiochiæ.*

De Δοξολογίᾳ ſeu *Hymnologia*, & eâ quidem quæ in Eccleſiâ Antiochenâ vſurpabatur, variiſque eius formulis, ſeu ἐν τοῖς ὕμνοις διαφωνίᾳ, eſt hoc caput: quod in hiſtoriam ſuam tranſtulit, narrationíque, ex Sozomeno alioquin deſumptæ, inſeruit Nicephorus, *lib.9. cap.24. pag.737.* vnde etiam hic locus emendandus ſupplendúſque venit: nam cùm tres tantum Δοξολογίας formulæ hîc occurrant, quatuor ibi apponuntur. Tria autem hoc capite proponit Philoſtorgius. Primò formularum ipſarum diuerſitatem. Sunt autem iſtæ: Prima, Δόξα πατρὶ ΚΑΙ υἱῷ καὶ ἁγίῳ πνεύματι. Secunda, πατρὶ ΔΙ' υἱοῦ ΕΝ ἁγίῳ πνεύματι. Tertia, πατρὶ ΚΑΙ υἱῷ ΕΝ ἁγίῳ πνεύματι. Quarta, πατρὶ ΕΝ υἱῷ καὶ ἁγίῳ πνεύματι. Nempe tertia illa hîc deficit. Cæterùm, vti prima Catholicorum eſt & orthodoxa, de quâ mox, ita tres hæ poſteriores Arianorum fermè fuêre, è quibus primam illam, quæ hîc ordine ſecunda eſt, πατρὶ δι' υἱοῦ ἐν ἁγίῳ πνεύματι Philoſtorgius maximè laudare ſeſe ait: Scilicet quæ & inæqualem Patri Filium, & Filio inæqualem Spiritum ſanctum profitebatur: quod illa formula exertè indicat. Ea verò inter Ariomanitas Eunomij & Eudoxij ſententia fuit. Nam vt Ariani in commune Filium inæqualem Patrique ἑτερούσιον dicebant, imò Filium Patris δοῦλον καὶ ὑπηρέτην, ita Eunomianorum hæc hypotheſis fuit, Spiritum ſanctum à Filio creatum, Filiíque mittendarium eſſe, de quo infrà *lib.6. cap.2.* cúmque adeò non αὐτοπίστατον eſſe. Atque ita Philoſtorgius, vt

toto hoc opere, ita & hîc Eunomianum ſeſe prodit, de quo plenè in *Prolegomenis*. Ergo tres hæ poſteriores formulæ Arianorum fuêre, quas ita variè concepêre, & quidem in Concilio fermè Antiocheno A.D. 341. vbi Athanaſius abdicatus fuit. Hinc igitur iam diſſenſio in Eccleſiâ Antiochenâ, pro ſymbolo videlicet ſingulis varias formulas vſurpantibus in doxologiâ ſub finem Pſalmodiæ ſeu hymnologiæ, vnde ſinguli velut teſſerâ internoſcebantur, τὴν οἰκείαν προαίρεσιν ἐπιδείκνυον, vt ait Sozomenus, *lib.3. cap.19. in fin.* vel, vt ait *lib.4. cap.27.* πρὸς τὴν οἰκείαν δόξαν μεθαρμόζον τὸ ψαλλόμενον. Et hæc de formularum illarum diuerſitate, ſic vt ex Arianeis præcipua eſſet illa quam dixi. Et tamen, quod notandum, Baſilius quoque Cæſarienſis inter alias & ipſe eam velut legitimam vſurpauit, cúmque eo nomine reprehenderetur, defendit, quod argumentum inter alia eſt *lib. de Spiritu ſancto ad Amphilochium*: vide ibi *cap.1.* quo libro & illam quoque tuetur μετὰ τοῦ υἱοῦ σὺν τῷ πνεύματι. Et tamen prior illa ſyncera maximè, orthodoxa & Catholica habita eſt. Quare & Theodoretus, *lib.2. cap.24.* & Sozomenus, *lib.3. cap.19. in fi.* & Theodorus Mopſueſtiæus *apud Nicetam*, duas tantum formulas δοξολογίας diuerſas memorant, in quas diuiſi fuêre Anriocheni διχῆ διῃρημένοι: Catholicam videlicet & primam inter Arianeas, quam ſibi placere maxime Philoſtorgius ait. Secundo, Catholicæ iſtius formulæ primum authorem, & quidem in Eccleſia Antiochena facit Philoſtorgius Flauianum qui Antiochenus Epiſcopus poſteà factus eſt: de quo *infrà cap.18.* Theodoritus equidem

equidem *d.lib.2. cap.24.* poſteaquàm in hâc ipſa hiſtoriæ ſerie, puta de reditu Athanaſij, duas diuerſas pariter formulas illas ex ſuperioribus Antiochiæ vſurpatas memorauit, ſubjicit, Flauianum & Diodorum admirabiles viros, quanquam Sacerdotij adminiſtrationem nondum eſſent adſecuti, verùm inter Laicos tantum eſſent, τὴν ἀσκητικὴν ἀσπαζομένους πολιτείαν apertè Apoſtolicam doctrinam tuitos aduerſus inſidias Leontij Epiſcopi Antiocheni (de quo *infrà cap.*18.) Ariana hæreſi infecti, qui tegendo veneno tacitè apud ſe δοξολογίαν Arianam recitabat, ſic vt qui prope eum ſtarent, nonniſi, εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων audirent: ſed & Aëtij ad Diaconatum promotionem arguiſſe: Item, *Noctu dieq́; ad pietatis ſtudium ſedulò omnes excitaſſe, eoſq́; primos Pſallentium choros in duas partes diuiſiſſe, hymnos Dauidicos alternis canendos tradidiſſe: Quæ res Antiochiæ primùm cœpta vbiq́; peruaſerit, & ad vltimas orbis terræ oras peruagata ſit*: οὗτοι πρῶτοι διχῇ διελόντες τοὺς τῶν ψαλλόντων χορούς, ἐκ διαδοχῆς ᾄδειν Δαυϊτικὴν ἐδίδαξαν μελῳδίαν, καὶ τοῦτο ἐν Αντιοχείᾳ πρῶτον ἀρξάμενον πάντοσε διέδραμε καὶ κατέλαβε τῆς οἰκουμένης τὰ τέρματα: Subjicítque, *Leontium ſubdolè poſtulaſſe à Flauiano & Diodoro, vt hoc miniſterium in Eccleſiis obire vellent, quod ipſi amplexati ſint & perfecerint.* Sed tamen neq; Theodoretus, neq; Sozomenus Flauianum auctorem faciunt primum Antiochiæ τῆς ὑμνολογίας, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto*; quod Philoſtorgius tamen facit: vt & Theodorus Mopſueſtæus apud Nicetam, *theſauro orthod.fidei lib.5. c.30.* Nempe ait is, *Flauianum & Diodorum, quorum ille Antiocheno Epiſcopatus, hic Tarſenſi poſteà præfectus eſt, illam Pſalmodiæ*

ſpeciem, quas Antiphonas dicimus, ex Syrorum linguâ in Græcam tranſtuliſſe, & omnium prope ſolos admirandos huius operis omnibus orbis Chriſtiani hominibus authores apparuiſſe. Addítque, *Heteiouſiaſtæ quidem certe, hoc eſt Ariani, diuerſum Filium à Patre ſubſtantiâ eſſe dicentes ita canere ſolebant, Gloria Patri* PER *Filium* IN *Spiritu ſancto: Flauianus autem primus ceciniſſe fertur, Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto.* Niſi poſtrema hæc ex Philoſtorgio Nicetam addidiſſe putemus. ¶ Tertiò ait Philoſtorgius, Flauianum hoc Antiochiæ feciſſe, *Monachorum multitudine in vnum coactâ*, πλήθει μοναχῶν συναχθέντων. Certe vt hoc æuo monachorum drungi Antiochiæ vel prope eam in montibus fuêre, de quo plenè dixi ad Libanij *Orationem* ὑπὲρ τῶν ἱερῶν, *pag.* 46. 49. 62. ita & pleraque magni momenti, quæ efficaciam deſiderarent aliquam, per eos potiſſimùm hac tempeſtate tranſacta: de quo *ibid.* quibus accedat & hoc exemplum, ſi verum, ex Philoſtorgio: qui vt *hic* ita & alibi *inf. lib.* 11. *cap* 5. auerſum à Monachis animum arguere videtur: ſi conjicere licet, ideò quod monachi Eunomianæ hæreſi valde reſtiterunt, teſte Sozom. *lib.* 6. *cap.* 27. ¶ Ab hoc interim capite & ſequente notandum eſt, incipere hiſtoriam hæreſeos ÆTIANÆ, vnde & *cap.* mox ab hinc altero, in Aëtij vitam ſeſe diffundit Philoſtorgius: eóque & illa ſpectant ſine *cap. prox.* εἰς ἀμπελον τύποις ὑποδουλεύσαι καταστῆναι μοῖραν.

¶ AD CAP. XIV. *De Arianorum totali receſſu ab homoouſiaſtis.*

De *Cauſis*, ob quas Ariani ab homoouſiaſtis penitùs hoc

hoc tempore receſsêre, eſt hoc caput: quod Nicephorus quoque exſcripſit *lib. 9. cap. 11. pag. 718*: Philoſtorgij tamen nomine, vt aliàs, ſuppreſſo, & nonnullis prætereà detractis, immutatis, per quæ longe alius iam huiuſce loci apud eum ſenſus eſt, quando omnem in Aëtium diſceſſionis & ſchiſmatis inuidiam culpámq; ibi conuertit, quâ hîc Philoſtorgius Aëtium liberat. Nempe ait hîc Philoſtorgius, cùm hactenus ad Aëtij exortum vſque homoouſiaſtæ cum Arianis communicarent & precibus & hymnis & conſultationibus, καὶ εὐχῶν, καὶ ὕμνων, καὶ βουλευμάτων, & omnibus fermè aliis, quæ δεσμοὺς φιλίας καὶ συνηθείας vocat, excepto tantum myſtico ſacrifico, vbi ſemel circa hæc, preces inquam & hymnos (*de quo ſuper. cap.*) Aëtius diſſenſionem & diuerſitatem cœpit, τῆς ἐν τούτοις διαστάσεως ἄρξαντος, Homoouſiaſtas (τὴν ὁμόδοξον συναγωγὴν) ruptis omnibus, quibus ante Arianis τοῖς ἑτεροδόξοις conjungebantur amicitiæ & conſuetudinis vinculis, materiam Arianis maximè præbuiſſe aduerſam partem conſtituendi, εἰς ἀντίπαλον τούτοις μάλιστα ἀποσχεδιάσαι καταστῆσαι μοῖραν. Quod quidem de Antiochiâ nominatim accipiendum eſt: ibi quippe hymnologiam & δοξολογίαν immutatam dixit *ſuper. cap.* & ibi Aëtius hoc tempore agebat, vt ex *prox. cap.* apparebit: denique & Antiochenæ Eccleſiæ ſtatus, quem aliunde diſcimus, id euincit. Nempe enim hoc tempus eſt, quo Leontius Arianus poſt Placitum & Stephanum Epiſc. Antiochenus, de quo *infrà cap. 17*, hæreſin ſuam callidè tantum occultare τὴν γνώμην κρυψίνους, multitudinis metu, & ob Conſtantij

minas deprehenſus fuit; Aëtio inter hæc Diacono facto (de quo alioquin *cap.* 17) & de quo Athanaſ. *de Synodis Arimini & Seleuciæ pag.* 703. 767 : Theodoretus, *lib.* 2. *cap.* 24. Quem tamen Leontius, inſtante Flauiano & Diodoro, vtpote minatis *communionem* ſeſe illius Eccleſiæ derelicturos, & in Occidentem profecturos, vti fraudulentos eius conatus ibi declararent, miniſterio abdicare mox coactus eſt. Quæ quidem in huius temporis hiſtoria memorat Theodoretus, *lib.* 2. *cap.* 24. (& ex parte quoque *cap.* 27 *pag* 82) eo ipſo capite & tempore quo ea quæ de δοξολογίας diuerſitate in Eccleſia Antiochena ſuperius narrauimus, ediſſerit. Hæc illa verò eſt totalis iam diuiſio & ſciſſura in Antiochenâ Eccleſia, quam Philoſtorgius vult eo tempore inuectam; Aëtio, ſi credere fas eſt, neceſſitate eò adacto. Quo etiam tempore Leontius Arianæ ſectæ addictos paſſim ad munia Eccleſiaſtica prouexit, præteritis qui doctrinam Apoſtolicam ſequebantur, vt ïdem Theodoretus *ibid.* ait. ¶Quod verò ait Philoſtorgius, hactenùs Arianos precibus & hymnis &c. cum homoouſiaſtis communicaſſe, id quoque eo probari videtur, quod Sozomenus, *lib.* 3. *cap.* 19. hoc ipſo tempore ſcribit, Arianis Eccleſias Antiochiæ occupantibus, totum clerum ac populum Antiochenorum eorum opinionibus non penitus adhærentem, per choros, vt moris eſt, cùm hymnos canerent, diſtributos, ſub finem hymnorum ſuam ſingulos opinionem declaraſſe, κατὰ χορούς, ὡς ἔθος ἐν τῷ ὑμνεῖν τὸν θεὸν συνιστάμενοι πρὸς τῷ τέλει τῶν ᾠδῶν τὴν οἰκείαν προαίρεσιν ἐπιδείκνυον : quod & repetit *lib.* 4. *cap.* 27. addítque,

addítque, Leontium non auſum καὶ παράδοσιν τῆς ἐν Νικαίᾳ ᾠδῆς τὸν Θεὸν ὑμνοῦντας prohibere metu populi ne is ſeditionem moueret,tantum manu ad caput quod iam valde caneſcebat, admotâ dixiſſe, *Hac niue liquefactâ multum fore luti*: indicans, ſe mortuo diſpares illos hymnorum modos, τὴν ἐν ὕμνοις διαφορίαν tandem in populi ſeditionem euaſuram, quando Epiſcopi qui ei ſuccederent nullo modo paſſuri eſſent itidem ſeſe populi arbitrio in omnes partes circumferri. Quod vtique conuenit illis quæ hîc dicuntur de Aëtio περὶ τῆς ἐν τούτοις (ὕμνοις ſcilicet) διαστάσεως ἄρξαντος.

¶ Illud prætcrea notari cupio, quod ait, *Myſticum ſacrificium* ſeu *Euchariſtiam* vnam exceptam, cuius communionem Ariani cum homoouſiaſtis non habebant, etſi cætera fermè communia haberent preces,inquam hymnos, & conſultationes. Euchariſtiæ ſcilicet communio arctiſſima fidei conteſſeratio ſemper viſa fuit,cui nemo cum alio niſi ὁμόδοξος planè participabat.

¶Ad Cap. XV. *De Aëtij vita.*

Aëtij vitam,de quo iam ſuperiore capite agere cœpit, quíque deinceps vna cum Eunomio diſcipulo, potiſſimum huius Hiſtoriæ argumentum erit,deſcribit *hoc cap.* Philoſtorgius: quod quidem exſcribit in partem Suidas, *in verb.* Ἀέτιος, & Nicephorus, *lib.9. cap.*17. reſectis quę ad laudem Aëtij faciunt, tacitóque Philoſtorgij & hîc nomine. De eodem verò Aëtio agunt expreſſis pariter capitibus, & hoc ipſo fermè tempore Triumviri

Eccleſiaſtici, Socrates *lib.2.cap.28*: Theodoretus, *lib.2. cap.27. 28. 29.* Sozomenus, *lib.4.cap.11.* De eodem vide & Nicetam *theſauro orthod. fid. lib.5. cap.* 30 31, & ſuperioribus omnibus antiquiorem Epiphanium *in eius hæreſi quæ Anomæorum 76.* Ex quorum omnium collatione illuſtrari facile poterunt quamplurima, quæ à Philoſtorgio hîc de Aëtio dicuntur: Nos pauca tamen quædam ex hac Aëtij vita ſublegemus.

Primò, quod *patriam* Aëtij attinet, Cœlen Syriam ei adſignat Philoſtorgius: pariter vti Baſilius, *lib.1. aduerſ. Eunom. pag.10.* Imò Socrates, *lib.2. cap.28*, & incertus author apud Suidam *in* Αἴτιο, Antiochiam ipſam in Syriâ Cœle patriam ei adſignat.

Secundò, quod *artificium* Aëtij attinet, Aurificem ſeu Aurifuſorem eum fuiſſe ait Philoſtorgius, ἐπὶ τὸ χρυσοχοεῖν ὁρμῆσαι: quam artem ita mox graphicè deſcribit, τὴν ποικίλαις εἰδέαις τὸν χρυσὸν ἐπιμορφῶσαι τέχνην: & in fine his verbis quoque indicauit, ὅσον τῇ χρυσίῳ τεχνικωτέρας ἐδεῖτο χειρός. Nempe aurifoſorum ars hæc occupata fuit circa aurum in varias ſpecies formandum: cuiuſmodi artificem Aëtium fuiſſe ait Philoſtorgius: quod non tantum Suidas & Nicephorus referunt, verùm etiam expreſſe, ex hoc tertio Philoſtorgij libro, Nicetas, *theſ. auro orthod. fid. lib.5. cap. 30. pag. 180.* vbi & nonnulla præterea alia ſubjicit, quæ forte habet ex hoc eodem Philoſtorgio. Idem verò Nicetas, ex Theodoro Mopſueſtiæ Aëtium patre *aurifice papilionario* natum ait, in quo artificio à patre inſtructus fuerit: & *aurificem papilionarium* interpretatur,

qui

qui ædibus carens, papilionem ſeu vile tabernaculum è pilis ſetíſque contextum circumferebat, atque adeò circumforaneus & minutis quibuſdam friuolíſque operibus victum in diem ſibi comparabat : Quibus verbis circitorem aurificem deſcribit. Idem quoque Nicetas Nyſſenum iam narrantem inducit, Aëtium mulieri cuidam nomine Ampelidi ſeruiiſſe fabrilem artem exercentem, nempe eam quæ paruo malleo paruáque incúde vaſa ærea detrita ſarcit, foramina obturat, & liquefactum ſtannum eis infundit, lebetum denique ventribus infuſo plumbo medetur. Quod faciunt hodie circitores noſtri Cacabarij.

Tertiò apud Philoſtorgium obſeruandum, quod ait, Aëtium ad diſciplinas conuerſum, *Paulinum* Epiſcopum Antiochenum, antea Tyri Epiſc. audiuiſſe. Quod & Suidas habet, *in verb.* Αἴτιος : qui addit, ἀρτίως recenter tùm Paulinum è Tyro Antiochiam promotum, ídque ſub Conſtantini M. adhuc temporibus. Certe Paulinus hic Epiſc. Antiochenus factus fuit A.D.319. mortuus verò A.D.324. Quare quod mox hîc adjicitur, Paulinum poſt ſex menſes mortuum, id accipiendum & dimetiendum eſt ab eo tempore, quo Aëtius Paulinum audiuit. Nicephorus ſanè *Chronico*, vt & Zonaras *fine tom.* 2. hunc Paulinum quinque annos ſediſſe ſcribunt. Quo magis apparet, de optimâ fide eorum ſcriptorum (quibus addendus & Hieronymus *Chronico*) qui Paulinum ſub Conſtantino Epiſcopum Antiochenum in locum Philogonij ſuffectum ponunt : contrà, de erro-

re Theodoreti liquet, *lib.1. cap.7.* Euſtathium Philogonio ſubrogatum ponit, nullâ Paulini poſt Philogonium factâ mentione, quod Baronius iam rectè monuit *ann.319. num.27.*

Quartò ait Philoſtorgius, *Eulalium* Paulino in Epiſcopatu Antiocheno ſubrogatum: quod & ipſum apud Suidam *in verb.* Αἴτιος expreſsè dicitur: addito, Eulalium viceſimum tertium ab Apoſtolis Epiſcopum Antiochenum extitiſſe. Atquin Euſtathium Paulino ſuffectum ſcribunt Hieronymus *Chronico*, & Sozomenus *lib.1. cap.2.* vbi tamen μετὰ Ῥωμανὸν pro μετὰ Παυλῖνον ſcripſit: & Nicephorus, *Chronico*: Eulalium verò Arianum pulſo demùm in exilium Euſtathio ab Euſebianis Epiſcopum Antiochenum factum ſcribunt Hieronymus *Chron.* Theodoretus *lib.1.cap.22.* & Theophanes apud Nicetam, *lib.5. cap.9.* At rurſum Mopſueſtiæus apud eundem Nicetam *d.cap.9.* & Sozomenus *lib.2.cap.18.* Euſtathio depoſito Euphronium ſuffectum ſcribunt: & Socrates itidem *lib.1. cap.18.* ſcribit, cùm poſt Euſtathij abdicationem octo annos Epiſcopatus Antiochenus vacaſſet, tandem Euphronium ſubrogatum. Verùm nihil incertius ſerie Epiſcoporum Antiochenorum hoc tempore. Illud ſuſpicor, Euſebianos & Arianos ſcriptores hanc rem incertam reddidiſſe, quod ſuarum partium Epiſcopos, vti fuit Paulinus & Eulalius, præteritis Catholicis, memorarent. Certe Philoſtorgius noſter hâc parte ſibi non conſtat: hoc ſcilicet loco Eulalium Paulino (qui deceſſit A.D.324) ſuffectum vult: Atquin idem, *ſup.lib.2. cap.7*, Euſtathium Epiſcopum Antiochenum hoc tempore ponit. Imò, quod

magis, refert Nicetas, *theſauro orthod. fid. lib. 5. cap. 9.* ſolum Philoſtorgium *libro ſecundo Hiſtoriarum* authorem eſſe, Paulinum Tyro Antiochiam tranſlatum in locum Euſtathij abdicati. Tandem hunc Antiochenorum Epp. catalogum exhibet nobis Philoſtorgius (præter Babylam ſub Valeriano, de quo *lib. 7. cap.* 8) Paulinum, & Eulalium *hoc cap.* Euſtathium, *lib. 2. cap. 7. & lib. 3. cap.* 18. Leontium, *inf. cap.* 17. Eudoxium, *lib. 4. cap.* 4. Anianum, *lib. 4. cap.* 11. Meletium, *lib. 5. cap.* 5. Euzoium, *lib. 5. cap.* 5. Flauianum, *infrà cap.* 13. & 18. Paulinum, *dict. cap.* 18. Dorotheum, *lib. 9. cap.* 19, *lib.* 10. *cap.* 1.

Quintò ait Philoſtorgius, inuidiam ad vim ſuam regreſſam, mouiſſe Eulalium, vt Aëtium Antiochiâ expelleret. Apud Suidam inuidiæ cauſa additur; πολλοὶ τῶν ὑπὸ Αἐτίου ἐλεγχομένων δεινὸν ποιησάμενοι, πρὸς ἀνδρὸς δημιουργοῦ καὶ νέου καταχεράτος ἐλαύνεσθαι, συστάντες ἐξήλασαν αὐτὸν τῆς Ἀντιοχείας: nempe ait, *multos ex his qui ab Aëtio arguebantur graue arbitratos, quòd ab homine opifice & adoleſcente acerrimè agitarentur, conſpiratione factâ cum Antiochiâ expuliſſe.*

Sextò ait, Aëtium Antiochiâ pulſum, Anazarbum Ciliciæ veniſſe: (quod apud Suidam quoque dicitur) ibíque, poſt alia enarrata, Athanaſio Anazarbi Epiſcopo adhæſiſſe: Ariano ſcilicet (pariter vt Paulinus & Eulalius Antïocheni fuêre) quíque inter Arianos Epiſcopos Concilio Nicæno interfuit, eodem Philoſtorgio noſtro teſte apud Nicetam, quod habetur *ſup. lib. 1 cap. 8*: & Ario *in epiſt. ad Euſebium*, vbi queritur eum anathemate percuſſum quod ſecum ſenſerit apud Theodoretum *lib. 1. c. 5.* Quare & hîc Philoſtorgius cum vnum è Lucianiſtis

facit, de quibus *ſuprà lib.2.cap.15* & 16. Plura & poſteriora de hoc Athanaſio, aliis relinquo.

Septimò ait, Aëtium *Tarſum* perrexiſſe: ibíque *Antonio* qui primùm preſbyter erat, mox Epiſcopus factus fuit, adhæſiſſe. Huius verò Antonij Tarſenſis nullam in præſens mentionem reperio, quàm apud vnum Philoſtorgium, quíque ex eo habet Nicephorum, *lib.9. cap.17.* Eius verò meminit idem tribus prætereà locis *ſuprà lib.2. cap.3.15.* & 16: eúmque inter Collucianiſtas & hic & *dict. lib.2. cap.3.* & 15. ponit, Deúmque cognoſci & comprehendi poſſe crediđiſſe ait, *lib.2. cap.3:* Illibatam denique pietatem ſeruaſſe ſcribit *lib.2. cap.16.* Quæ omnia Philoſtorgius ad ſuæ ſectæ Eunomianæ ſcilicet commendationem inculcat.

Octauò ait, Aëtium inde Antiochiam rediiſſe, Leontiúmque qui ibidem preſbyter & Collucianiſta erat, audiuiſſe, qui ipſi Prophetas, ac potiſſimùm Ezechielem explicauit. De hoc Leontio (qui & poſtea Epiſc. Antiochenus ordinatus fuit) variis prætereà locis agit Philoſtorgius, *lib.2. cap.3.* hoc *libro tertio cap.17.18.27. lib.4. cap.1:* quæ per ſe quiſque videre poteſt, cum iis quæ ibi dicimus.

Illud jam obſeruandum (quod *Nonum* hîc eſſe poteſt) quod Aëtius dicitur primò Euangeliſtas legiſſe apud Athanaſium Anazarbi Epiſcopum: deinde, ab Antonio Tarſenſi preſbytero, Apoſtoli (Pauli ſcilicet) epiſtolas edoctus: tandem, Leontium preſbyterum Antiochenum Prophetas Aëtio explicaſſe, ac potiſſimùm Ezechielem.

chielem. Inde ſcilicet notandi veniunt doctrinæ Chriſtianæ hoc æuo gradus: Primùm ſcilicet Euangeliſtæ propoſiti, explicatíque diſcere cupientibus: Secundo loco, Pauli epiſtolæ: Poſtremo omnium loco, Prophetæ, in quibus Ezechiel pro obſcuriſſimo habitus.

Decimò ait Philoſtorgius, Aëtium iterùm Antiochiâ inuidiâ pulſum. Ita quidem Philoſtorgius ληρεῖ: atenim Photius mendacij dicam ei impingens ſubjicit, *imo vt vtrum dicatur propter* τῆς γλώσσης ἀκρασίαν, καὶ τὸ τοῦ φρονήματος δυσσεβές. Quod Nicephorus etiam vnum hîc habet, Philoſtorgij judicio ſeu ſententiâ omiſsâ.

Vndecimò ait, Aëtium inde Ciliciam profectum, & *Borborianorum* ſermonibus implicitum fuiſſe. Quod Nicephorus omiſit. De his Borborianis ſeu Borboritis agunt Epiphanius *hæreſi Gnoſticorum 26. num.* 3: Hieronymus *proœmio epiſt. ad Galatas lib.* 2. Philaſtrius Brixienſis *cap.* 74: Theodoſius Iun. conſtitutione ſuâ anno 428 Cod. Theodoſiano *l.* 65. *de hæreticis*, Cod. Iuſtin. *l.* 5. *dicto tit.* Theodoretus *de hæreticorum fabulis.* Hæreſis autem iſta fuit portio Gnoſticorum, voluptatibus ſeſe volutantium, de quo & Epiphanius *dicto loco*: vnde & Borborianorum nomen his inditum propter τῆς ἀγυρτώδους αἰσχρουργίας βορβορώδη καὶ κακόνοιαν φύσιν; Βορβοριανοί, inquit Epiphanius. Iidem & extremum judicium negabant, teſte Philaſtrio. Hos porrò in Ciliciâ quoque fuiſſe hic Philoſtorgij locus oſtendit: vt & in Galatiâ Ancyræ, Hieronymus *dicto loco*: Denique ſub Conſtantino vel Conſtantio jam eos extitiſſe, hic idem locus edocet.

Duodecimò narrat, περιττολογεῖ, Philoſtorgius, quòd & ipſum â Nicephoro omiſſum, ὀπτασίαν, ſeu viſionem quandam, Aëtio oblatam, quæ certiſſimam illi perpetuámque victoriam in omnibus commiſſionibus, congreſſibus, συμπλοκαῖς, ſignis quibuſdam συμβόλοις τὸ ἀνανταγώνιστον ſponderet. Nempe vt miraculis, de quo *ſup.* ita & viſionibus quoque ὀπτασίαις ſuos inſignes facit Philoſtorgius: ac nominatim Aëtium hîc: cui etiam in Synodo Conſtantinopolitanâ A.D.359 objectum, quod temeraria audaciâ elatus dixiſſet, *Deum ſibi reuelaſſe ea quæ ab Apoſtolorum temporibus hactenùs occultauerat*, vt narrat ipſa Synodica epiſtola aduerſus eum apud Theodoretum *lib.2. cap.*28. Hâc verò ὀπτασίᾳ tributam Aëtio ait Philoſtorgius diuinitus vim τοῦ ἀνανταγωνίστου, & vt ἀκαταμάχητος τοῖς λόγοις eſſet: Ita certe quoque habitus inter ſuos vide Sozomenum *lib.4.cap.22.pag.*322: qui & *lib.3.cap.*14: pariter vt Socrates *lib.2. cap.*28. de dicendi differendíque eius vi & argutia Sophiſticâ agit.

Decimotertiò memorat Philoſtorgius Aëtij congreſſum cum Aphtonio quodam Manichæorum principe, ídque Alexandriæ, vnde Manichæus victus morbo ideò correptus intra ſeptimum diem mortuus ſit. De Aëtij certe aliquando Alexandriæ morâ, & quomodo literis ibi operam dederit, agit quoque Socrates, *lib.2 cap.*28: & Sozomenus *lib.3. cap.*14: & vetus auctor apud Suidam, *in* Ἀέτιος, nihil verò illic de hoc Aphtonio Manichæo, nihil de Aëtij cum eo Alexandriæ congreſſu memorant, quæ vnus Philoſtorgius habet. Manichæi certe vt iam olim

Alexan-

driæ fuêre, vt pote cùm Hermeas vnus ex tribus Manetis diſcipulis Ægyptum ſortitus ſit, teſte Epiphanio, ita & hoc æuo ibi extitiſſe hinc diſcimus, & ex Athanaſio *ad Solit. vit ag. pag. 659. 665.*

Decimoquartò ait Philoſtorgius, quod etiam habet Nicephorus, Aëtium tunc quoque medecinæ operatum (proculdubio Alexandriæ) ſub magiſtro Sopoli, qui nulli in hac ſcientiâ ſecundus erat, gratuitámque ægris operam præſtitiſſe. Certè Sozomenus quoque, *lib. 3. c. 14*, Aëtium medicinæ operatum, & Antiochiæ quidem, ſcribit. Quod verò nonnulli huius Aëtij putant *contractæ ex veteribus medicinæ tetrabiblon*, erroneum planè eſt; is enim & Amidenus, & Opſicij Comes fuit. Quæ dignitas non huius, verùm inclinantis, æui fuit. *Sopolis* verò medicus ille, quem hîc memorat Philoſtorgius, nuſpiam alibi apparet: Alius enim hic à Sopoli Sophiſta, de quo Eunapius, *in vitis Sophiſtarum pag* 138. 165. 166.

Vltimo loco repræſentat Philoſtorgius, quomodo Aëtius cùm medicinam gratuitam faceret, vitam tolerauerit; nempe ait, noctem eum egiſſe in aurificinâ, ſeu in efformando auro, atque inde mercede relatâ vitam toleraſſe.

¶AD CAP. XVI. *De Aëtij congreſſu cum Baſilio Ancyræ & Euſtathio Sebaſtiæ.*

De Aëtij congreſſu cum Baſilio Epiſcopo Ancyræ & Euſtathio Sebaſtiæ ſuper ὁμοουσίῳ eſt hoc caput, quod omiſſum à Nicephoro: vbi ait Philoſtorgius, eos ab Aetio victos: id quod Photius aliis Philoſtorgij περιτ-

λογίαις adnumerat. ¶Quod autem eos ſuper ὁμοουσίῳ contendiſſe ait, id emendandum videatur, reponendúmque ὁμοιουσίῳ; quandoquidem Baſilius & Euſtathius Semiariani ſeu ὁμοιουσίῳ addicti erant, profitebantúrque *ſimilem Patri Filium*; ídque modò *ſimilem ſecundum* οὐσίαν, modò *per omnia ſimilem*, οὐσίας nomine omiſſo, vt ipſemet Philoſtorgius ſcribit infrà *lib*.4. *cap*. 8. 11. 12. Epiphanius quoque, *hæreſi Semi‿Arianorum* 73. *pag*.845. Baſilium ὁμοούσιον profeſſum diſertè ſcribit, vt & Athanaſius *de Synodo Arimini & Seleuciæ pag*.705. & vetus auctor apud Suidam *in verb*. Βασίλειος, & *verb*. Εὐστάθιος, Conſtantio (nam ita reſcribendum) imperante, Baſilium Ancyranum cum Sebaſtiæ Epiſc. Euſtathio, Macedonianæ ſectæ præfuiſſe ait. Hinc adeò inter alia à Semi‿Arianis e Synodo Ancyrana A.D. 358. vterque miſſus ad Conſtantium, teſte Sozom. *lib*.4. *cap*.12. vt & idem Euſtathius rurſùm è Lampſaco A. D. 364. in Occidentem ad Valentinianum Imp. & Epiſc. Romanum, eodem teſte, *lib*.6.*cap*.10. Verùm nihil temerè mutem: Nam vt Ariani ſub ὁμοουσίου appellatione ὁμοιούσιον aliquando occultauêre, ita Aëtiani vtriſque iuxta infeſti fuêre, ſcilicet & qui ὁμοούσιον & qui ὁμοιούσιον profitebantur, quando ipſi non modo ἑτερούσιον, verùm & ἀνόμοιον ſtatuerent. Vt proinde inter ὁμοούσιον & ὁμοιούσιον illi minùs diſtinguerent. ¶ Magnum porrò inter duos illos Epiſcopos, Baſilium & Euſtathium, & Aëtium Æantianóſque & Eudoxianos, odium fuiſſe docent ea quoque quæ narrantur *infrà cap* 27. & *lib*.4. *cap*.6.8.11 & 12: aduerſus quos tandem etiam Epiſcopos commotus fuit Conſtantius,

lib.5.

lib.5. cap.1. infrà : iidémque apud homoouſiaſtas pro Arianis vel Semi-Arianis habiti fuêre, quando & Baſilius ab Arianis in Marcelli locum ordinatus fuit, vt teſtatur Athanaſius, *Apol.2. pag.595.d,e.* Et de eo tamen vt propemodum Orthodoxo ſentit idem Athanaſius, *de Synodis Arimini & Seleuciæ pag.705. b,c*, quandoquidem negaret, Filium creaturam eſſe, *dict.pag.705*, vel ex aliâ ſubſtantiâ quam Patris eſſe: Imò, quod æternum cum Patre Filium profiteretur, *ibid.* ſic vt commodâ interpretatione adhibitâ ſententia eius ad orthodoxam reduci poſſet: vnde & tanquam Homoouſiaſtæ in Synodo Conſtantinopolitanâ ab Arianis Epiſcopi illi depoſiti fuêre: vide *infrà lib.5. cap.1.* Quod Euſtathium nominatim attinet, Philoſtorgius ſemper de eo agit tanquam ὁμοιουσίου ſectatore, & Aëtij inimico, hîc & *cap.23. inf.* & *lib.4. cap.8.9.12: lib.5. cap. 13: lib.8. cap.17.* Et tamen velut chamæleontem nobis exhibet Baſilius *epiſt.72.74.82.85* : Imò & velut Aëtij magiſtrum repræſentat, *dict. epiſt.72. & 79.*

¶AD CAP. XVII. *De Leontio facto Ep. Antiocheno, & Aëtio ab eo Diacono ordinato.*

De *Leontio* Epiſcopo Antiocheno facto, & de *Aëtio* Diacono ab eo ordinato, docendíque poteſtate eidem factâ, eſt hoc caput, quod exſcribit jam Nicephorus *lib. 9. cap.17. pag.717.* De priore illo, de Leontio inquam Ep. Antiocheno facto (quod euenit A.D.348) vide & Socratem, *lib.2. cap.21. in fin. & cap.28.* Theodoretum, *lib.2. cap.10. & 24* : Sozomenum, *lib.3. cap.19*: de eiuſdem morte, &

ſucceſſore eius Eudoxio A.D.358, vide *inf.lib.4.cap.4.* De poſteriore, de Aëtio, inquam Diacono facto, à Leontio idem Athanaſius, *de Synodis pag.703.d*: Socrates, *lib.2.cap.28.& 29.pag.588*: Theodoretus, *lib.2.cap.24.pag.78*: Sozomenus, *lib.4.cap.11*: Athanaſius, *de Synodo Arim.& Seleuc. pag.703.* Incertus auctor apud Suidam, in Ἀέτιος. Atenim Epiphanius, *hæreſi Anomæorum 76, num.1.* Aëtium à Georgio Alexandrino Diaconum factum ſcribit. ¶ Ait autem Philoſtorgius, & ex eo Nicephorus, Aëtium *Diaconatum* ſuſcipere noluiſſe: Quod contrarium eſt iis quæ memorat Theodoretus *lib.2.cap.24.* & ex parte quoque *cap.27. pag. 82*, nempe aiunt, Leontium, inſtante Flauiano & Diodoro, qui minati fuerant ſeſe communionem Eccleſiæ illius derelicturos, & in Occidentem profecturos, vti fraudulentos conatus eius declararent, coactum abdicare Diaconatu Aëtium: τῆς μὲν λειτουργίας ἔπαυσε τὸν Ἀέτιον, vel vt habetur *d.cap.27.* τῆς διακονίας ἐγύμνωσε. ¶ Addit ſecundo loco Philoſtorgius, & ex eo Nicephorus, Aëtium Diaconatu quamlibet recuſato, docendi tamen munus ſibi delatum admiſiſſe, διδάσκειν δὲ ἀνεδέξατο: Cui proximum eſt, quod Theodoretus poſt ſuperiùs relata adjicit, τῆς δὲ ἄλλης αὐτὸν θεραπείας ἠξίου, Leontium videl. etſi Aëtium diaconatu abdicaſſet, attamen omni alio miniſterio eum dignatum, ita enim verba illa vertēda erant, non vt Interpres, *interim tamen reuerebatur.* θεραπείας porro pars eſt, docere: quod quidem docendi munus in Eccleſiâ nemo niſi Epiſcopi voluntate vſurpare poterat: idq; impoſitum aliis quandoque quàm preſbyteris, ad quos alio-

alioquin id pertinebat: vt hîc Aëtio à Leontio Epiſc. Antiocheno, ad diaconatum promoto, prætereà docendi munus in Eccleſiâ delatum. ¶Tandem ait Philoſtorgius, Aëtium Antiochiâ Alexandriam rurſùm profectũ: eò quod Athanaſius in ea iam multus erat in ὁμοουσίῳ ῥέων; aliquémque eſſe oportebat qui contrà ſtaret, ἐχθρῶ εἶ τὸν ἀντιτείνοντα. Hæc ex ſenſu ſuo Philoſtorgius, ἐχθρῶ εἶ. At Nicephorus hunc alioquin locum exſcribens, de facto tantum ipſo ſic ſcribit, ἀντιπνεούσων δῆθεν Ἀθανασίῳ.

¶Ad Cap. XVIII. *De Flauiano & Paulino à Leontio Epiſc. Antiocheno depoſitis.*

De *Flauiano* & *Paulino* (quos poſteà Epiſcopos Antiochenos factos ait, quod de Flauiano verum eſt) à Leontio Epiſc. dejectis: non tamen Epiſcopatu, vt minus penſe Interpres Nicephori, eſt hoc caput quod exſcriptum fermè à Nicephoró, *lib.9. cap.16. pag.711.* Dejectos igitur hos à Leontio ait, quia ſecum in doctrinâ non conſentirent, verùm contrà Euſtathium ſequerentur qui in exilium miſſus fuerat, de quo Euſtathij exilio jam ſuprà quoque *lib.2. cap.7.* (Ita enim hoc accipiendum eſt, non vt Nicephori Interpres vertit, *qui Euſtathio in exilium deportato Comites fuêre*: Imò neque vt Nicephorus ipſe, qui hunc locum ita immutauit, ἔτι δὲ ἦσαν οἱ Εὐσταθίῳ τὴν μεθόριον ἀπαγομένῳ συνεσπόντο) Pariter, vt pars magna populi Antiocheni Euſtathio addicta erat, ſanamque doctrinam ſequebatur, teſte Theodoreto, *lib.2. cap.21. in fin.* & Sozomeno, *lib.3. cap.19*, cum quibus ideò hoc ipſo tempore Athana-

ſius, Alexandriam reuertens, communicauit, eodem Sozomeno teſte *ibid.* At quomodo hoc quod de dejectis à Leontio, Flauiano & Paulino dicitur, verum eſſe poſſit, cùm Theodoretus *d.c.24*, primò, non Flauianum & Paulinum ſociet, verùm Flauianum & Diodorum, velut Euſtathianos: Secundò, cùm Flauianum & Diodorum hoc tempore nullo ſacerdotio functos, verùm laicos fuiſſe idem dicat, *ἱερατικῆς μὲν λειτουργίας μηδέπω τετυχηκότες, τῷ δὲ λαῷ συντεταγμένοι* : Imò, quod tertium, cum Leontium eos munus obire voluiſſe dicat, *τὴν λειτουργίαν ἤξιε*, hymnorum in Eccleſiâ canendorum, quos illi primi inuexerant, quod etiam in ſe illi receperint. Verùm & hæc Philoſtorgij ſiue Arianorum impoſtura eſt, qui videri nolebant, Flauianum & Diodorum Catholicos & Euſtathianos à Leontio Epiſc. Ariano toleratos, multo minus in Eccleſiâ promotos. Quam mentem ſuam Philoſtorgius in ſequentibus mànifeſte prodit, cùm de Leontio ſubjicit, *Leontium nihil prorſus de ſacris Antiochiæ curis, imò de vniuersâ pietate temporibus illis adulterari, συγκαπηλεύσασθαι, ſuſtinuiſſe.* Quæ quidem verba de Leontio omninò ex Philoſtorgij ſententiâ accipienda ſunt: Quomodo de eodem Leontio pariter omninò ſupra *lib.2.cap.16, illibatam eum pietatem ſeruaſſe* ait. Atenim Nicephorus jam (qui hoc alioquin caput fermè vti dixi exſcribit) ea verba præter mentem Philoſtorgij Euſtathio aptauit.

¶Ad Cap. XIX. *De Epiſcopatu Aëtio à Secundo delato, eoq; recuſato.*

De Epiſcopatu *Aëtio* delato à Secundo (Ptolemaïdis Epiſc.)

Epiſc) & Serra (Libyæ Epiſc.) & ab Aëtio recuſato eſt hoc caput: Quod in partem exſcripſit & Nicephorus *lib.9.cap.17.pag.718.a.* Ait Philoſtorgius, Aëtium Epiſcopatum ſibi ab illis delatum recuſaſſe, hoc obtentu, quod diceret, *Eos ipſos haud rite ordinatos fuiſſe, propterea quod in eorum ſcilicet ordinatione immixti fuerant* ὁμουσίῳ *cultores.* Quod quomodo verum eſſe poſſit, cùm Secundus ab Alexandro & à Nicæna Synodo depoſitus & in exilium miſſus fuerit, *de quo ſupr.lib.1. cap.vlt.* & Athanaſio teſte *contra Arianos diſp.1.pag.120.* & *ad Solitar.pag.664.* ſæpe exauctoratus, ab Arianis ſuſceptus reſtitutus fuerit: Serra verò à Secundo quamlibet per Synodum Nicænā exauctorato ad ordines Eccleſiaſticos promotus fuerit, Athanaſius *de Synodis Arimini & Seleuc.pag.678:* de eodem alioquin Serra vide & *infrà lib.5. cap.4. lib.7.cap.6. lib.8.cap.2.* Epiphanium *hæreſi* 73. Theodoretum *lib.2.cap.28.*

¶AD CAP. XX. & XXI. *De Eunomij cum Aëtio ſociatione.*

De EVNOMII cum Aëtio ſociatione A.D.349.vel 350. eſt hoc caput, quod exſcribit Nicephorus *lib.9.cap.12.pag.* 718. vnde jam hiſtoria *Eunomiana* ad Arcadij Imp. vſque tempora per 45. fermè annos incipit, quam omnem Index noſter colligit: Et in quâ accuratum ſeſe præbet maximè Philoſtorgius, vt pote de Eunomio totus ſeu Eunomianus; cujus & ideò Eunomij encomium literis mandaſſe ſeſe ipſe profitetur *cap.21.* præter elogium ejus infrà *lib.10.c.6.* ¶Ait igitur hoc capite, Eunomium ad famam ſapientiæ Aëtij, Antiochiam è Cappadociâ profe-

ctum, Secundo (Ep. ſcilicet Ptolemaidis, de quo *ſuper. cap.*) conciliante Aëtio Alexandriæ junctum fuiſſe: ſic, vt ille quidem doceret, hic verò, Eunomius inquam, ſeſe ſimùl ſacris diſciplinis exerceret, συνασκούμενος, pro quo Nicephorus habet ἐνασκούμενος. Vetus auctor apud Suidam *in verb.* Αὐξέντιος ait, Aëtium quoque Eunomio docendi partes delegaſſe; vbi addit quoque, quantum Eunomius præ Aëtio in docendo excelluerit. Porrò Eunomius Aëtij non modò diſcipulus fuit, verùm etiam amanuenſis ταχυγράφος, vt habet Socrates, *lib. 2. cap. 28. in fin.* & ex eo Suidas *in verb.* Αέτιος, vel ὑπογραφεύς, vt idem Socrates *lib. 4. cap. 7.*

¶ Ad Cap. XXII. *De Conſtantis Imp. cæde per Magnentium, deq; Veteranione altero Tyranno.*

De *Conſtantis* Imp. cœde per Magnentium Tyrannum, & de *Veteranione* altero Tyranno eſt hoc caput. De priore, Magnentio inquam, primò ait, Conſtantem a Magnentio cœſum ob ſtudium erga Athanaſium. En virus Arianum Philoſtorgij in Athanaſium, & per hoc in Conſtantem Imp. (cuius ſcilicet ope-auxilio Athanaſius Eccleſiæ ſuæ reſtitutus fuerat, de quo *cap. 12. ſup.*) Quomodo & Vrſacius & Valens qui pœnitentiam profeſſi Romæ fuerant, Arianámque hæreſin anathemate perculerant, ad vomitum mox reuerſi, cauſati ſunt, hæc metu Conſtantis ab ipſis extorta: teſte Athanaſio, *ad Solit. vit. ag. p. 640. 641.* & Oſio, *epiſt. ad Conſtantium pag.* 649. Atenim cauſas longe alias cœdis Conſtantis produnt alij, & in his Victor Schotti *cap.* 41. Eutropius *lib.* 10. Zoſimus *lib. 2.*

lib.2.p.692. Et caſum eius defleuêre Orthodoxi ſummoperè, & in his Athanaſius ipſe *Apol. ad Conſtantium*, & Patres in *epiſt. ad Conſtantium,lib.de Synodis Arimini & Seleuciæ.* Illud equidem verum, Conſtante cæſo Conſtantium priſtinum in Athanaſium odium repetiiſſe: de quo Athanaſ. *ad Solit.vit.ag.pag.641.* Secundò ait, Conſtantium eo tempore Edeſæ Meſopotamiæ, vt pote bello Perſico illigatum, conſtitiſſe; quod etiam ex parte Nicephorus hinc exſcripſit, *lib.9.cap.28.pag.744.* de hoc verò vide & Iulianum *Orat.1.* Edeſſæ igitur Meſopotamiæ vrbe conſtitutus Conſtantius hoc anno 350: pariter vt decennio quoque poſt, A.D.360, ob idem bellum Perſicum ibidem conſtitit, teſte Ammiano Marcellino, *lib.20. pag.172.* & A.D.361. *lib. 21.pag.187.* Et hæc quidem de Conſtantis cœde.

Secundum huius tmematis caput eſt, de *Veteranione* Tyranno (cuius nomen hîc rectè expreſſum, pariter vt apud Marcellinum, cùm aliis *Vetranio* dicatur) Vbi quatuor de eo Philoſtorgius prædicat. Primò, à quo, quâve de cauſa Veteranio Cæſar factus fuerit. Nempe ait Philoſtorgius, Cæſarem factum à Conſtantina (ſic enim ea hîc vocatur, quæ promiſcuè aliàs & *Conſtantia*, vt *infrà cap.28*: & *lib.4. cap.1*) natu maxima Conſtantij ſorore, vt ait Philoſtorgius: rectè, Helena enim natu iunior erat, quæ Iuliano poſtea deſponſa fuit. Addit Philoſtorgius, eam Annibaliani viduam fuiſſe, quod præter Philoſtorgium teſtatur quoque Marcellinus, *initio libri 14.* & excerpta veteris authoris, quæ à Sirmondo accepta Vale-

ſius edidit. Hanc verò Magnentium quoque vxorem ſibi petiiſſe teſtis eſt Petrus Patricius, *in excerptis Legationum* : mortuus quippe jam fuerat Annibalianus, cùm Magnentius tyrannidem adſumpſit, vt hic locus oſtendit. Hæc denique poſtea Gallo Cæſari deſponſa fuit. Ergo à Conſtantina iſta Veteranionem Cæſarem factum ait Philoſtorgius, & ex eo Nicephorus *lib.9.cap.28. pag.744. in fin.* quod & ipſum ait Chronici Alexandrini auctor *pag.676.* Et alij tamen id exercitui modò tribuunt, vt Iulianus, *Orat.1*: Zoſimus, *lib.2 pag.693.* Scriptores item Eccleſiaſtici, Socrates *lib.2. cap.20. in fin.* Sozomenus, *lib.4. cap.1. &* 3. nullâ Conſtantinæ in eo mentione factâ. Et cauſam facti huius addit Philoſtorgius, nempe quod Conſtantina vereretur, ne Magnentius Tyrannus totum Imperium ſibi vindicaret : Nicephorus quoque *dict. lib.9. cap.28.* ait, Conſtantiam veritam impotentem Magnentij animum τῦ δὲ τὴν ἄκρατον ῥώμην δείσασα Κωνςαντία : Nempe enim Magnentius Galliis, Italiâ, Africâ jam potiebatur: teſte Socrate *dicto loco*: proinde Veteranio hic velut obex Magnentio plus vltra & ad aliam Imperij partem progreſſuro, oppoſitus. Quin & *Ius facti* iſtius addit quoque Philoſtorgius: ſcilicet ait, Conſtantinam id ſibi viſam facere poſſe, quòd Conſtantinus M. pater eius eam diademate ornaſſet, *Auguſtamq;* nuncupaſſet, quod & ipſum repetitur *inf. cap. vlt.* Quod tamen nuſpiam alibi occurrit, & verum tamen eſſe videtur; nempe Conſtantiam Auguſtam factam tùm veriſimile eſt, cùm Conſtantinus M. Anniballianum cui eam deſpon

deſpondit fratris filium Regem Armeniorum & Ponticarum gentium fecit; de quo alioquin Annibaliano Rege Ammianus quoque Marcellinus, *initio lib.*14. Victor alter, Auctor Chronici Alexandrini, *Conſtantio & Albino* COSS. [1. A. D. 335] & excerpta Sirmondi. Imò & Itinerarium Hieroſolymitanum. *Manſio* (inquit) *Libiſſa: Ibi poſitus eſt Rex Annibalianus, qui fuit Afrorum:* quod poſtremum ſiue erroneum ſiue vitioſum eſt: forte reponendum *Armeniorum*: Victor enim diſertè, *Annibalianus habebat ARMENIAM nationeſq; circum ſocias*: Quem alij *Ponticarum gentium* (in quibus certè Armenia) *Regem* conſtitutum, & ideò Cæſaream Cappadociæ miſſum ſcribunt, Excerpta Sirmondi & Chron. Alex. Denique fuit hic Rex conſtitutus Ponti Cappadociæ & ARMENIÆ minoris.

Secundo loco Philoſtorgius, & ex eo Nicephorus *lib.* 9. *cap.* 28 de Veteranione ait, *Confirmatum* approbatúmque ei à Conſtantio Imp. Imperium, miſſo ad eum diademate, tributáque Imperatoriâ dignitate. Id verò quoque ſingulare eſt: Illud enim hactenùs cæteri ſcriptores narrant, Conſtantium Imp. Veteranionem ad legationem ipſius, vel mutuas etiam legationes, fidum ſeſe fore pollicitum, firmaſſe, copiáſque & pecunias illi, quibus Magnentio Tyranno obſiſteret, tradidiſſe. Iulianus *Orat.* 1. *pag.* 54. 55. Hinc interim apparet, diademate miſſo, Imperatoriam dignitatem tributam, cuius σύμβολον fuit diadema; quemadmodum contrà mox Veteranioni ademptum diadema abrogato Imperio, vt Socrates, *lib.* 2.

correptum, in Tyrannidem Sirmij erupiſſe. *ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τὴν ἐπιθυμίαν ἀρχῆς τύραννος ἐν Σιρμίῳ καθίσατο.* Id quod verum eſt de eo tempore, quo primùm Tyrannidem arripuit: vt Socrates quoq; ſcribit *lib.2.cap.20.* & Sozomenus, *lib.4. cap.1.* Quod Nicephorus minus pensè ad hoc tempus retulit.

Poſtremo loco ſubjicit Philoſtorgius, *quomodo Veterano Imperio deiectus à Conſtantio habitus fuerit*: nempe narrat, nihil mali Conſtantium ei intuliſſe, imò & ad menſæ communionem eum admiſiſſe, & annonas ei ampliſſimas deſtinaſſe. In quo conuenit ei cum cœteris ſcriptoribus, & quidem cum Zoſimo, *lib.2. pag.694 695*: vbi pariter: *Κωνστάντιος δὲ οὐδὲν ἄχαρι παθεῖν αὐτὸν συγχωρήσας ἐδίδου βίον αὐτῷ διατρίβοντι κατὰ τὴν Βιθυνίας ἀρκοῦντα.* & cum Socrate, *lib.2. cap.23. in fin.* *ὁ δὲ βασιλεὺς αὐτῷ παντοίαν δαπάνην ἐκ δημοσίων φόρων ἐκέλευσε δίδοσθαι: πολλάκις δὲ αὐτῷ ὕστερον ἐν Προύσῃ τῆς Βιθυνίας διάγοντι γράφων*, &c. (quem ſecutus & Nicephorus *lib.9. initio cap.32*) Sozomenus quoque *lib.4. cap.3.* *καὶ τὰ ἐπιτήδεια ἀφθόνως ἔχειν ἀπὸ τοῦ δημοσίου προσέταξεν.* Zonaras quoque *pag. 24.* eadem narrat, de Veteranione menſæ adhibito, Pruſam Bithyniæ ablegato, & annonis ei præbitis: addito, aſſignatos in id ei agros, *καὶ χωρία πρὸς χορηγίαν τῶν ἐπιτηδείων ἀπονενέμηντο.* Quod *menſæ communionem* attinet, idem & Chronici Alexandrini auctor ſcribit, ex hoc opinor Philoſtorgio noſtro, vt nonnulla alia. Cæterum eadem & antea humanitas Licinio exhibita à Conſtantino M. vt habent excerpta Sirmondi. De honore alioquin menſæ Imperatoriæ alibi. Et hæc de ipſo Veteranione Con-

ſtantij porrò humanitas vlterius quoque proceſſit; Scribit Iulianus *Orat.1.pag.58.* omnibus qui cum Veteranione erant, integram dignitatem ſeruatam, nec vlla re cuiquam detracta pleroſque etiam muneribus affeciſſe.

¶ Ad Cap. XXIII. *De Niſibi à Perſis fruſtra obſeſſa: deq. Iacobo Niſibeno Epiſcopo.*

De *Niſibi* à Perſis obſeſſa, eâque obſidione liberata Iacobi Epiſcopi Niſibeni orationibus, eſt hoc caput, de quo paſſim ſcriptores alij. Quod quidem ex ipſa capitum ſerie apparet, factum indicari circa tempus cœdis Conſtantis Imp. & tyrannidis Magnentianæ: quod omnino congruit A. D. 350. Hic proinde locus deinceps accedere poterit ad veram Patauij, *in Iulianum pag.* 252. & Valeſij, *in Marcellinum lib.*20. *pag.*181.182 ſententiam, qui tres diuerſas Niſibis obſidiones rectè diſtinguentes, hanc ſecundam, & Iacobi Epiſc. Niſibeni factum, ad A. D. 350. referendam oſtenderunt.

¶ Ad Cap. XXIV. *De Alpibus Succiis & Iuliis.*

De *Alpibus Succiis & Iuliis* eſt hoc caput, quod ferme exſcribit Nicephorus, *lib.9.cap.32.pag.*757. De vtriſque ait Philoſtorgius, eſſe eos tranſitus anguſtos maximorum montium, vtrimque in vnam regionem, ſic vt fermè conjungantur, concluſorũ, & anguſtis Thermopylarum ſimiles eſſe. Pariter omninò Marcellinus, *lib.*21. *pag.*204, qui & montes ipſos nominat: *Confinia*, inquit, *celſorum montium ſummitates, Hæmi & Rhodopes, quorum alter ex ipſis Iſtri marginibus, alter ex Axij fluminis citeriori parte conſurgit in an-*

in anguſtias tum demum collibus deſinentes, Succiarum nominatim, de quibus Marcellinus non vno loco agit, ſi cum exertè Daciam Thraciámque inter, rectè deſcribit Philoſtorgius, quomodo & Socrates in geſtis A. D 347, id eſt quadriennio ante, *lib. 2. cap. 18*, καὶ ἦν ὅρος τῆς κοινωνίας αὐτοῖς τὸ ὄρος λεγόμενον τὸ Σοῦκις (ita diſpeſcenda vox illa, quæ malè ibi edita compulſis literis Τισοῦκις, more Græcorum apud quos τὸ τ ἐξ ... παρέλκει, & Baronius malè reponebat *Tituris*) ὅπερ ἐστὶν Ἰλλυριῶν καὶ Θρᾳκῶν: pariter vt Marcellinus poſt ſuperiora ſtatim ſubjicit *lib. 24. pag. 204. 211. Succorum anguſtias interſcindere & Thracas, hinc vicinas mediterraneis Dacis & Serdicæ, inde Thracias deſpectantes & Philippopolim.* Et *lib. 27. pag. 363. Succorum anguſtiæ Thracias dirimentes & Daciam.* Ergo Succiæ Alpes hæ & anguſtiæ tribus his terminis, Illyrici Daciæ & Thraciæ concludebantur. Hícq; etiam Imperij Orientalis & Occidentalis hoc tempore terminus erat: Orientalis inquam, quod Conſtantio in Imperij diuiſione cum fratribus ceſſerat: Occidentalis, ſeu Arctoarum prouinciarum, quæ vni Conſtanti cœſo fratre Conſtantino parebant: Quà parte proximæ vrbes erant, Sardica & Philippopolis. Hinc adeò Sardicenſe concilium ex compacto inter duos fratres habitum, cujus concilij qnoque pars Philippopolim ſeſe contulit. Socrates *lib. 2. cap. 22.* Succiæq́ue adeò anguſtiæ hæ Imperij Orientalis clauſtra fuêre, vt non vno loco Marcellinus prodit. Hinc & Veteranio iam, vt Philoſtorgius memorat, pro ſuſpecto, imò pro rebellione & antarta, apud Conſtantium Imp. habitus, quod eas occupare

tentaſſet, & ſic Imperium Orientale perfringere, vt hîc exertè Philoſtorgius, qui certè hoc loco non alio fine de Succiis his Alpibus egit, quàm occaſione Veteranionis (de quo etiam ſuprà capite ab hinc altero 22) qui eas ſcil. occupare niſus dicebatur. ¶De *Iuliis* verò Alpibus egit hîc Philoſtorgius, non tam propter contiguitatem, quomodo Marcellinus *lib.* 21, *pag.* 205 de vtriſque Alpibus pariter junctim agit; quàm ſignate propter Magnentium, qui è Galliâ in Italiam mox & Pannonias per Alpes Iulias aduerſus Conſtantium in ſe mouentem perrexit, mox per eaſdem Iulias Alpes in Galliam retrò ceſſit, vide Zoſimum *lib.2.pag.*700: & Nicephorum *dict.lib.9. cap.*32, *pag.*757. qui certè junctim de vtroque ibi agit, & de Alpibus iſtis, hunc locum exſcribens, & de Magnentij per eas retroceſſione in Gallias. Denique fuit hic ſolemnis per Iulias Alpes ex Italiâ in Pannonias & Illyricum tranſitus: & inde retrò in Italiam & Gallias regreſſus: Vt omittam alia & vetuſtiora, vide & Sozomenum *lib.*7. *cap.*22: & ex eo Nicephorum *lib.*12, *cap.*39, vbi de Eugenio agunt, eáſque Alpes τῇ Ἰταλίᾳ πύλας vocant: vt Iulia clauſtra dixit Pacatus, *in panegyrico.* Quare erroneum eſt, quod hîc legitur, ἀλλ' αἱ μὲν Ἰουλίαι Ἄλπεις τὰς Γαλλίας καὶ Ἰταλίαν διορίζουσι τῶν Ἰταλῶν. Neque melius, imò peius Nicephorus habet *dict. pag.*757, αἱ μὲν οὖν Ἰουλίαι Ἄλπεις τὰς Γαλλίας τῶν Ἰταλιῶν διορίζουσι. Imò dic, Iulias Alpes diſterminare Pannonias & Illyricum ab Italiâ & Galliâ. Quare hîc reponendum mihi videtur, τὰς Γαλλίας καὶ Ἰταλίαν διορίζουσι τῶν Ἰλλυριῶν. Ait Iulias Alpes Gallias & Italiam ab Illyrico ſeparare:

ſeparare: Gallias inquam, quod verum, mediatè, & eo ſenſu quem modò dixi.

¶Ad Cap. XXV. *De Gallo Cæſare facto.*

De *Gallo* à Conſtantio Cæſare facto quæ hîc ſcribit, ea omnia alij quoque memorant: de tempore videlicet, quo is in Magnentium Tyrannum mouit: de cauſa eius Cæſaris faciendi, ſcilicet quod ſe mox abfuturo, Perſæ validiorem procinctum mouerent; & ſic, vt Gallum C. aduerſus Perſas mitteret: de cognatione tandem Galli C. cum Conſtantio: vide nunc ſaltem Zoſimum, *lib. 2. pag. 695.*

¶Ad Cap. XXVI. *De Crucis ſigno viſo tempore expeditionis aduerſus Magnentium.*

De *Crucis* ſigno quod Iris coronæ inſtar ambiebat viſo tempore expeditionis Conſtantij aduerſus Magnentium eſt hoc caput, quod ex parte exſcribit Nicephorus, *lib. 9. cap. 32, pag. 756, 757.* De quo etiam agunt, Hieronymus *Chronico* (quanquam id à ſcriptis omnibus abeſt) Socrates *lib. 2. cap. 24*: Sozomenus, *lib. 4. cap. 4*: Chronicon Idacio ſubditum, Chronicon Alexand. *ann. 351*, Cedrenus *pag. 248*, & obiter *pag. 252. l. 57.* Et egit Cyrillus olim eo ipſo tempore Ep. Hieroſolymitanus, expreſsâ in id *epiſtolà ad Conſtantium.* ¶Quod verò rationem *Temporis* attinet, referunt id omnes pariter circa tempus expeditionis & victoriæ Magnentiacæ. Socrates vt & Sozomenus aiunt eo tempore quo Gallus jam Cæſar factus erat, & Antiochiam peruenit, quod congruit anno 351: à quo etiam non abeſt Philoſtorgius: hanc quippe crucis viſionem

memorat ſtatim poſt Galli C. ordinationem, pariter vt Socrates & Sozomenus: Et diſerte ad eundem ann 353 id refert Chronicon Idacio ſubditum, & quidem die, tertio Kal. Februar. Luna 28. vt & Chronicon Alex Petauius tamen ad annum ſequentem 352 id refert. ¶Circa *diem* quoque diſſenſus aliquis: Philoſtorgius ait feſto Pentecoſtes: certe & Cyrillus, qui tùm Epiſtolam ſuper hâc viſione expreſſam ad Conſtantium ſcripſit, refert, conſpectum id fuiſſe per dies Pentecoſtes, Nonis Maij, vt & menologium Græcorum 7. Maias. Atenim auctor Chronici Idaciani ait 3. *Kalend. Februarij.* ¶Quod *locum* attinet, viſum id in Oriente Hieroſolymis conueniunt alij: Sedenim viſum id quoque (in Pannoniâ ſcilicet) ab exercitu ſcribit hîc Philoſtorgius, & ex eo Nicephorus, vt & Chronici Alexandrini auctor: Quomodo & Cedrenus *pag.* 248 Conſtantio viſum ait: Cùm tamen Sozomenus *l. b.* 4. *cap.* 4, id innotuiſſe tantum dicat Conſtantio, cùm per alios nuncios tùm per literas Cyrilli. Certe quod auctor Chronici Alexandrini ait, in Pannoniâ viſum id quo tempore ad Murſam pugnabatur, verum eſſe non poteſt, quando Murſenſe prælium contigit ſub finem autumni, teſte Iuliano *Orat.* 1: vel certe IV. Kal. Octobris, A. D. 352. ¶ Huius verò viſionis interpretationem Philoſtorgius addit, ejúſque Interpretem agit: vt cæteroquin Mathematicæ & Aſtrologiæ operatum ſeſe non vno loco prodit (contra quam Catholici, qui Mathematicam damnauere, vt teſtatur vel id quod Socrates ſcribit *lib.* 2. *cap.* 6. *lit. d*) quod nemo alius veterum.

Etſi

Etſi alioquin Sozomenus ſcribat, *lib.4.cap.4.* dictum fuiſſe à viris harum rerum peritis, ἐλέγετο πρὸς τῶν τὰ τοιάδε ἐπισταμένων, hanc viſionem diuinâ quadam prophetiâ in ſacrâ Scripturâ quoque præſignificatam fuiſſe, ídque ipſum, multos tum Gentiles tum Iudæos ad Chriſtianiſmum perduxiſſe. Interpretatio vero hæc Philoſtorgij eſt, Iridem ſignificaſſe τὴν τοῦ σταυρωθέντος καὶ ἀναληφθέντος εὐμένειαν, coronam verò τὴν τοῦ βασιλέως νίκην. Vbi priora illa obſcura ſunt: quæ tamen ego ſic accipiam de Veteranione, qui proſtratus ſuſceptúſque à Conſtantio humaniſſimè habitus fuit: de quo *cap.22.* Nempe Iris diuinæ vt alias benignitatis ſignum, ita & hîc interpretatus Philoſtorgius, velut ſymbolum humanitatis clementiæ, benignitatis in deuictum. ¶Cætera, quæ memorat Philoſtorgius, de Magnentio qui Lugdunum fugit, déque fratre, altero ſcilicet à Decentio (quod exertè dicunt Eutropius & Sozomenus, *lib.4. cap.6*) ab ipſomet humanitatis ſpecie interfecto, quomodo item ipſemet gladio incubuerit, alij pariter memorant. ¶Illud tandem quod ſubjicit, Magnentium haud integros quatuor annos Tyrannidem tenuiſſe, verum eſt: Nam Magnentius Tyrannidem aſſumpſit A.D.350. XV. Kal. Febr.: deuixit autem A.D 353, menſe Auguſto. Quare & Eutropius *lib.* 10, & Zoſimus *lib.2.pag.*701 aiunt, eum triennium & ſex menſes imperaſſe.

¶AD CAP. XXVII. *De Aëtio apud Gallum C. accuſato, eoq; in amicos & magiſtro ab eodem recepto.*

De *Aëtio* apud Gallum C. accuſato, mox ab eodem

in amicos, & magiſtro recepto: quod exſcribit fermè Nicephorus *lib.9.cap.17.pag.718.* Ait Philoſtorgius, eos qui à Baſilio (Ancyræ videlicet Epiſc.) & Euſtathio (Sebaſtiæ ſcil. qui fermè cum Baſilio ambulare ſolet & aduerſus Aëtium conjungitur, vt hîc, ita & *ſupr.cap.16. lib.4.cap.8.9. lib.5. c.1.3.*) erant calumnias & quidem abſurdas aduerſus Aëtium intentaſſe, & Gallum C. in eum concitaſſe: ſic quidem vt Gallus C. Aëtium conquiri, & utroque crure mutilari juſſerit: verum Leontio Epiſcopo Antiocheno contraria Cæſarem docente, & damnatoriam ſententiam reuocatam, & Aëtium in amicos Galli C. receptum, ſic vt eo magiſtro in ſacris diſciplinis vſus ſit Gallus, eúmque ad Iulianum (qui poſtea Imp.) fratrem ſuum miſerit ad reuocandum eum ab impietate. Hæc Philoſtorgius: vbi primò non liquet, quænam illæ διαβολαὶ ἄτοποι ſint, quæ intentatæ aduerſus Aëtium apud Gallum C. Nicephorus tantum in genere, & de ſuo peculio, hoc alioquin caput fermè exſcribens, ait, ὡς μὴ καλῶς δοξάζοντα. Notandum ſecundò inter alia quod Philoſtorgius indicat, Iulianum nondum Cæſarem, Gallo C. fratre adhuc ſuperſtite, A.D. 353, ad gentilitiam religionem abreptum. Id verò aliis quoque proditum, nempe Iulianum priuatum adhuc à Chriſtianâ pietate deſciuiſſe, inductum à Maximo, Priſco, aliiſque Ædeſij diſcipulis: quod teſtantur Marcellinus, *lib.21 pag.180*, Libanius προσφωνητικῷ *pag.* 175, 176, & *Orat 10 in Iuliani necem. pag* 265, 266. Eunapius *in Maximo pag.* Socrates, *lib.3.cap.1.* Theodoretus, *lib.3 cap.3.* Sozomenus, *lib.5. cap.2.* vnde & Gregorius Nazianzenus

1. στηλι-

ι σπλιτόνικῇ Aſiam Iuliano impietatis & magicarum artium ſcholam fuiſſe ait. Et tamen non apertè verùm occulte deſciuiſſe eum vt alij, ita & idem Marcellinus ſcribit. Tertio loco hîc obſeruandum, Aëtium à Gallo C. in amicos receptum, quod Sozomenus quoque ſcribit *lib.3.cap.14. lib.5.cap.5 in fin.* vnde ſuſpectus poſteà apud Conſtantium factus, quod diſcere eſt & ex *lib.4.cap.8.* & Sozomeno *dict. loco.* Imò & Aëtio magiſtro vſum Gallum hîc ait Philoſtorgius, mox & eo vſum ad Iulianum ab impietate Gentilitia reuocandum: Quorum nullum alibi veſtigium extat: de Iuliani certè poſteà Imp. in Aëtium affectu agetur infrà *lib.6.cap.7.* & *lib.8.cap.4.*

¶Ad Cap. XXVIII. *De Gallo C. in inuidiam tracto apud Conſtantium: deq; iis quæ ab eo hac occaſione in Montium & Domitianum PP. patrata.*

De *Gallo* C. in inuidiam apud Conſtantium Imp. vocato, quæque hâc occaſione Conſtantius aduerſus eum fecerit: & quid ipſe viciſſim, vnà cum Conſtantia vxore, in Montium, & in Domitianum PP. auſus ſit, eſt hoc caput. Quam quidem hiſtoriam narrat fusè & exactè Marcellinus, *lib.14.* quo & Philoſtorgium vſum puto. In hac verò narratione (vt & alibi *lib.prox. 4 cap.1.* & *lib.5. cap.4*) Philoſtorgius apertè Gallo Cæſari fauere ſeſe oſtendit, vt immeritò cæſum adſtruat: de quo *lib. prox. cap.1.* contra quam Marcellinus, & alij multi etiam cæteri hiſtoriæ Eccl. ſcriptores. Ait igitur, Gallo aduerſus Perſas optime fortitérque pugnante, calumniis gauden-

tes Imperatorem Conſtantium aduerſus eum concitaſſe: quod Gentiles ſcriptores quoque produnt, Libanius, *Orat.* 10. *in Iuliani necem pag.* 266: & Zoſimus, *lib.* 2 *pag.* 701. Quin & Iulianus ipſe, Galli C. frater, *epiſt. ad Senatum populumq. Athenienſem pag.* 501, Conſtantium inuidiâ motum aduerſus Gallum C. ſcribit. Item ait Philoſtorgius, Galli virtute ſopitum bellum Perſicum. Tertiò ſcribit, Domitianum PP. ideò à Conſtantio miſſum, vti clàm Gallo Antiochiæ exitum præcluderet, quò ita gloriam eius ob fortitudinem reíque publicæ curam imminueret. Imò præcipuam mali omnis cauſam, hinc in illiberale & contumax Domitiani factum, de quo & Zonaras, & immoderatam Montij audaciam, inde in Conſtantiam vxorem deriuat. At Gregorius Nazianzenus 1. στηλιτευτικῷ vtrumque, & Conſtantium & Gallum, hâc in re juxta carpit. Contrà, præter Marcellinum, qui diſertè Gallum actus oppreſſiſſe crudeles ait, Eutropius, *lib.* 10, Socrates, *lib.* 2. *cap.* 27, Sozomenus, *lib.* 4. *cap.* 6. Cyrus monachus, & Cedrenus in Gallum culpam fermè omnem deriuant: nempe enim eum ſecundæ fortunæ flatum ferre non potuiſſe, Tyrannidémque occupare voluiſſe aiunt. Victor quoque & Marcellinus ob ſæuitiam animíque aſperitatem nimiam Auguſti juſſu interiiſſe ſcribunt: & hic quidem eum truculentum & leuem vocat. Certe Iulianus ipſe, frater eius, *d. epiſt. ad Senat. p p[illegible] Athen. pag.* 499. 500. Gallum περὶ τὸν τρόπον ἄγριον καὶ τρα[illegible] agnoſcit, & ἀκεχτί-στερον: at non ideò interfici eum oportuiſſe: quomodo & Gregorius Nazianzenus, eum τὴν φύσιν θερμότερον fuiſſe ſcri-

ſcribit. Quod autem apud Hieronymum Chronico le-legitur, *eum in ſuſpicionem veniſſe ob Regiam indolem*, id Scaliger vellicabat, velut malè expreſſum ex Græco auctore. Quod factum non oportuit: *Regiam enim indolem* dixit Hieronymus φύσιν & ingenium quod ad Regnum ſeu Imperium & Tyrannidem affectaret, βασιλειῶντα καὶ θυραννεῖν ὁρμῶντα, inquit Cyrus monachus: Quo neceſſitatis certe adductum eum, vt principem locum, ſi qua patuiſſet copia, affectaret, Marcellinus quoq; ſcribit: *Regia indoles* eſt, non quæ Rege digna, ſed quæ ad Regiam dignitatem contenderet, vt *Regia genitura*, quæ Regnum pollicetur. Ergo Philoſtorgius hinc Gallum C. fortitudine, reíque publicæ curâ, & exinde gloria commendat; inde inuidiam Conſtantio tribuit. Et alioquin Gallum, non tantum ob res feliciter aduerſus Iudæos geſtas ſcriptores commendant, verùm etiam ob pietatem, quam ad finem vſque tenuit, Theodoretus *lib.*3. *cap.*3. vt & ob martyrum cultum, Sozomenus, *lib.*5. *cap.*18: vt proinde non debuerit vir doctus pronunciare, *nihil laudabile fuiſſe in hoc Principe Gallo.* ¶Quod hiſtoriam, quæ hoc capite continetur, attinet, committenda ea eſt καθ' ἕκαστα cum iis quæ Marcellinus *dict. loco* narrat, quod cuiuis procliue. Pauca tantum nunc illuſtrare juuat. *Montij* primo dictum obſeruandum, quod neque apud Marcellinum neque alium occurrit, ad Gallum C. *Ne* λογιστὴν *quidem occidere tibi licet, & quomodo Præfectum Prætorio tollere valeres?* Nempe hiſce indicatur, quod aliunde notiſſimum, ſummum Præfecti Prætorio culmen, & faſtigium

& quidem præ λογιστῇ fuiſſe : λογιστὴς autem hic eſt, vilis Numerarius, qui inter officiales Pⁱ. P°. erat; Cæterùm obſeruandum, Montium hunc Quæſtorem fuiſſe, quod Marcellinus, Eutropius, Chronicon Alex. exprimunt: *Magnum* hunc vocant Socrates, *lib.2. cap.27*: Sozomenus, *lib.4. cap.6.*

Secundò notandum, quod de Conſtantia ſeu Conſtantiná Galli vxore (de quâ ſupra jam *cap.12*) dicitur: In eam certe quoque culpam deriuat Marcellinus, *lib.14*, quam Galli acerbitati graue acceſſiſſe incentiuum ait, imò tanquam Megæram quandam inflammatricem ſæuientis adſiduam & humani cruoris auidam traducit, eámque abrupte mariti fortunas truſiſſe ait in exitium præceps. Verùm, quod Philoſtorgius ait, Conſtantiam ſuo Marte ea quæ in Domitianum & Montium patrata ſunt feciſſe, id Marcellinus aliter: nempe enim Gallum ea juſſiſſe diſertè ait, vbi & Galli orationem refert apud milites ſuper Montio. In illo quoque Philoſtorgium diuerſum deprehendo à Marcellino, quòd Marcellinus ante Montium ſublatum protectoribus mandatam, Domitiani cuſtodiam à Gallo C. ſcribit: Philoſtorgius verò tantum, Gallum vlciſci ſe de Domitiano volentem in conſilium adſciuiſſe Montium: cuius contumacia offenſo eo, in Montium primò iratum fuerit, deinde in Domitianum. In cœde alioquin Domitiani conſentiunt illi: nempe Montij cœdem præceſſiſſe, mox ſtatim, τὴν ταχίστην, eodem impetu ait Marcellinus, & Domitiani; de cuius alioquin Domitiani cœde præter

Marcel-

Marcellinum & Philoſtorgium, Socratem & Sozomenum, Libanius quoque, *de vita ſuâ pag 36.37.* Cœdis genus ita deſcribit Philoſtorgius : κἀκεῖνον κατασπάσαντας τοῦ θρόνου ἄμφω σχοινοῖς τῶν ποδῶν ἐξαψαμένους κακοὺς κακῶς ἀπολέσαι, id eſt, *& ipſum throno deturbatum, fune conſtrictis ambobus pedibus, malè illi malè occiderunt.* Vnde Marcellino quoque lux, qui ait, *Domitianum præcipitem per ſcalas, funibus conſtrictum.* Vbi quæritur ad hanc diem, quid per *ſcalas* ibi intelligendum ſit: Philoſtorgius rem nunc aperiet: nempe, *throno deturbatum Domitianum Præfectum Prætorio* ait. *Scalæ* ſcilicet ſunt hîc quibus thronus ſeu tribunal altum Præfecti prætorio conſcendebatur. Thronus ſeu ſedes & Tribunal inter inſignia Præfecti Prætorio fuit, quod excelſum erat. Caſſiodorus in formulâ Præfecti Prætorio; *Tribunal tuum ideò tam excelſum factum eſſe noueris, vt locatus ibi nihil humile abiectumq́ue cogitares.* Vnde & ſuggeſtus hic eidem *lib.9. f.24. in fin. Quapropter in Præfecturæ Prætorianæ te ſuggeſtu atque inſignibus collocamus.* Gradibúſque adeò conſcendebatur, vt alia tribunalia. Prudentius,

> *Fronte ſub aduerſa gradibus ſublime tribunal*
> *Tollitur.*

Ergo *ſcalas* Græculus ſcriptor Marcellinus dixit κλιμακίδας βαθμίδας, gradus throni ſeu ſedis, & tribunalis excelſi Præfecti Prætorio, vnde deturbatus Domitianus: Quomodo & Imperatorij tribunalis βαθμίδες fuêre: vide *infr. lib.12. cap.5.* vbi de Attali Tyranni pœna.

IN LIBRVM QVARTVM.

¶ Ad Cap. I. *De Galli C. cæde.*

DE *Galli Cæſaris cæde* eſt hoc caput, è quo pleraque exſcribit Nicephorus *lib. 9. cap. 32. pag.* 758: vt & acta Artemij ex Simeone metaphraſte apud Surium 20. *Octobr pag.* 311. *nu.* 7. vel ex hoc Philoſtorgij loco, vel certe ſimili ſcriptore. Alioquin Marcellinus plenè de hoc agit *lib.* 14: Breuiter tantum hanc cœdem memorant Socrates & Sozomenus. In hac porrò narratione notabimus ſequentia. Primò, quod de *Conſtantia* Galli C. vxore dicitur, de prætuio inquam eius itinere ad emolliendam Conſtantij fratris iram, eiuſdémque in Bithynia interitu. Quibus paria omninò habet Marcellinus *d. lib.* 14. *pag.* 27. vt & prædicta acta Artemij, & Nicephorus ex Philoſtorgio, & Zonaras.

Secundò, notanda ea quæ de *Theophilo Indo* ejúſque interuentu hic apud Philoſtorgium, quíque ex eo habet Nicephorum, in hoc negotio narrantur, quorum alibi neque vola neque veſtigium extat. Quatuor verò de eo hic prædicantur. Primò, cum quo tempore Gallus Cæſar factus fuit, medium, pararium & proxenetam inter Conſtantium & Gallum fuiſſe, & concordiam inter eos conciliaſſe, αὐτὸς ὁ μεσίτης ἦν καὶ ὁ συνέχων αὐτοῖς τὴν ὁμόνοιαν. Secundò, profectum eum cum Gallo C. proficiſcente ad Conſtantij

ſtantij mandatum, comitémque adeò itineris huiuſce fuiſſe. Tertiò, miſſo Barbatione Mediolano ad Noricos, (quo Gallus cum eo peruenit) ad Gallum purpurâ exuendum, & in inſulam aliquam Dalmatiæ in exilium mittendum, Theophilum hunc Indum negotio huic interceſſiſſe & impediſſe: Tandem, re Conſtantio ſignificatâ Theophilum hunc ideò in exilium miſſum. Quæ omnia nuſpiam præterea apparent. Ipſe infrà *cap.* 7. huius exilij rurſum meminit, cuius veniam Conſtantius à Theophilo petierit. De altero exilio Theophili vide *infrà cap.* 8. Et hæc de Theophilo.

Tertiò notatur, Conſtantium hoc tempore quo Gallus C. interfectus *Mediolani* fuiſſe dici, atq; inde Barbationē miſſum. Mediolanum ſcilicet Conſtantius hoc anno 354 icto cum Alemannis fœdere profectus eſt, teſte Marcellino *lib.* 14. *pag.* 28. 29: ibíq; conſilium de Gallo C. interficiendo captum, eodem teſte: eòdem & nuncius perlatus de Galli cœde, Marcellinus *initio libri* 15. Hinc adeò Mediolani data à Conſtantio hoc eodem anno *lex* 6. *Cod. Th. de annonâ & trib.* & *l.* 42 *eod. Cod. de decurionib.*

Quartò obſeruetur quod ait, Gallum C. ad Noricos veniſſe, eóque miſſum Barbationem Comitem rei militaris: quod vtrumque etiam ait Marcellinus *lib.* 14. *pag.* 31. 32, addito, Petauionem Noricorum vrbem veniſſe.

Quintò loco ſequuntur quæ ad exilium Galli C. pertinent ejúſque mox cœdem ſpectant. Nempe ait primò iuſſum in inſulam aliquam Dalmatiæ in exilium mitti. Certe ſolemne hoc æuo exilium fuit in inſulas Dal-

matiæ, veluti in inſulam Boas: v. Marcellinum *lib. 22. pag. 222.* & *lib. 28. pag. 386.* & *l. 53. Cod. Theod. ſ. de Hæreticis.* quæ inſula alioquin quoque memoratur in Itinerario Peutingeriano *ſegmento* 4. Secundò addit, Conſtantium iuſſiſſe Gallum C. in inſulam deportari ſub cuſtodiâ, quod & factum, vbi & occiſus fuit. Hæc ita Philoſtorgius: Inſulam verò *Flauonem* vocant Eutropius, Socrates *lib. 2. cap. 27.* Sozomenus, *lib. 4. cap. 6.* Idacius, in *Faſtis Conſular.* quæ vrbs maritima Iſtriæ Plinio, & Ptolemæo: vnde Marcellinus *lib. 14. in Iſtria prope oppidum Polam* Gallum C. occiſum ſcribit: & Hieronymus *Chronico, Iſtriæ occiſum.* At Chronicon Alexandr. ait ἐν Ἰσσῷ τῇ νήσῳ quæ certe *Iſſa* inſula Dalmatiæ prope Polas fuit: Forte, duce Philoſtorgio, Gallus in inſulam primò Dalmatiæ in exilium miſſus, & miſſus *Iſſum*: poſteà verò in inſulam Iſtriæ deportatus, *Flauonem* ſcilicet: quæ apud Cedrenum male Θαλαμῶν, apud Hiſtoriæ miſcellæ auctorem, *Falconenſis inſula.* Tertio addit Philoſtorgius (quod notandum) Conſtantium, poſteaquam Gallum C. in inſulam deportari juſſiſſet, pœnitentia ductum, emiſiſſe qui necem eius inhiberent, verum nuncios ab Euſebio detentos, vſque quò Gallus cœſus fuiſſet. Quod & ipſum nullus alius dixit, Zonara excepto, qui & ipſe citra iuſſum Conſtantij Gallum occiſum ſcribit: & cùm eum Cæſaris ſpoliatum dignitate primo tantum relegaſſet, poſtea incitatum à proximis miſiſſe qui eum interficerent, mox pœnitentia ductum datis literis interfectores reuocaſſe, verum Euſebium cubiculi Præpoſitum, vt literæ demum cœde

peractâ

peractâ redderentur, curaſſe. Quæ proculdubio Zonaras habet à Philoſtorgio noſtro. Tadem *Euſebium Eunuchum, Præpoſitum* cubiculi ſcilicet, præcipuum cœdis Galli C. authorem & artificem nobis deſcribit Philoſtorgius; quod faciunt etiam alij: & Marcellinus quidem tùm in conſilio de Galli cœde capiendo, vbi & effuſiorem ad nocendum vocat *lib.14. p.29.* tùm in Gallo interrogando *d.lib.14. pag* 32. Imò & in inquiſitione in Galli reliquias *lib.15. pag.35.* De eo ſenſit & Iulianus *epiſt. ad Senatum populumq́; Athen. pag.*501. cùm ait, Gallum cœſum in vnius ſpadonis & cubicularij gratiam, εἰς χάριν ἑνὸς ἀνδρογύνου καὶ κατακοιμιστοῦ, καὶ προσέτι τοῦ τῶν μαγείρων ἐπιτρόπου. Vt & Libanius *Orat. in Iuliani necem pag.*258 δοῦλος αὐτὸς ὤν, καὶ τὸ τοῦδε δεινότερον δύστυχος αἰτιώτατος ἐγεγόνει τῷ Γάλλῳ τῆς ὠμοτάτης τελευτῆς. Huius eiuſdem cæteroquin Euſebij multa mentio apud Marcellinum & alios. ¶ De eo tandem poſteà interfecto à Iuliano vti Philoſtorgius agit huius capitis fine, ita & Marcellinus, *lib.22. pag.*223. & Libanius *dict. pag.*298. Sozomenus *lib.5. cap.5. pag.*339. qui eandem cœdis eius cauſam cum Philoſtorgio memorat, nempe quod Gallus C. inſidiis eius interfectus fuiſſet: quod & ipſum affirmat Libanius *dict. pag.* 298.

¶AD CAP. II. *De Iuliano Cæſare facto à Conſtantio, & in Gallias miſſo.*

De *Iuliano* à Conſtantio ex Ionia reuocato, deſponſáque ei vxore Helenâ, Cæſare facto, & ad Gallias quæ valde turbatæ erant miſſo, eſt hoc ſegmentum. De quo omni prolixè Marcellinus *lib.15. pag.* 47. 48. 49. 50. Hoc

vero caput exſcribit Nicephorus *lib.9. cap.32. in fin.* vide de eadem re & Libanium [illegible], & *alibi*: vt & Zoſimum *lib.3. pag.702.703.*

¶ Ad Cap. III. *De Liberij, Oſijq; lapſu, & reſtitutione in Synodo Sirmienſi.*

De Liberii Epiſc. Romani, Oſijque Cordubenſis lapſu, mox & in Epiſcopatum reſtitutione, déque Synodo *Sirmienſi*, vbi hæc peracta, eſt hoc caput: vbi ſingula accuratè perpendenda veniunt. Primo quidem temporis ratio ſtabilienda nobis eſt, quando videlicet hæc acta fuerint. Narrat igitur hæc Philoſtorgius, poſt Galli C. cædem [A.D.354] item poſt Iulianum Cæſarem factum [A.D.355] tandem quo tempore Conſtantius Imp. Sirmij agebat, ibidémque Synodus Sirmienſis habita fuit. Certe Conſtantius, cùm vrbe Româ anno 357 digreſſus, initio adhuc menſis Decembris eius anni Mediolani conſtitiſſet (vt docet *lex 5. Cod. Theod. de maleficis & math. lex 14. de Epiſcopis: lex 9. de curſu publico*) extremo iam menſe Decembri *Sirmium* peruenit, vti docet ſubſcriptio *legis* 27. *Cod. Theod. de* [illegible]. Exinde que integro A.D 358, & medio ferme A. D 359 Sirmij conſtitit: de qua alioquin Conſtantij mora Sirmij Marcellinus quoque *lib. 16. pag.* 78. Ibi igitur conſtituto Conſtantio & Sirmienſis illa Synodus habita fuit A. D. 358 (quæ longe alia eſt ab ea, quæ habita aduerſus Photinum A. D. 357, vt diſerte ſcribit Socrates *lib.2. cap.24*: & Sozomenus *lib.4 cap.5* in quibus tamen diſcernendis Baronius [illegible] hæſit) Et in illâ vero tandem Liberius Oſiuſque [illegible] euicti fuere, & ex-

& exinde vterque Epiſcopatui ſuo reſtitutus. Quod poſtremum ad A. D. 358 referendum rectè vidit Baronius *ann.*357 *num.*68. Quod exinde quoque patet, quod Athanaſius *Apolog. 2. pag. 265. & epiſt. ad Solitar. vit. ag. pag.* 647, Liberium poſt biennium exactum in exilio (& ſic tertio exilij anno) reſtitutum ſcribit: In exilium porrò miſſus Liberius Arbitione & Lolliano Coss. i. A. D 355, Seuero Sulpitio *lib.*2. *ſacræ hiſtoriæ* teſte: quo tempore Leontius Præfecturam vrbis adminiſtrabat, ait Marcellinus *lib.*15. *pag.*40 (ad quem Leontium P. V. extat & Conſtantij Imp. conſtitutio A. D. 356, puta *lex* 13. *Cod. Theod. de Epiſcop. Eccl.*) Item ex eo, quod Oſius à Conſtantio Sirmij anno integro detentus, póſtque eum Arianæ fidei aſſenſus dicitur, ab Athanaſio *ad Solitar. vitam ag. pag* 65.. Porrò Conſtantio Sirmij conſtituto hæc facta ait diſertè Philoſtorgius, pariter vt Sozomenus, *lib.*4. *cap.*14. At minus exactè Theodoretus *lib.*2. *cap.*17. hæc Conſtantio Romæ conſtituto facta indicat. Cæterùm, quod antea dixi, Conſtantius Sirmium venit ſub finem A. D. 357. Ergo non ante annum 358 hæc fieri potuêre. His omnibus ad temporis rationem firmandam, quod Baronij quoq; diligentiam non fugit, adde, quòd Felix ille qui Liberio in exilium miſſo in Epiſcopatu Romano ſuffectus fuerat, eum Epiſcopatum adhuc tenuit menſe Decembri anni 357, vt teſtatur Conſtantij ad eum conſtitutio, puta *lex* 14. *Cod. Theod. de Epiſc. Eccl. & Cler.* Quare non ante annum 358 Liberius reſtitui potuit. Et hæc quidem de temporis ratione.

Quod *lapſum* ipſum Liberij Oſiique attinet, ait Philoſtorgius, vtrumque & aduerſus ὁμοούσιον & aduerſus Athanaſium ſubſcripſiſſe. Quod & ipſum de Liberij lapſu nominatim teſtantur Hilarius, *ad Conſtantium*, Hieronymus *de Scriptorib. Eccleſ. cap. 97. de Fortun.[illegible] & in Chronico.* Athanaſius de vtriuſque & Liberij & Oſij lapſu, *Apolog. 2. in fin. pag 625. & epiſt. ad Solitar. vitam agetes, pag.* 647. 648. 651. & Sozomenus, *lib. 4. cap. 11. &* 14. Atenim, & Phœbadius *contra Arianos cap. penult. & vlt.* & Seuerus Sulpitius *lib. 2. ſacr. hiſt.* & duo ſcriptores Eccleſiaſtici, Socrates *lib. 2. cap. 26.* & Theodoretus *lib. 2. cap. 17.* de ſolo Oſij lapſu ſcribunt, nihil verò de Liberij lapſu memorant: contra quam ſuperiores illi, & cum his Philoſtorgius nunc, qui de vtriuſque lapſu & ipſe teſtatur, in quo vt dixi ſuperiores illos habet ſuffragantes. Et duplicem quidem in vtroque lapſum deſcribit, & quòd aduerſus ὁμοούσιον ſubſcripſerint, & aduerſus Athanaſium. Athanaſius quoque ipſe certè *dict. epiſt. ad S[illegible] pag* 647, de Liberio abſolutè ait, ὑπέγραψεν, mox & Libe[illegible]ij defenſionem ingrediens ob vim ei illata[illegible] vtriq; eum ſubſcripſiſſe teſtatur: ἀλλὰ καὶ τοῦτο δεικνύουσιν ἐκεῖνοι μὲν τὴν βίαν, Λιβέριος δὲ τὸ κατὰ τῆς αἱρέσεως μῖσος, καὶ τὴν ὑπὲρ Ἀθανασίου ψῆφον, ὅτε τὴν προαίρεσιν εἶχεν ἐλευθέραν. Sed & Hieronymus *dict. cap. 97.* diſertè *Liberium ad ſubſcriptio[illegible] hæreſeos compulſum* ſcribit: & in *Chronico*, eum *in hæreticâ prauitate ſubſcripſiſſe*. Et Sozomenus [illegible]oque *li[illegible]. 4. cap.* 14 ſcribit, Liberium coactum ſubſc[illegible]ere aduerſus ὁμοούσιον: ἐβιάζοντο αὐτὸς ὁμολογεῖν μὴ εἶναι τῷ πατρὶ τὸν υἱὸν ὁμοούσιον, eumque ὁμοιούσιον ſeu κατ' οὐσίαν ὅμοιον profeſſum, etſi Eudo-

xius

xius quíque cum eo erant Aëtiani etiam ἀνόμοιον profeſſum falſo jactarent: Ita enim locus ille Sozomeni intelligendus eſt, neque mutanda eius lectio vel in alium ſenſum is detorquendus, quod alioquin facit Petauius apud Epiphanium *pag.*316. Hæc etſi tam apertè à veteribus prodita ſint, recentiorum tamen nonnulli, & in his Illuſtriſſimus Annalium Eccleſiaſticarum ſcriptor Baronius *an.*357, *inde à num.*46. Cardinalis Perronius *poſtumo ad Sereniſſ. Magnæ Britanniæ Regem*, Petauius, *ad Epiphanium dict. pag.*316.317, aliíque poſt hos, malunt ſubſcripſiſſe quidem Liberium in Athanaſium, at non aduerſus ὁμοούσιον diſertè ſubſcripſiſſe, ſed ὁμοουσίου tantum nomen ſuppreſſiſſe: ei quippe Arianorum profeſſioni ſubſcripſiſſe, quâ id hactenus cauebatur, ne quis ὁμοουσίου vocabulo deinceps vteretur, & ſic ſimplicem à Liberio controuerſi vocabuli ſuppreſſionem extortam: quod cum Liberius de Catholicâ ſeueritate remiſiſſet, & Athanaſij inſuper damnationi conſenſiſſet, *viſum* eum eſſe in hæreſin prolapſum, eámque opinionem poſtea percrebuiſſe Arianorum fraudibus & calumniis. Quæ ſine teſte dicuntur omnia, imò contra expreſſa quæ dixi veterum & quidem Catholicorum teſtimonia. Quid quod formula quoque illa ipſa, cui Liberium ſubſcripſiſſe ex Sozomeno liquet, *d. lib.*4. *cap.*14, quâ Filius Patri ſubſtantia cæteríſque omnibus SIMILIS dicitur, omninò ὁμοούσιον impugnat, & ὁμοιούσιον aperte inducit, Liberiúmque ab ἀνομοίῳ tantum liberat, quod Eudoxiani de eo prædicabant? Et è veteribus tamen nonnullos quoque de eo dubitaſſe

putet quis: in quibus Rufinus, *lib.10. cap.27.* *Liberius*, inquit, *Conſtantio viuente regreſſus eſt: ſed hoc vtrum quod adquieuerit voluntati ſuæ* [Conſtantij] *ad ſubſcribendum, an ad populi Romani gratiam à quo proficiſcens fuerat exoratus, pro certo compertum non habeo.* Sedenim Rufini verba ſi quis accuratè attendat, non tam ea ſunt, de veritate lapſus Liberij dubitantis, quàm de causâ reſtituendi eius. De Oſij ſane lapſu addubitabat olim Seuerus Sulpitius *lib.2. hiſtor.* *Oſium quoque in eandem perfidiam conceſſiſſe opinio fuit: quod eò mirum atque incredibile videtur, quia omni fermè tempore conſtantiſſimus noſtrarum partium, & Nicæna Synodus auctore illo confecta habebatur, niſi fatiſcente æuo delirauerit.* Et Phœbadius quoque de Oſij lapſu nonniſi cunctabundus agit. Tandem neque ipſe dubito, Photium quoque huic de Liberij Oſiíque lapſu ſeu ſubſcriptione narrationi fidem non habuiſſe, quam ideò vel excerpendo hîc notare & caſtigare voluerit. Quod Oſium rurſum attinet, ſcribit Athanaſius, *epiſt. ad Solitar. vitam ag. pag.651.* eum quidem tandem ægréque cum Valente & Vrſacio communicaſſe, ſed tamen contra Athanaſium non ſubſcripſiſſe: idémque *Apologia 2. pag.625.* ſcribit, quod Oſius ſe Athanaſium non condemnauerit, μὴ καταγνοὺς ἡμῶν, verum ad tempus ceſſerit, πρὸς καιρὸν εἶξεν αὐτοῖς. Atenim Philoſtorgius hîc abſciſè vtrumque ab Oſio factum aſſerit. Et hæc de ipſomet lapſu, tùm Liberij tùm Oſij.

Tertio ait Philoſtorgius, Liberium & Oſium à Synodo Sirmienſi ad conſenſum vi adactos, συνόδου εἰς συμφωνίαν αὐτοὺς ὑποβιασαμένης: Quod certe etiam de Liberij Oſiíque

Oſiíque lapſu ſcribunt Athanaſius *Apolog.2. in fin.* & *ad Solit. vitam ag. pag.*647 (vbi de Liberio nominatim ait, inflexum eum miníſque mortis inductum, ὤκλασε, καὶ φοβηθεὶς τὸν ἀπειλούμενον θάνατον ὑπέγραψεν) & *pag.*651: vt & Socrates de Oſij lapſu, *lib.2. cap.26.* Sozomenus, *lib.4. cap.14.* Quanquam ipſemet Liberius *libenti animo* Arianorum confeſſionem recepiſſe ſe profitetur.

Quartò ait Philoſtorgius, Liberium reſtitutum Romanis valde expetentibus & flagitantibus. Certe Rufinus quoque, *lib.1. cap.27* hanc cauſam refert Liberij reſtituti, ad populi Romani videlicet gratiam, à quo proficiſcens fuerit exoratus. Socrates, *lib.2. cap.29. in fin.* ſcribit, Liberium ab exilio reuocatum ſedem Epiſcopatus ideò recuperaſſe, quod populus Romanus ſeditione conflatâ Felicem Eccleſiâ illâ ejeciſſet, Imperatorémque ipſum etiam inuito animo illis conſenſiſſe. Theodoretus *lib.2. cap.*17. refert, matronas Romanas τὰς ἐν τέλει καὶ ἀξιώμασιν ὁμοζύγους pro Liberio apud Conſtantium Imper. Romæ conſtitutum interceſſiſſe: nempe illas matronas, quarum oblationibus Epiſcopos Romanos ditatos ſcribit Marcellinus *lib.27. pag.*362. Denique Sozomenus, *lib.4. cap.*14. ait, Populum Romanum Liberium adeò charum habuiſſe, vt ſeditio maxima eius cauſa conflata fuerit, & ad cœdem vſque res proceſſerit: ſed & *lib.4 cap.* 10. *in fin.* ſcribit, Conſtantium, cùm Romam ingreſſus eſſet, magnáque populi multitudo pro Liberio inclamaret orarétque, καὶ πολὺς ἦν ἐνθάδε δῆμος περὶ Λιβερίου ἐκβοῶν καὶ δεόμενος αὐτὸν ἀπολαβεῖν, conſilio cum Epiſcopis qui cum eo erant

capto, decreuiſſe eum reuocare, populóque petenti reddere, ſi modò Epiſcopis quos ſecum haberet conſentire vellet.

Poſtremò ait Philoſtorgius, Liberio reſtituto, *Felicem* nudum Epiſcopi nomen retinuiſſe, abſque vllâ certa ſede, ſeſéque recepiſſe, εἰς ἑαυτὸν ἀπῄει. Vnde Marcellinus, & Hieronymus *Chronico*, Liberium Romam velut victorem ingreſſum ſcribunt. Atenim Theodoretus *lib.2. cap.17. in fin.* & Sozomenus, *lib.4. cap.14.* & ex eo Nicephorus, *lib.9. cap.37.* aiunt, Conſtantium Imp. & Synodum Sirmienſem vtrique & Liberio & Felici ſedem ſeruaſſe. Adítque Theodoretus, cùm populus Romanus duos Epiſcopos ferre nollet, Felicem ſeſe recepiſſe ὑποχωρῆσαι (vbi interpres malè vertit, *clàm ſeſe ſubduxiſſe*) & ad aliam vrbem migraſſe, ἑτέραν ᾤκησε πόλιν: quod Philoſtorgianæ narrationi conuenit: Ex quibus jam apparet, Felicem non Epiſcopali dignitate depoſitum, non à Conſtantio vel Synodo ſede ſuâ pulſum, multo minus martyrio occubuiſſe quod Conſtantium damnaſſet, quod alioquin etiam liber *de Romanis Pontificibus* præfert, & ex inſcriptione inſuper quadam probare conantur.

¶AD CAP. IV. *De Eudoxio Epiſcopo Antiochiæ facto.*

De *Eudoxio* Epiſcopo Antiochiæ facto eſt hoc ſegmentum: de quo & Socrates, *lib.2. cap.29. pag.588.* Theodoretus *lib.2. cap.25.* Sozomenus, *lib.4. cap.11.* & poſt eum Nicephorus, *lib.9. cap.36.* Vbi primò ratio temporis ſtabilienda venit. Philoſtorgius igitur de eo hîc agit, medio

dio

dio loco & tempore, inter Liberij reſtitutionem (quæ certe agitata primùm Conſtantio Romæ conſtituto, A.D. 357, mox Sirmij A.D.358 decreta) & concilium Ariminenſe, quod habitum A.D.359. Et verò Socrates quoque id diſertè, *lib.2. cap.29. pag.586*, refert ad id tempus, quo Conſtantius & cum eo Eudoxius Romæ erat, & ad tempus concilij Ariminenſis: pariter vt Sozomenus, *lib. 4. cap.11.* circa tempus reſtitutionis Liberij. Ergo referendum id ad A.D. 358, & quidem poſt Liberij lapſum, vt ordo ſeu ſeries Philoſtorgij oſtendit. Quare error eſt eorum, qui anno ante Liberij lapſum Eudoxium Epiſc. Antiochenum factum volunt.

Secundò ait Philoſtorgius, Eudoxium ad ſedem Antiochenam tranſlatum è *Germanicia*, quam Syriæ vrbem facit diſertè Socrates, *dict.lib.2. cap.29*, & indicat quoque Sozomenus, *d.lib.4. cap.11.* At Theodoretus, *d.lib.2. cap.25.* ſpecialius adhuc, vrbem eam facit, ἐν μεθορίῳ Ciliciæ Syriæ & Cappadociæ, Euphrateſiæ nominatim: quomodo veteres omnes Syriæ vrbem eam faciunt, & in his Ptolemæus: Itinerarium Antonini, Comagenæ quæ & Euphratenſis.

Tertiò ait Philoſtorgius, Eudoxium Arianum fuiſſe: excepto quod ſecundum Aſterij epiſtolas credebat, *Filium ſimilem Patri ſecundùm ſubſtantiam* (Aſterius certe ὁμοιούσιον credidit: de quo jam *ſuprà lib.2. cap.16*) mox tamen ab Arianis, à quibus ad ſedem Antiochenam euectus fuerat, ad ἑτερούσιον adactum. Alij ſcriptores ſimpliciter aiunt, Eudoxium Aëtij dogma fouiſſe, qui aſſerebat

Filium Patri ſubſtantiâ omninò diſſimilem, cùm alioquin cæteri Ariani, qui modeſtiores paulò haberi volebant, licet ὁμοούσιον negarent, ὁμοιούσιον tamen facile concederent: vnde & ortum poſteà magnum inter Eudoxium alióſq; Arianos diſſidium. In Concilio ideò Conſtantinopolitano Oecumenico 2, Eudoxiani, vt ab Eunomianis ſeu Anomœis ſeparantur, ita Arianis conjunguntur, & inter Arianos Semi-Arianóſque ponuntur & condemnantur. Quam de Eudoxio & Eudoxianis hiſtoriam omnem, repudiata Sozomeni hiſtoria, vt & Synodo Conſtantinopolitanâ, Romana Eccleſia ignorauit, vt teſtatur Gregorius M. *lib.6. epiſt.195.*

Quarto loco ſubjicit Philoſtorgius *elogium* Eudoxij: nempe ait is, Eudoxium æquanimum, moribus ornatum & ad cætera induſtrium, ſed timidum eum fuiſſe, quo nomine in eum maximè inuehitur: cùm tamen ſcriptores alij & audaciſſimum & urgentiſſimum maximè faciant, & doloſum, Sozomenus *lib.4. cap.11 12 13.25*: Socrates *lib.2. cap.29. pag.588*, vbi & dolo Epiſcopum Antiochenum factum ait. Philoſtorgio ſcilicet & Eunomianis vbſque dolebat, quod cùm Eudoxius eadem cum Aëtio & Eunomio ſuo ſentiret, commodámque ſæpe Aëtij reſtituendi, quod & pollicitus fuerat (de quo *infrà lib.5. cap.3*) occaſionem habuiſſet, id tamen non feciſſet. Hinc igitur timiditatis eum maximè arguit.

Poſtremo loco agit Philoſtorgius de *Genere* eius & *Ortu*: Patriam ſcilicet Arabiſſum, & Cæſarium patrem Eudoxij fuiſſe martyrem: quod & Suidas ſequitur in

voce Εὐδόξιος, forte ex hoc ipſo Philoſtorgij loco. Εὐδόξιος ἐπίσκοπος Ἀντιοχείας, ἐξ Ἀραβισσοῦ τῆς μικρᾶς Ἀρμενίας· ὁ δὲ πατὴρ αὐτοῦ Καισάριος ἐπὶ Μαξιμιανοῦ τὸν τοῦ μαρτυρίου στέφανον ἀνεδήσατο, καί τοι πρότερον ἡδονῶν ἥττων φανείς, ἀλλ' ἐβουλήθη τὰς πρώτας κηλῖδας διὰ τοῦ μαρτυρίου τοῦ αἵματος ἀπορρύψασθαι & quæ ibi ſequuntur. Ex poſtremis interim illis apud Suidam verbis apparet, quis ſenſus ſit poſtremorum hîc apud Philoſtorgium verborũ (quæ ex eorum alioquin cenſu ſunt quæ audacius nimiúmq; detorta in frigidũ & improprium ſermonẽ incidere apud Philoſtorgium notat Photius *in Biblioth.* καθαρσίων τε τῶν μολυσμάτων καὶ πρὸς τοὺς στεφάνους ἀθλητικοὺς ἐπιφέροντα) nempe, Cæſarium Eudoxij pàtrem, cùm antea ſiue adulteriis ſiue ſtupris vitam contaminaſſet, veterem maculam martyrij gloriâ eluiſſe. Hæc de patre Eudoxij. Patriam verò eius fuiſſe ait hîc Armeniam, vt & *infrà cap.8. in fin.* & quidem Arabiſſum, quæ Armeniæ minoris ciuitas fuit: quod præter Philoſtorgium & Suidam, etiam Itinerarium Antonini teſtatur. Hinc & in concilio Conſtantinopolitano *Epiſcopus Arabiſſenſis in Armeniâ minore.*

¶AD CAP. VI. *De Baſilio Ancyræ Epiſc. & inuidia eius aduerſus Eudoxium.*

Baſilium Ep. Ancyræ ægrè tuliſſe ait, ob promotum ad ſedem Antiochenam Eudoxium, eò quod ipſe ſedi illi inhiaret, vt eam in fide ſuâ ſtabiliret (nempe in ὁμοιουσίῳ, quod Baſilius profitebatur: vide *infr.c.*8.11.12, & *lib.8.c.*17. Epiphanium, *hæreſi Semiarianorum* 73) Philoſtorgius verò paſſim Baſilium hunc Ancyranum cum Eudoxio, Aëtio

Quidquid certe hic dicat Philoſtorgius, de curatâ ea à Theophilo, ſtatim ea mortua eſt. Author enim eſt Marcellinus *lib.21. pag.* 200, Conſtantium Fauſtinam aliam conjugem duxiſſe A. D. 360, *amiſſâ* IAMPRIDEM *Euſebiâ*: Quo caſu vero ea deceſſerit, narrat Chryſoſtomus, *homiliâ 15 in Philippenſes*, nempe πεοσῶν διαφθαρεῖσα. ¶Illud quoque hîc notandum quod ait Philoſtorgius, Conſtantium veniam impetraſſe à Theophilo, ob ea quæ in eum peccaſſet, nempe quod exilium ei irrogaſſet, de quo *cap.1 huius libri.*

¶AD CAP. VIII. *De geſtis apud Conſtantium Imp. vel ab eo Sirmij aduerſus Aëtianos, deq́ altera* Sirmienſi *Synodo.*

De geſtis apud Conſtantium Imp. vel ab eo *Sirmij* aduerſus *Aëtianos* (de quo vide & *infrà lib.5 cap.1 & 4.*) déque alterâ iam (de priore Sirmienſi actum *ſuprà cap.3.*) *Sirmienſi* Synodo ſub Conſtantio Sirmij conſtituto habita (de cuius æra alioquin non modò apud recentiores, verùm & apud antiquiores nulla certa ratio conſtat) eſt hoc caput, quod fermè exſcribit Nicephorus, *lib.9. cap.18. in fin.* Hæc vero illa Sirmienſis Synodus eſt, quæ habita fuit *Euſebio & Hypatio* COSS. id eſt, A. D. 359, vt diſertè ἔκθεσις ipſa eius Synodi præfert apud Athanaſium, *de Synodis Arimini & Seleuciæ, pag.674*: Socratem, *lib.2 cap.29 pag.589*: & Sozomenum, *lib.4 cap.16 pag.312*: & quidem XI. Kal. Iun. quo ipſo die à Conſtantio data occurrit Sirmij *lex 14 & 15 Cod. Theod. de Prætoribus.* Quam æram quoque egregiè firmat hîc ſeries ipſa Philoſtorgiana: nempe hæc

memorat, poſt Liberium reſtitutum, póſtque Eudoxium Epiſc. Antiochenum factum, quæ ſanè A.D 358 euenere, vt ſuprà oſtendimus. Nos vero acta nunc iſta Sirmij ſiue apud Conſtantium, ſiue in Synodo iſtà Sirmienſi, prout ea Philoſtorgius memorat, ſectemur. Primùm ait, Aëtium, Eudoxium & Theophilum (Indum ſcilicet) accuſatos à Baſilio Ancyræ & Euſtathio Sebaſtiæ, qui & aliis locis velut Aëtij hoſtes coniunguntur *ſup. lib. 3, cap. 16, 27: infrà cap. 9 hoc lib. & cap. 12.* Adde & Serram: vide *inf. lib. 5 cap. 4.* Certè Theodoretus quoque *lib. 2 cap. 25* ſcribit, Baſilium & Euſtathium, poſteaquam Eudoxius Epiſcopatum Antiochenum rapuit, intellectâ iniquitate & rabie Eudoxij, quam aperte contra Apoſtolicam doctrinam exerebat, audacia eius facinora Imperatori Conſtantio ſignificaſſe. Hæc Theodoretus. At Philoſtorgius, inter alias Aëtij, Eudoxij & Theophili accuſationes, addit, accuſatos eos falsò à Baſilio & Euſtathio cæteríſque, quod conſcij & participes fuiſſent rebellionis Galli Cæſaris, καὶ ὡς εἶησαν μύσαι καὶ κοινωνοὶ τῆς κατὰ Γάλλον ἐπαναστάσεως. Quod & ipſum hinc Nicephorus refert, *lib. 9, cap. 18, in fin.* ſed iam aſſeueranter, τὸ πλέον διὰ τὸ συμβούλους καὶ ὁμοψύχους εἶναι Γάλλῳ τῷ Καίσαρι. Sozomenus quoq; in Iuliani rebus, *lib. 5. cap. 5. in fin.* eum ſuſpectum fuiſſe ſcribit ob conſuetudinem cum Gallo, atq; ideo in exilium miſſum indicat. Speciosum verò apud Conſtantium crimen iſtud, qui ſane Galli reliquias crudeliter perſecutus dicitur: cuius rei hiſtoriam exequitur Marcellinus *lib. 15* (ſed ante quinquennium in geſtis A.D. 354) Certè de amicitiâ Galli C. erga Aë-

Aëtium iam *ſup.lib.3.cap.27.* Secundò ait Philoſtorgius, Conſtantium per mulieres perſuaſum, has enim qui à Baſilio erant ad eius ſentẽtiam adduxiſſe. Veráne nunc narret in hac hiſtoria Philoſtorgius, nec ne, non liquet, illud liquet vt hîc à Philoſtorgio ita & ab aliis Conſtantium velut γυναικοκρατούμενον, & mulieribus obnoxium deſcribi. Marcellinus inter alios *fine libri 21. Vxoribus ac ſpadonum gracilentis vocibus, & Palatinis quibuſdam nimium quantum addictus, ad ſingula eius verba plaudentibus, & quid ille aiat vel negat, vt aſſentiri poſſent, obſeruantibus.* Imò illud ipſum quod Philoſtorgius Baſilianis hic exprobrat, nempe eos per fœminas ad Conſtantium aditum habuiſſe, id Athanaſius Euſebianis imputat *ad Solit.vit.ag.pag.630,a.* εἶχον γὰρ τὴν πρὸς βασιλέα διὰ γυναικῶν σύστασιν, καὶ πᾶσιν ἦσαν φοβεροί.

Tertiò narrat Philoſtorgius, ideò Aëtium, Eudoxium, Theophilum partim in exilium pulſos, partim in accuſatorum poteſtatem datos: 1. *Aëtium* ſcilicet Petuſam Phrygiæ in exilium datum. Theodoretus *lib.2.cap.27.* ſimpliciter ait Aëtium in exilium miſſum, εἴς τι χωρίον τῆς Φρυγίας: at non hoc tempore verùm concilij mox Conſtantinopolitani tempore: quo tamen Aëtium Mopſueſtiam Ciliciæ in exilium miſſum Philoſtorgius ait, *infr. lib. prox. cap.1 & 2.* Quod Petuſam attinet, nulla certe talis mihi alibi Phrygiæ vrbs adhuc occurrit: etſi *Pituſam* reperio Ponti Cappadociç, *Pitniſſam* in Lycaonia, *Pityaſſum* Piſidiæ. De hoc interim Aëtij exilio, præter Philoſtorgium, Theodoretus, vt dixi, qui male id refert ad tempus concilij Conſtantinopolitani, de quo *inf.c.12.*

Et hæc de Aëtij exilio: 2 *Theophilum* quoq; Indum in Heracleam Ponti in exilium (de quo infrà quoque *lib.*5. *cap.*4) miſſum ait, quod & Niceph. refert *fine cap.*18. *lib.*9. 3 *Eudoxium* ait Antiochiâ ſubmotum domíque manere iuſſum, in patriam ſuam Armeniam (de quâ *ſupr. cap.*4) conceſſiſſe: de hoc verò Eudoxij exilio vide & Sozomenum *lib.*4 *cap.*12 & 13. Nicephorum *fine cap.*18 *lib.*9.

Quartò ait, Eunomium cùm famâ accepiſſet quæ à Baſilio facta fuerant, Antiochiam profectum, Diaconíque ordinatione ſuſceptâ (de quâ *ſup. cap.*5) legatum ad Conſtantium Imp. miſſum, quò is decreta (in Aëtium, Eudoxium & Theophilum ſcilicet) reuocaret, in itinere à Baſilianis captum, Midæum Phrygiæ vrbem in exilium pulſum. Quod indicat & *infr. lib.*5 *cap.*1. *Midæum* vrbem Phrygiæ pariter facit Ptolemæus, vnà cum Dorylleo. Δορύλλειον, & Μιδάειον. Meminit & Itinerarium Peutingerianum *charta* 6. *à Nicæa Agrillo* 24. *Dorylæo* 35. *Tranſis Sagarium f. Midæum* 25. Marcellinus quoque *lib.*26. *pag.*347 (vbi Mygdum vocat) *Procopius à Nicæa progreſſus &c. Mygdum accelerauit, qui locus Sangario alluitur flumine.*

Quintò ait, Baſilianos id in Synodo (Sirmienſi ſcil.) egiſſe, *vt Filius Patri per omnia* κατὰ πάντα *ſimilis* apertè declararetur, obliterato tamen οὐσίας nomine. Hæc verò illa eſt iam Sirmienſis ἔκθεσις ſeu formula, quæ vt dixi, Sirmij ſub præſentia Conſtantij Latine conſcripta, *Euſebium* & Hypatium coss. & XI. Kal. Iunij ſubſcriptos habet, apud Athanaſium, Socratem & Sozomenum: quæque mox Arimini producta, de quo *cap.* 10 *inf.* quæ & *tertia Sirmienſis*

Sirmienſis formula audit: qua certe decretum, *vt οὐσίας nomen tolleretur, Filiuſq; Patri per omnia ſimilis diceretur*: vt teſtatur ἔκθεσις illa ipſa: vide & Epiphanium, *hæreſi Semi-Arianorum 73, num. 14 in fin. & num. 15 & 22.*

Tandem ait Philoſtorgius, collectam hanc Synodum (Sirmienſem) è ſeptuaginta; quod nullibi præterea reperio. De ſolemni alioquin *ſeptuaginta* Epiſcoporum numero, ſeu *numero in Occiduâ librâ*, in Conciliis abdicandiſque Epiſcopis alibi dixiſſe me memini.

¶AD CAP. IX. *De geſtis poſt Synodum Sirmienſem à Baſilianis* [*in Synodo videl.* Ancyrana.]

Ad Sirmienſis Synodi, de quâ modò, quæ habita fuit A.D. 357, hiſtoriam pertinet quoq; hoc caput, ſaltem ad id quod ſtatim eam inſecutū eſt (in *Ancyranâ* videl. Synodo collecta à Baſilio) Vbi Philoſtorgius ait, à Baſilianis poſt confectam Synodum, quamplurimos ad ὁμοιούσιον ſententiam pertractos, quà ſermonibus quâ vi, τοὺς δὲ τῇ πειθοῖ συνεπικεχρημένους ἐν βίᾳ, & in his Macedonium Epiſcopum Conſtantinopolitanum, multóſque prætereà ex Eunomianis. Hæc verò illa eſt Synodus fidéſque Ancyrana, de qua Epiphanius *hæreſi 73. à num. 1*: Sozom. *lib. 4. cap. 12*: in qua ὁμοιούσιον ſtabilitum (aduerſus Sirmienſem Synodum modò habitam) cuius ἀρχηγὸς fuit Baſilius. De Macedonio id quoque aliunde clarum, eum cùm aliquando eadem cum Arianis ſenſiſſet quoad Filium attinet, poſteà ὁμοιούσιον profeſſum, Baſilióque Ancyræ adhæſiſſe: teſtis Theodoretus, *lib. 2. cap. 6*: & *lib. 4. hæreticarum fabularum.* Hinc adeò Hieronymus *de Script. Eccl.* Baſilium Ancyræ

cum Euſtathio Sebaſteno Macedonianæ partis Principem fuiſſe, ſcribit. At idem poſteà ad ὁμοιούσιον aliquando acceſſit, ſi vera eſt lectio *inf. lib.8 cap.17.*

¶Ad Cap. X. *De geſtis Singiduni: deq; Concilio Ariminenſi, & clade Nicomedienſi.*

Et hoc caput pertinet ad ea quæ poſt Sirmienſem Synodum, & Arianorum exilia, contigêre: quæ quidem tria ſunt.

Primum eſt de his quæ *Singiduni* Myſiæ vrbe apud Conſtantium Imp. vel ab eo facta fuêre. Quod *Singidunum* certe, Conſtantiíque hoc tempore ibi moram, attinet, ratio temporis optimè Philoſtorgio hic conſtat: Conſtantium enim, quem his coss. *Euſebio & Hypatio*, XI. Kal. Iun. Sirmij in Pannoniâ adhuc fuiſſe, eóque ibi poſito Sirmienſem Synodum dictis Conſulibus habitum ſuprà demonſtratum eſt, reperio, mox iam XIV. Kal. Iul. iiſdem coss. Singiduni exſtitiſſe, vti docet ſingularis ſubſcriptio *legis 28. Cod. Th. de appellationib.* Singiduni igitur hoc anno, ſtatim poſt Synodum Sirmienſem, conſtituto Conſtantio, hæc contigiſſe Philoſtorgius tradit. Patrophilum ſcilicet Scythopoleos, & Narciſſum Eirenoupoleos, alióſque cum his, Singidunum veniſſe, Conſtantiúmque edocuiſſe quæ à Baſilio patrata fuerant (opinor, quod poſt Synodum Sirmienſem, vbi ὁμοιούσιον repudiatum fuerat, ὁμοιούσιον ipſe prædicaſſet, alióſque eò adduxiſſet, etiam Macedonium Conſtantinopolit. de quo *ſup. cap. 9.*) Vel certè, ſtructam à Baſilio calumniam Aëtio, Eunomio & Eudoxio, ob quam in exilium miſſi fuerunt,

fuerunt(de quo *cap.*8. arg. eorum quæ mox ſubjiciuntur: vt & quæ *inf.cap.vlt.ſub fin.*) Conſtantium,adhæc mœrentem affectúmque exilio addictos reuocaſſe: duáſque Synodos indixiſſe: vnam Arimini, alteram Nicomediæ. Quod Patrophilum attinet,de eo iam ſuprà *lib.*1, déque eo Epiphanius *hæreſi Semi-Arianorum* 73. *pag* 872, vt omittam eius antea depoſitionem vnà cum Narciſſo in Synodo Sardicenſi, teſte Athanaſio,*contra Arianos diſp.*1. *pag.* 116, & *Apolog.*2. Certe hos duos,Patrophilum,inquam,& Narciſſum,velut Arianæ factionis anteſignanos deſcribit non vno loco Athanaſius, quos & πρὸς πᾶσαν ἀσέβειαν τολμηροὺς vocat, *dict.diſput.*1.*contra Arianos pag.*116. Imò,quod cum Philoſtorgio optimè conuenit, Seleucienſis Synodi (de quà mox *cap.prox.*) conuocandæ Patrophilum inter alios authorem facit idem Athanaſius,*initio epiſt.de Synodis Arimini & Seleuciæ pag.*670 (vbi & depoſitus teſte eodem Athanaſio, *ibid.pag.*679: Socrate, *lib.*2. *cap.*32.*pag.*601: Sozomeno,*lib.*4.*cap.*24. *in fin.*) Id quod,vt dixi, huic Philoſtorgij narrationi adprimè conuenit: Ait enim Philoſtorgius, Pamphilum & Narciſſum occaſionem præbuiſſe indicendæ Synodi Nicomedienſis,cuius loco,Nicomedia dirutâ, mox Synodum Seleucienſem indictam ait: Hactenùs prior narratio.

Secundò narrat Philoſtorgius, Conſtantium à Patrophilo & Narciſſo perſuaſum,duas Synodos celebrari iuſſiſſe: vnam, *Arimini*, ex Occidentalibus: alteram, *Nicomediæ* ex Orientalibus, verùm ſolutam Nicomedienſem ob terræmotum, Seleuciámque tranſlatam. Quâ parte

Philoſtorgius non parum à cæteris ſcriptoribus Eccleſiaſticis abit, & μεταχρονισμῷ quoque peccat. Narrant quippe cæteri ſcriptores, Nicomedienſem Synodum indictam, ſolutámque ob terræmotum, poſt priorem Sirmienſem Synodum, in quâ Liberius reſtitutus fuerat (de quâ *cap.*3) non verò poſt illam, de quâ *ſupra cap.*8. quod Philoſtorgius vult, ídque Conſtantio Singiduni exiſtente, cùm contra Sozomenus dicat, *lib.*4 *cap.*15, Sirmij exiſtente. Secundò, etſi Socrates, *lib.*2 *cap.*29 *pag.*588 turbidè Philoſtorgio conſentire videatur, quaſi eodem tempore Ariminenſis Synodus & Nicomedienſis indictæ fuerint, attamen & quæ ipſemet ſubjicit *cap.*31: id euertunt, & Sozomenus aperte Nicomedienſis indictionem, & terræmotum ante Ariminenſe memorat, *lib.*4. *cap.*15.16. Et ipſa temporum ratio non patitur, vt Nicomedienſis Synodus eodem tempore indicta fuerit, quo Ariminenſis aut Seleucienſis: Hæ quippe duæ liquidò habitæ fuerunt A.D.359, Euſebio & Hypatio COSS. Atquin & Nicomediam indicta Synodus, teſte Socrate *lib.* 2. *cap* 31, & Nicomedia terræmotu diruta, Datiano & Cereale COSS. A.D. 358, vt diſertè quoque iſtud tradunt Sex. Aurelius Victor horum temporum ſcriptor. *cap.*16. & Idacius *in Faſtis*: erratum enim in Chronico Alexandrino, vbi id ſignatum ſub A.D.359. Tertio exerte Sozomenus *lib.* 4. *cap.*15 ait, poſt cladem Nicomedienſem diu tractatum deliberatúmque ſuper transferendo aliò concilio & in alium annum, Nicæámque primùm, poſt longam poſtea deliberationem indictam Ariminenſem,

& Seleu-

& Seleucienſem. Quartò, cæteri ſcriptores duas Synodos eodem tempore à Conſtantio indictas aiunt, non Nicomedienſem & Ariminenſem vt Philoſtorgius ait, verùm Ariminenſem & Seleucienſem, de quâ *cap. prox.* vt diſerte Athanaſius, *de Synodis Arimini & Seleuciæ pag.* 670 & 674: Socrates, *lib.* 2. *cap.* 3: Sozomenus, *lib.* 4. *cap.* 15. *pag.* 311. & *cap.* 16. *in princ.* & quidem vtramque poſt Nicomedienſem. Ergo verum eſt, Conſtantium quidem primùm A.D. 358 Nicomediam Synodum indixiſſe, deinde de Nicæa, mox Tarſo cogitatum: tandem Seleuciam indictam Synodum A.D. 359: quod diſertè ſcribunt Socrates, *lib.* 2. *cap.* 31: & Sozomenus *lib.* 4. *cap.* 21. Et hæc de temporum ratione. ¶ Quod terræmotum Nicomedienſem attinet (de quo & Marcellinus & Libanius *monodiâ* in id expreſſa, aliíque) tria de eo ad Eccleſiaſticam hiſtoriam pertinentia commemorat Philoſtorgius. Primò, Cecropium Epiſcopum Nicomedienſem (de quo Cecropio infrà rurſum *lib.* 5. *cap* 1: déque ſucceſſore eius Oneſimo) eo terræmotu occiſum. In quo conuenit ei cum cæteris ſcriptoribus qui idem produnt: Sozomeno *lib.* 4. *cap.* 15, & auctore Chronici Alexandrini. Secundò ait, eo terræmotu concuſſum Templum ſeu Eccleſiam Nicomediæ, quod & ipſum ſcribit Sozomenus, *dict. cap.* 15. Quod verò tertio loco addit, coactos ibi tùm fuiſſe quindecim Epiſcopos homoouſiaſtas, id jam tum ſparſum perlatúmque fuiſſe ad Conſtantium Imp. ſcribit Sozomenus *dict. cap.* 15, & multitudinem Epiſcoporum aliorumque virorum, puerorum & mulierum, qui eò, tutos ſeſe

fore ſperantes confugerant, verum id falſum eſſe idem oſtendit: vt pote cùm hinc nuncius de terræmotu Epiſcopos in itinere deprehenderit, inde vero, hora diei ſecundâ quo nullus agebatur in Eccleſiâ conuentus, οὐ συναξίμου ἡμέρας, terræmotus vrbem inuaſerit, & ex Epiſcopis Cecropius vnus adfuerit & alter inſuper ex Boſphoro qui extra Eccleſiam interierunt. Tandem ait, quò & ſuperior calumnia tendebat, Nicomedienſem Synodum terræmotu rejectam, eò quod plerique in ὁμοουσίῳ conſentirent: Quæ Philoſtorgij calumnia à Photio notatur. Sic & retrò Catholici de Nicæa terræmotu concuſſâ judicium tulère aduerſus Eudoxianos, apud Theodoretum, *lib.2.cap.26.pag* 80. Adeò, vt adſolet, caſus hos variè in ſuum quique fauorem, aliorum contrà odium interpretati. Baſilius certe Ancyræ Conſtantium per epiſtolam ſolatus eſt de clade Nicomediæ, petitis ſimilibus è ſacra Scripturâ exemplis, teſte Sozomeno *d.lib.4. cap.15.* ¶ Nunc porrò videndum eſt, quid de *Synodo Ariminenſi* dicat Philoſtorgius, de quâ & de fide ibi condita agit inſuper mox *cap.12*: & *lib.5.cap.1*: *lib.6.cap.3*: *lib.7. cap.6*: *lib 10.cap.2.* De quâ etiam prius hic agit Philoſtorgius quàm de Seleucienſi, vt pote quæ prius coacta fuerit: teſte etiam Sozomeno *lib.4 cap.16.* Primò igitur ait, Ariminenſem Synodum ex Occidentalibus collectam, quod verum eſt: vide & Athanaſ. *de Synodis*, Socratem & Sozomenum, &c. Inde & *Occidentalium formula*, pro Ariminenſi, apud Philoſtorgium *infra cap.12*: *lib.5.cap.1*: *lib.7. cap.6*: quanquam & de Orientalibus eò quoque cogendis a-

dis agat Theodoretus *lib.2. cap.18.* & Socrates exerte teſtetur *lib.2. cap.29*, Epiſcopos quoſdam Orientis ibi fuiſſe. Secundo, quod *Numerum* attinet eorum qui eò conuenere, ait, Synodum Ariminenſem ex trecentis viris coactam. Atenim Athanaſius *lib. de Synodis, pag. 674 & 699*, vt & Seuerus Sulpitius, *lib 2*, & Sozomenus, *lib.4. cap.16* aiunt, quadringentos eò conueniſſe, & aliquanto amplius, e quibus octoginta Ariani fuerint: Athanaſius *de Synodis* quinquaginta vel plures Arianos ait. Idem *ad Africanos*, ait, ducentos partis Catholicæ Ariminum conceſſiſſe. Tertiò, quod *decretum* Ariminenſe attinet, recte hìc illud deſcribit Philoſtorgius, nempe οὐσίας nomen ibi in totum abdicatum, definitúmque, *ſimilem Filium Patri ſecundum Scripturas.* Id enim vltimùm Arimini definitum, poſteaquam ſcilicet vis ab Imperatore Legatis facta, & Arimini collecti plerique partim imbecillitate coacti, partim tædio peregrinationis euicti, partim & fraude illecti, manus dedere. Ibi ſcil. & οὐσίας nomen in totum abdicatum, quod etiam dicitur *infrà lib.10.c.2*, & *Filius Patri ſecundum Scripturas ſimilis* definitus, quod vt Philoſtorgius hic ait, ita & præter alios Hieronymus quoque refert ex actis Synodi Ariminenſis *aduerſus Luciferianos.* Et hactenùs quid de poſtremo Synodi Ariminenſis decreto ſeu receſſu Philoſtorgius. Sed omittuntur hîc, quæ prius Arimini legitimè à ducẽtis ferme numero decreta fuerant: vbi Filius κατ' οὐσίαν ὅμοιος definitus, quæ & ipſa alioquin Ariani non denegauerunt, vt ſcribit Hieronymus, *aduerſus Luciferianos*: vnde Synodus ea

hactenus à Catholicis pro legitima habita: vide Athanaſium, *de Synodis Arimini & Seleuciæ*, & Ambroſium *epiſt.* 32: recentiora verò velut per vim-metum extorta improbarunt: Athanaſius *ad Africanos.*

¶A D C A P. XI. *De Synodo Seleucienſi.*

De Synodo *Seleucienſi* (de quâ Athanaſius *lib. de Synodis Arimini & Seleuciæ.* Epiphanius *hæreſi Semi-Arianorum* 73: Baſilius 1. *aduerſ. Eunomium pag.* 4: Socrates, *lib.* 2. *cap.* 31. 32: Theodoretus, *lib.* 2. *cap.* 27. 28: Sozomenus, *lib.* 4. *cap.* 21: quæque Euſebio & Hypatio coss. A.D. 359. V. Kalend. Octobr. congregata fuit) eſt hoc caput: De quâ quatuor hîc apud Philoſtorgium à Photio notantur. Primum eſt, de *cauſa* Synodi Seleucienſis indicendæ: nempe ait Philoſtorgius, ideò indictam hanc Synodum, quod Nicomediâ, quò Synodus coacta fuerat, terræmotu collapſa, imò & igne & maris inundatione euerſa (quod poſtremum quoq; Libanius monodia ſuper hoc Nicomediæ caſu expreſſa teſtatur *pag.* 205, 206) Baſiliani *Nicæam* petiiſſent, Aëtiani verò non vltra *Tarſum* proceſſiſſent. A quo certè non omninò abit, quod Socrates ſcribit *lib.* 2. *cap.* 31. *in princ.* Nicomediâ terræmotu collapſa, agitatum primò de concilio *Nicæam*, quæ finitima eſt, transferendo: mox mutato conſilio decretum de conueniendo *Tarſum* Ciliciæ, verùm neq; omnibus iſtud placuiſſe, & ideò Seleuciam vrbem Iſauriæ Tracheæ concilium indictum. Secundo ait Philoſtorgius, Synodum Seleucienſem ſciſſam in duas partes: In eo verò conſentit cum cæteris: vide Athanaſium *de Synodis*, & Socratem, *lib.* 2. *cap.* 31. 32: (ex Sabino Macedoniano) & Sozomenum *lib.* 4.

cap 21 Tertiò ait, Baſilianos artibus Synodum impediuiſſe. Certè Socrates quoque *lib.1.cap.*31, & Sozomenus *lib.*4.*cap.*21 ſcribunt, Baſilianos primum dedita operâ abfuiſſe, vt & Macedonium alióſque nonnullos, quòd ſuſpicarentur ſe in crimen adductos iri, aliis alias cauſas obtendentibus, verùm tertio die veniſſe, & Acacianam partem ad Concilium venire noluiſſe: mox ſuperiores factos; tandem ſeparatim conueniſſe, ſingulóſque ſuam fidem edidiſſe, quod Philoſtorgius hic quoque ait. Vnde rectè Petauius mendam in Epiphanio deprehendit, apud quem Acacianæ formulæ Baſilius ſubſcripſiſſe dicitur, qua *ſimilitudo ſecundum ſubſtantiam* aperte damnatur, cùm ſimilitudinem Baſilius vrgeret, & vero in hac Synodo ipſe primùm firmauit. Baſilius 1. *aduerſ. Eunomium*, *pag.* 4. ait, Aëtianos vocatos ſæpius ab illis qui ad Synodum Seleucienſem venerant vt ea quæ inferebantur repellerent, occurrere noluiſſe, & taciturnitate ſua victos damnatóſque. Quartò ait Philoſtorgius, Baſilianos damnato ἑτερουσίῳ, depoſitíſque contra ſentientibus (quos memorat & Socrates *lib.*2 *cap* 32 *pag.*603. & Sozomenus *lib.*4 *cap.*21 *in fin.*) in Eudoxij abdicati locum in Synodo Seleucienſi ordinaſſe Anianum Antiochiæ Epiſcopum: quod & ipſum ſcribit quoque Socrates, *lib.*2, *cap.*32, *pag.* 603: & Sozomenus *lib.*4, *cap.* 21, *in fin.* Sexto ait, eos qui ab Eudoxio & Aëtio erant ἑτερούσιον ſcripto firmaſſe, & vbíque libellum, τὸν τόμον, emiſiſſe. Hæc vero illa eſt Acaciana formula, quâ ὁμοούσιον & ὁμοιούσιον ſeu ὁμοιομούσιον, itémq; ἀνόμοιον iuxta damnata, ὅμοιον con-

tra ſtabilitum, quam exhibet Athanaſius *de Synod. Arimini & Seleuc. pag. 696*, & paſſim Epiphanius *hæreſ. Semi-Arianorum*: & Socrates *lib. 2, cap. 32*: Sozomenus, *lib. 4, cap. 21, pag. 320.*

¶AD CAP. XII. *De Synodo Conſtantinopolitana.*

De Synodo *Conſtantinopolitana* (habitâ eodem anno A.D. 359) de qua & Baſilius *1. aduerſ. Eunom. pag. 4*: Socrates, *lib. 2 cap. 32, 33*: Theodoretus, *lib. 2, cap. 27*: Sozomenus, *lib. 4. cap. 22, 23, 24*: quæ ſcilicet ſtatim poſt Seleucienſem & Ariminenſem habita fuit: vbi inter alia *Aëtius* depoſitus & in exilium miſſus eſt, prolixè & accuratiſſimè agit hoc capite Philoſtorgius, vt & *lib. 5. prox. cap. 1.* cui addendum 2 & 3. vt pote ei omninò connexa, eius denique partem cõſtituentia. Et initio quidẽ hîc deſcribit Philoſtorgius quæ congreſſum in Synodo præceſsêre. Et primò quidem notat *occaſionem* eius indicendæ: Nempe ait, ex diſſenſione in Synodo Seleucienſi, quod & cæteri ſcribunt, Synodum hanc indictam ab Imp. Conſtantio, iuſſis omnibus Conſtantinopolim occurrere. Eo quippe venerat Conſtantius ex procinctu Sarmatico pergens ad bellum Perſicum, hyeme menſe Octobri, de quo Marcellinus, Zoſimus, Seuerus Sulpitius: ibidémque conſtitit adhuc primis A.D 360 menſibus, vt fidem facit ſubſcriptio *legis 1. C. Th. de patrocin. vicor. lex 1. de decur. vrb. Romæ & Conſt.* quo tempore & primus ab eo Præfectus vrbi Conſtantinopoli inſtitutus fuit, dedicatúmque ibi præſente Conſtantio Dominicum: indéque tandem poſt adultum ver ad bellum Perſicum idem profectus eſt. Secundò ait

Phi-

Philoſtorgius, ad hanc Synodum Conſtantinopolitanum conueniſſe ex Occidente, & ex Oriente, & ex Libya minore omnes. De Occidentalibus ambigat quis; cum ex Seleucienſi Synodo, quæ ex Orientalibus tantum collecta erat, Epiſcopi ad Conſtantium & Conſtantinopolim profecti dicantur ab aliis ſcriptoribus, Socrate *lib.2. cap.32 pag.603*: Theodoreto, *lib.2.cap.27*: Sozomeno *lib.4. cap.23*: & quidem numero quinquaginta. Socrates & Sozomenus: cùm item ibi Occidentalium formula, i. Ariminenſis, confirmata fuerit, quod & hic Philoſtorgius ait. Res ex Sozomeno conciliari poſſit: ait is, *lib.4. cap.22*, eodem tempore adfuiſſe decem Epiſcopos qui à concilio Ariminenſi ad Conſtantium miſſi fuerant. Quod vero addit, *ex Libya minore*, id verum eſt: ibi enim fuere Serras, Stephanus, Heliodorus, Theophilus, qui omnes Epiſcopi in Libya fuere (vt Athanaſius teſtatur *de Synodis*) vide epiſtolam ipſius Synodi apud Theodoretum *lib.2. cap.28*: conuocati eò & ex proxima prouinciâ Bithyniæ Epiſcopi, & in his Maris. Socrates *lib.2. cap. 32. pag.603. in fin.* Theodoretus *lib.2. cap.27*. Sozomenus *lib.4. cap.23.* Tertio loco Philoſtorgius *Anteſignanos* οἱ προεισήκεισαν, ab vtraque parte, Baſilianorum & Heteroouſiaſtarum deſignat: nempe à parte illorum qui ſcilicet ὁμοιούσιον profitebantur, fuiſſe Baſilios duos Baſilium ſcilicet Ancyræ ipſum, quod etiam teſtatur Theodoretus, *lib.2. cap.27*, alterum Baſilium diaconum adhuc, cuius & elogium addit: quod poſtremum nemo alius prodit. Hic vero eſt Baſilius ille, qui poſtea Cæſareæ

Cappadociæ Epiſcopus fuit, de quo infrà, & ex Philoſtorgio Suidas. De Baſilij diaconatu vide & Socratem *lib.4. cap.21.* vbi ait, cum in diaconatus ordinem adſcitum à Meletio, qui ex Epiſc. Beroëenſi in Syria, Epiſcopus Sebaſtiæ factus, mox & Epiſc. Antiochiæ tempore huius Synodi Conſtantinopolitanæ. Præter Baſilios duos à parte Baſilianorum anteſignanum quoque tertium nominat Philoſtorgius Euſtathium Sebaſtiæ, quod tradit quoque Theodoretus *lib.2. cap.27.* A parte vero heteroouſiaſtarum in Synodo Conſtantinopolitanâ anteſignanos fuiſſe ait, Aëtium & Eunomium, qui etſi diaconi primas tamen ibi tenuerint: Marin verò & Eudoxium Epiſcopos his in ſecundis poſitos fuiſſe, vt & Acacium Cæſareæ (quib. adde & Euzoium *inf. lib.9.c.3*) quod & ipſum diſcere eſt ex Socrate, *lib.2.cap.32*: Theodoreto, *lib.2. cap.27*: Sozomeno, *lib.4. cap.22*: qui & Acacium hunc potiſſimum nobis huius Synodi auctorem deſcribunt, pariter vt idem Seleucienſis pars magna fuit. Ergo à partibus Aëtij nunc fuit Acacius, quod teſtatur quoque Sozom. *lib.4. cap.11*, quem tamen ſimilem cum Aëtianis tantum fidem ſimulaſſe nunc ſcribit Philoſtorgius, qui & tandem Homoouſiaſtes verúſque Orthodoxus euaſit: de quo *poſt. à lib.5. cap.1.* Hinc interim nota, in Synodis fuiſſe quoſdam anteſignanos *οἱ προεστήκεισαν*, alios verò in ſecundis & ſuppetiis eorum fuiſſe, qui *συνελαμβάνοντο*: Sic in Synodo Ariminenſi, Valenti & Vrſacio *συνελαμβάνοντο in ſuppetiis erant* Germinius, Auxentius, Demophilus & Caius, teſte Socrate *lib.2. cap.29. pag.288*: Sozo-

Sozomeno *lib.4. cap.16.* συλλαμβάνεσθαι eſt adjumento adſciſci, συναιτιζοντες & συναγωνισαὶ hi vocantur hîc.

Quartò ait Philoſtorgius, Baſilianos ἀπηλυτῆσαι indoluiſſe ſeu quiritatos ſtatim in Synodo Conſtantinopolitanâ, quod Acacius ei intereſſet, quandoquidem is Cyrillum Epiſcop. Hieroſolymitanum ſacris ſubmouiſſet, quem ipſi contra per honorem ſubuexerant. De hâc querelâ quidem in Synodo Conſtantinopol. nihil apud alios: at de Cyrilli abdicatione per Acacianos facta, eiúſque cauſa & accuſatione apud Conſtantium agunt cæteri prolixè, Socrates *lib.2, cap.31. pag.599: cap.32. pag.602, in fin. & 603:* Theodoretus, *lib.2, cap.27:* Sozomenus, *lib.4 cap.21, pag.319, 321, & cap.24.* Et Baſiliani hac parte mutuum nunc reddiderint in Synodo Conſtantinopolitana Acacio & Acacianis: quandoquidem Acacius in Synodo Seleucienſi antea comparere noluerat, niſi Cyrillus, vt pote ab eo abdicatus, egrederetur, teſte Theodoreto, *lib.2, cap.27, pag.81.* De Acacij denique in Cyrillum odio, præter Theodoretum *d.loco*, vide Epiph. *hæreſi 73, num.23.* Quinto loco, *Acacij elogium* proponit Philoſtorgius: cui ſimile omninò extat apud Sozomenum in hac eadem Synodi Conſtantinopol. hiſtoriâ *lib 4, cap.22, pag. 322, litt.b:* οὐ γὰρ ὁ τυχὼν ἐδόκει Ἀκάκιος, φύσει γάρ τε δεινὸς ὢν νοεῖν καὶ λέγειν καὶ τὰ βεβουλευμένα εἰς ἔργον ἄγειν. Hùc pertinet & alterum eiuſdem Philoſtorgij de Acacio elogium, quod Photius memorat *in Bibliοth. num.40.* Quod verſutiam eius & hypocriſin attinet, eam quoque proſcribit Athanaſius *in decret. Synod. Nicenæ pag.403.* de quo ad *cap.1. libri*

prox. Addit verò hîc, Acacium epiſtolas huius Synodi Conſtantinopolitanæ ſcripſiſſe : quod nuſpiam alibi memoratur. De huiuſcemodi Epiſtolis Synodalibus vnde conflatæ poſteà Synodorum collectiones, vel, hiſtoriæ Eccleſiaſticæ in partem, dico *in Prolegomenis.*

Sextò ait, Baſilium ipſum Ancyræ *Oratorem* pro Baſilianis in Synodo Conſtantinopol. fuiſſe: pro Heterooūſiaſtis verò Aëtium, in ſecundis poſito Eunomio: ſcilicet in Aëtio tota Acacianorum ſeu Heterooūſiaſtarum fiducia poſita fuit, quod ἀκαταμάχητος τοῖς λόγοις videretur, Sozomenus *lib.*4 *cap.*22 *pag.*322 : de quo iam ſuprà *lib.*3 *cap.*15. Septimò ait, quod & eodem pertinet, Baſilianos Aëtij dicendi vim metuentes cum eo congredi detrectaſſe, obtendiſſéque, diſſimulando metui, quod non conueniret diaconis cum Epiſcopis congredi: ſed enim ad hæc reſpondiſſe Aëtium & Eunomium, judicium nunc non inſtitui ſeu controuerſiam non eſſe de dignitate, ὡς ἐκ ἀξίας τινῶν ἐςι κρίσις, verùm veritatis tantum inquiſitionem agitari : Ad hanc verò reſponſionem Baſilianos quieuiſſe, quamlibet inuitos. Quidquid harum ſit, quorum pleraque precariò dici veroſimile eſt, hinc ſaltem liquet, quod & aliunde compertum, quantum Diaconi infra Epiſcoporum dignitatem poſiti fuerint, vt pote qui nudi miniſtri erant ὑπηρετοῦντες : qui & aliàs ad publicas diſputationes & Synodos hactenùs conuenêre, vt Exceptorum vel Notariorum munere fungerentur, vel aliquà Epiſcopos adjutarent : quod tùm ex Epiphanio *hæreſi* 71 nonnulli probant, tùm ex Athanaſij exem-

exemplo, de quo Rufinus *lib.1. cap.14.* Certe Sozomenus narrat *lib.4 cap.15*, Conſtantium poſt cladem Nicomedienſem iuſſiſſe vt Epiſcopi Nicæam conuenirent, & ſi qui morbo impedirentur, ſuo loco preſbyteros vel diaconos mitterent, πρεσβυτέρους ἢ διακόνους, ὥστε τὴν αὐτῶν γνώμην δηλῶσαι, καὶ περὶ τῶν ἀμφιβόλων βουλεύσασθαι καὶ κοινῇ περὶ πάντων ὁμοψηφῆσαι. Atque hæc tùm de præparatoriis ipſius ἁμίλλας ſeu congreſſus, tùm de ipſa ἁμίλλᾳ. Deinceps ſubjicit, exitum huius Synodi.

Octauò igitur ait, ab Aëtio victos Baſilianos, confeſſoſque eos, παρηλλάχθαι τὴν τοῦ γεννηθέντος οὐσίαν πρὸς τὴν τοῦ γεννήσαντος, καὶ κατὰ μηδὲν κοινωνεῖν, i. *Diſſimilem Filij ſubſtantiam eſſe cumq; Patris ſubſtantiâ in nullo conuenire*, ídque propria manu ſubſcripſiſſe (Quæ quidem Eunomij doctrina fuit, de quo pluribus Baſilius *lib. 2*, & Gregorius Nyſſenus *Orat.3.contra Eunomium, à pag.135. & lib.6.* Vnde Philoſtorgius non vno loco ἀπαράλλακτον damnat: de quo *ſup.lib.2.* vnde & τῆς ἐκθέτου πολιτείας ἀπαράλλακτον vocat, *lib. 8 cap.4.*) Quibus contraria omninò ab aliis produntur: Aiunt enim illi, fidem Ariminenſem tùm probatam, quod etiam mox Philoſtorgius fatetur, & in aliquibus etiam auctam, ne videlicet in poſterum vel *ſubſtantia* vel *eſſentia*, οὐσία ἢ ὑπόστασις, de Patre & Filio & Spiritu ſancto diceretur, ſed *ſimilem Patri Filium ſecundum Scripturas*: de quo vide Athanaſ. *de Synodis.pag.697*: & Aëtium non obtinuiſſe exertè dicit Sozomenus, *lib.4 cap.22 pag.322, d,e.*

Nonò ſubjicit Philoſtorgius ea quæ ab Imp. Conſtantio in Conſtantinopolitanâ Synodo facta fuerunt, poſt

Baſilianos,vt ille quidem vult,deuictos. Primùm ait, Conſtantium,hoc comperto,hacque arrepta occaſione, Baſilium & Aëtium in conſpectum ſuum venire iuſſiſſe, & quidem ad explendam iram aduerſus Baſilium (de quâ irâ Conſtantij aduerſus Baſilium Theodoretus quoque *lib.2 cap.27*)Et iræ cauſam addit hanc Philoſtorgius, ob veterem ſcilicet calumniam Aëtio ſtructam (quibus verbis intelligit ea quæ acta in Synodo Sirmienſi,de quibus *cap 8 & 10 ſup.*) Certe & Socrates, *lib.2 cap.33* ait, *iram* Imperatoris, quam contra nonnullos explere nitebatur in hâc Synodo,& abdicandi nonnullos & nominatim Arianos tempus opportunum accepiſſe.Theodoretus quoque, *lib.2 cap.27 pag.83* Imperatoris iram quâ excanduit, memorat. Secundò ait, contrarium tamen eueniſſe: in Aëtium quippe iram Conſtantij conuertiſſe, quod Theodoretus quoque teſtatur pluribus *dict.cap.27*, & Sozom. *lib.4 cap.22 pag.322.* Rationem verò hanc reddit Philoſtorgius : nempe enim, cùm Baſilius coràm Imperatore ſtaret,& ab Imperatore rogatus fuiſſet,quidnam in Aëtio culpandum haberet,reſpondiſſe Baſilium, quod *ἀνόμοιον diſſimilem Patri Filium* induceret: Ad id verò reſpondiſſe Aëtium : tantum abeſſe, vt Patri Filium *ἀνόμοιον* ſtatueret, vt contra *ἀπαραλλάκτως ὅμοιον* prædicaret. Quò pariter pertinet quod occurrit *inf. lib.8 cap.4.* Hic offenſum Conſtantium (qui ſcilicet nonniſi quadamtenus Filium Patri ſimilem volebat) Aëtium primò Palatio exegiſſe : mox & depoſitum Aëtium ; non dato videlicet ſpatio Aëtio explicandi , quanam is ratione

ἀπα-

ἀπαράλλακτον Filium dixiſſet. De quâ alioquin ἀπαραλλάκτου voce dixi iam ad *lib.2 cap.16.* Et certe triplici ratione Filio τὸ ἀπαράλλακτον tribui comperio, Aſterius ſtatuebat: *Filium eſſe* ἀπαράλλακτον εἰκόνα *Patris ſubſtantiæ.* Baſilius probabat ἀπαραλλάκτως ὅμοιον κατ' οὐσίαν, quod idem valet quod ὁμοούσιον: Aëtius verò Filium ἀπαραλλάκτως ὅμοιον, i. *ſimilem* intelligebat ſecundum quid, non ἀπαραλλάκτως κατ' οὐσίαν, quomodo Conſtantius accipiebat, nam iterò Aëtius & Eunomius, *diſſimilem ſecundum ſubſtantiam* volebant: vt *inf. lib.6 cap.1*: vnde & Philoſtorgius, *lib.8 c.4*, Eunomianos, nefandi inſtituti ἀπαράλλακτον vocat, τῆς ἐκθέσμου πολιτείας τὸ ἀπαράλλακτον. Denique ludebat in hac voce Aëtius, quæ certe & varias interpretationes admittit: vnde & Baſilius *epiſt.41 ad Maximum* ait, Patres Conſtantinopolitanos ab ὁμοίου ſignificatione τὸ τοῦ ἀπαραλλάκτου abſtuliſſe. Ob hanc igitur cauſam Philoſtorgius Aëtium abdicatum damnatúmque ait in Synodo Conſtantinopolitanâ (de quâ Aëtij damnatione *infrà quoque lib.5 cap.1*, & *lib. 10 cap.2*) Cùm tamen neque huius quidquam ſcriptores alij memorent, & Aëtium victum tantummodò narrent, aliáſque abdicationis eius cauſas narrent, vt Theodoretus *lib.2 cap.27 pag.82, 83 & 88*: Sozomenus *lib.4 cap. 22,23*: de quo ad *cap.1 libri proximi.*

Decimò ait, Aëtij depoſitioni ſubſcripſiſſe non ſolùm Orthodoxos (Photij hæc mox eſt pro Baſilianis) verùm & Aëtianos ipſos ſeu ſectatores eius συναιρεσιώτας, quod idem rurſùm inculcat *lib.5 cap.1*, & Photius quoque memorat *in Biblioth. num.* 40: in quo concinunt iam Theo-

doretus *lib.2 cap.27 in fin.* & *cap.29 in princ.* & Sozomenus *lib.4 cap.23.* Addit Philoſtorgius, ſubſcripſiſſe ex his alios, quod reuera ſententiam mutaſſent, alios verò ſpecie tenus, & vt dicitur *infra lib.prox 5 cap.1* (vbi hæc ipſa repetuntur) tempori conſulentes, & Imperatoris arbitrio cedentes, qui proculdubio χεριται illi ſunt, quos Aëtius ita vocabat, alio ſenſu quàm Epiphanius eos accepit. Sozomenus quoque ait *lib.4 cap.23* à nonnullis commemorari, λέγεται δὲ πρός τινων, quod Aëtius ab Acacianis abdicatus fuerit, οὐκ ἀπὸ γνώμης, ἀλλ' ἀφοσιούμενος καὶ ταῖς περὶ αὐτὸν δόξαις βασιλέα, διεβάλλοντο γὰρ τὰ αὐτοῦ φρονεῖν. De hac porrò Aëtij abdicatione agunt Theodoretus & Sozomenus *dictis locis*: Ipſámque abdicationis epiſtolam Synodi Conſtantinopolitanæ memorat idem Theodoretus *dict. cap. 28.* Cæterùm Photius *in Biblioth. num.40*, in eclogâ ſuâ ex Philoſtorgio, ait, Philoſtorgium & ipſum inuitum licet referre, quod Aëtius etiam à συναιρεσιώταις diaconatu ſubmotus fuerit, διὰ τὸ κακείνους ὑπερβάλλεσθαι τῇ δυσσεβείᾳ, quod ipſos impietate ſuperaret: vbi proculdubio non Philoſtorgius τῇ δυσσεβείᾳ dixerat, verùm Photius hanc vocem de ſuo addidit, vbi Philoſtorgius forte dixerat Aëtium audacia & confidentia forte nimia inter συναιρεσιώτας fuiſſe. His omnibus addatur, quod Philoſtorgius *infrà lib.7 cap.2* ait, Georgium Alexandrinum homodoxos πείθω aduerſus Aëtium ſubſcribere coëgiſſe. Quod *Eunomium* attinet, & ipſum Aëtij abdicationi aſſenſiſſe Sozomenus & Theodoretus *lib.2 cap.29 in princip.* ſcribunt, alioſque τῆς δυσσεβείας κοινωνούς, de quo nihil hic

ex

ex Philoſtorgio. Neque tamen omnes ſubſcripsêre, ſed ferè omnes, vt infrà ait *lib.5 cap.1.* Inter eos verò qui non ſubſcripsere neque Aëtij abdicationi neque Ariminenſi fidei nominat Philoſtorgius *lib.7 cap.6*, Serram & Theophilum, vt nominantur pariter vna cum Stephano & Heliodoro in *epiſt.* abdicationis apud Theodoretum. Quibus adde & Phœbum Lydiæ Epiſcopum *infr.lib.8.c.4.* His verò laxamentum ſex menſium in eadem Synodo datum ad ſubſcribendum, intra quod niſi ſubſcriberent, Sacerdotij priuatio indicta fuit.

Tandem Philoſtorgius Ariminenſem formulam in Synodo Conſtantinopolitana firmatam ait. Quod verum eſt, ídque docent quoque Socrates *lib.2 cap.32 pag.* 604: & *cap.33 pag.606* : Sozomenus, *lib.4 cap.22,23*: & *lex vlt.Cod.Theod.de fide Cathol.* Idq́; Imperatoris mandato, hîc & apud Socratem *lib.2 cap.33* (vbi κατὰ πρόσταγμα βασιλέως malè verſum *per Imperatores edictum*, verſum oportuit, *ſecundum Imperatoris edictum* ſeu *iuſſum*) & Sozomenum *lib.4 cap.22 in fin.* vbi addit, Conſtantium quamuis ſeſe ad pompam Kalendarum Ianuariarum pararet, totum tamen illum diem & magnam noctis ſequentis partem in abſumpſiſſe, quoad Epiſcopi formulæ Ariminenſi ſubſcripſiſſent. Quem quidem temporis characterismum præter alia notari oportet, ad veram Concilij Conſtantinopolitani æram firmandam. Quemadmodum & alterum illud quod memorat Socrates, *lib.2 cap.32 pag 604*: & Sozomenus, *lib.4 cap.22 de Honorato* tùm Præfecto vrbis Conſtantinopolitanæ primo conſtituto : adeo vt

idem Sozomenus ſcribat, Conſtantium, Honorato cognitionem de Aëtio, *περιέπων τῶν ἀπὸ τῆς μεγάλης βουλῆς ἐξάρχων*, mandaſſe. Cæterum Honoratus hic Præfectus Vrbi factus fuit 3. Id. Decemb. (vel Sept.) Euſebio & Hypatio COSS. A.D.359: vide Hieronymum, *Chronico*, Chronicon quod hodie dicitur Alexandrin. & Idacij Conſularia. ¶ Illud hîc omittit Philoſtorgius, quod formulæ Ariminenſi aliquod additum fuiſſe teſtantur Athanaſius *de Synodis:* Socrates, *lib.2 cap.32 pag.604*; & *cap.33 pag.606*: Sozomenus, *lib.4 cap.23 in princ.* Et verò cum οὐσίας nomen tantum in Ariminenſi Synodo rejecta fuiſſet, ὑποστάσεως quoque nomen in Synodo Conſtantinopolitana damnatum fuit, vt ipſemet teſtatur *inf.lib.10 cap.2*, vbi dicam.

IN LIBRVM QVINTVM.

¶ Ad Cap. I. *De geſtis ſub finem Synodi Conſtantinopolitanæ ab Acacio, &c.*

AD *Synodum Conſtantinopolitanam*, de quâ modò *cap. ult. libri ſuperioris*, & hoc caput pertinet Narrat ſcilicet hic Philoſtorgius geſta ſub finem eius Synodi ab Acacio Cæſareæ Epiſc. (qui eandem cum Aëtio fidem in dicta Synodo ſimulauerat) pérque eum procurata apud Conſtantium Imp.: Et ſic agit de Baſilianis qui ὁμοιούσιον profitebantur, & Aëtianis qui ἀνόμοιον, depoſitis ínque exilium miſſis: viceuerſa de Epiſcopis

Epiſcopis homoouſiaſtis ab Acacio ordinatis, & in his quidem Meletio Epiſcopo Antiochiæ. Vbi notandum primò, Philoſtorgium *Acacij* vafriciem proſcriptam hoc capite voluiſſe, qui anteà ab Aëtio & Eunomio ſteterat, de quo *dict. cap. vlt.* aduerſus Baſilianos, quod etiam teſtatur Sozomenus *lib.* 4 *cap.* 22 *pag.* 322, *d*: imò qui id effecerat, vt in eâ Synodo præſentes omnes, quíque prius ἑτερουσίον prædicauerant, Ariminenſi formulæ, quâ *Filius ſimilis ſecundùm Scripturas* declaratus fuerat, ſubſcriberent, *dict. cap. vlt.* quod idem Sozomenus quoque teſtatur *lib.* 4 *cap.* 23. Igitur ait Philoſtorgius, eundem nunc Acacium in eâdem Synodo poſt peractas ſubſcriptiones in Baſilianos & Aëtianos iuxta ferri cœpiſſe: in illos quidem, peculiari odio, in hos verò ob contrariam fidem. Hanc igitur vafritiem Acacij Philoſtorgius hoc capite proſcriptum iuit, pariter vt proſcribit *dict. cap. vlt.* & tertio inſuper locó *apud Photium num.* 40. Neque ſequius etiam Orthodoxi, Athanaſius *non vno loco*, Epiphanius *hæreſi Semi-Arianorum, num.* 23 *&c.* de quo iam ad *dict. cap. vlt.* In eo verò, quod Philoſtorgius Acacium iam apertum ὁμοουσίου præconem facit, non alios conſentientes habet. Imò contrarium omninò eſt iis quæ de eo ſcribunt Epiphanius, *dicta hæreſi*, & Sozomenus *lib.* 4 *cap.* 28.

Secundò obſeruandum, quod Philoſtorgius Acacium inducit apud Conſtantium παραδυναστεύοντα, omniáque adeò pro libitu ſuo apud eum verſantem: à quo neque Epiphanius abit *dict. hæreſi* 73 *num.* 23: cùm tamen hæc ipſa exilia Epiſcoporum, ordinationéſque, de qui-

bus *hoc cap.* Sozomenus, *lib* 4 *cap.* 24 *in fin.* Eudoxio ſeu Eudoxianis tribuat: At vtrique ſimul, Eudoxio inquam & Acacio, Socrates *lib.* 2 *cap.* 33: & Theodoretus *lib.* 2 *cap.* 9 *pag* 85: quomodo idem Theodoretus *lib.* 2 *cap.* 27. Eudoxianam & Acacianam factionem jungit. Certe potiſſimę Acacij & in Synodo Seleucienſi, & in Conſtantinopolitanâ partes fuêre, nam & vtriuſque idem indicendæ præcipuus author fuit; vt teſtatur Athanaſius *initio de Synodis*, & Socrates *lib.* 2 *cap.* 32 *pag.* 603. Imperatórque in Acacium propenſior viſus, quod ex Socrate liquet *lib.* 2 *cap.* 32, 33. Et ſanè Sozomenus quoque conuenientiſſimè cum Philoſtorgio *lib.* 4 *cap.* 22, in hac ipſa Synodi Conſtantinopolitanæ hiſtoria, narrat, Acacianos eos qui plurimum valebant in Comitatu & apud Conſtantium ad ſuam ſententiam perduxiſſe, eóque pacto ſibi Imperatoris conciliaſſe beneuolentiam. Τοὺς δὲ ἀμφὶ Ἀκάκιον ἤδη κατωρθωκότας τὰ αὐτῶν φρονεῖν τοὺς ἐν τοῖς βασιλείοις δυναμένους, καὶ διὰ τοῦτο πραγματευσαμένους τὴν παρὰ τοῦ κρατοῦντος εὔνοιαν. Subjicítque rationem, quod ſcilicet ferebatur, alios ex aulicis eiuſdem fuiſſe cum illo opinionis, alios verò Eccleſiæ opibus corruptos, alios orationis lenociniis & perſuadentis authoritate dignitatéque in fraudem inductos, & addit elogium, quod iam ſuprà retulimus ad *cap. vlt. libri ſuperioris*, aliáque nonnulla.

De ſingulis nunc illis videndnm eſt, qui Acacij ope auxilio, in Synodo Conſtantinopolitana, ſiue poſt eam ſtatim, *depoſiti*, mox & in exilium miſſi fuére: viceuerſa qui noui *Epiſcopi ordinati*: cuius rei meminit & Baſilius 1. *adu. Eunom. pag.* 4. *lit. d, e.* *Depoſi-*

Depoſitorum igitur ſeu *abdicatorum* ibi cùm maior numerus fuerit(de quibus & Sozomenus,*lib.*4 *cap.*23:Theodoretus *lib.*2 *cap.*27 *pag.*83) quatuor tantum hactenus hîc memorat Philoſtorgius , quibus & duos prætereà *infra cap.*3 adnumerat, Euſebium & Eleuſium. Primus eſt *Baſilius* Ancyræ , quem & in Illyricum in exilium miſſum ait : de eius verò abdicatione vide & Socratem,*lib.*2 *cap.*33 : Sozomenum, *lib.*4 *cap.*23. Secundus è depoſitis à Patribus Conſtantinopolitanis eſt *Euſtathius* Sebaſtiæ : de quo rurſum *infra cap.*3 : & Baſilius *epiſt.*72,73,82 : Socrates *dict.lib.*2 *cap.*33,34 : Sozomenus,*d.cap.*23 : Tertius,*Macedonius* Epiſc.Conſtantinopolitanus,de quo idem Sozomenus *lib.*4 *cap.*24 *in fi.* & Socrates *lib.*2 *cap.*33,34 *&* 35: Theodoretus,*lib.*2 *cap.*26 *in fin.* & Chronicon Alexand.*ann.*360. Hos verò omnes in exilium miſſos Philoſtorgius ait, & quidem alios aliò : quomodo & Euſebiani cùm præualerent Catholicos & Athanaſianos exiliis diuisêre : de quo χωρισμοὺς Athanaſius, *ad Solit.vit.ag.pag.*647. Item ait, eos qui in exilium miſſi fuerant, ſubſcriptiones ſuas reuocaſſe quibus Ariminenſi fidei ſubſcripſerant: rurſúmque prædicare cœpiſſe alios ὁμοούσιον, alios ὁμοιούσιον. ¶ Et hæc de Epiſcopis abdicatis & in exilium miſſis. Sequitur *Aëtij* depoſitio , à diaconatu videlicet , de quâ iam quoque *ſupra cap.vlt.libri ſuper.* vt & de iis qui depoſitioni eius ſubſcripſerunt. Duo verò peculiaria de eo hîc adduntur. Primo,*Cauſa* depoſitionis eius adſignatur : quomodo Socrates quoque *lib.*2 *cap.*33 : & Sozomenus *lib.*4 *cap.*23 , non Aëtij modò , verùm Epiſcoporum ſingulo-

rum, de quibus ſuprà aliorúmque abdicatorum cauſas ſigillatim memorant. Hanc verò Aëtij depoſitionis Philoſtorgius cauſam reddit, quod ἀπαράλλακτον inuexerat, quod tamen aliis ſermonibus ſcriptíſque ſuis diſertè impugnauerat: de quo *ad dict.cap.vlt.lib.ſuper.* Atenim Sozomenus, *dict.lib.4.cap.23*, tres depoſitionis Aëtij cauſas reddit: Primam, quod libros plenos contentionis, & ad oſtentationem ſolùm ſapientiæ cuiuſdam ab Eccleſiæ inſtituto prorſus diſcrepantis accommodatos ſcripſerat, ὡς ἐριστικῶς καὶ πρὸς ἔνδειξιν σοφίας ἐκκλησιαστικῆς περιττῶς ἀπᾳδούσης συγγράφοντα. Hinc adeò ſcripta eius vna cum ipſo damnata, quod infra docet *lib.10 cap.1.* Secundam, quod diſputationes blaſphemiâ refertas habuerat, καὶ ταῖς διαλέξεσι δυσφήμως ποιούμενον. Poſtremam, quòd tumultus & ſeditionis in Eccleſiis author extiterat, ταραχῆς τε καὶ στάσεων ταῖς ἐκκλησίαις αἴτιον. Et hæc de depoſitionis Aëtij eiúſque adeò exilij cauſis. *Locum* verò exilij Aëtij ait Philoſtorgius fuiſſe Mopſueſtiam Ciliciæ, quod & ipſum repetitur *infra cap.prox.* Atenim Theodoretus, *lib.2 cap.27*, Aëtium hoc tempore in locum quendam Phrygiæ in exilium miſſum ſcribit: de quo ad *cap.8 libri ſuper.* Superioribus omnibus in exilium miſſis addit Philoſtorgius & alios, ac nominatim Antiochiæ: Ibi ſcilicet omnes in exilium pulſos ait qui olim ex clero Baſilio in his quæ aduerſus Aëtium & Eunomium patrata fuerant conſenſerant: de quo *ſupra lib.4 cap.8.* ¶ Sequuntur apud Philoſtorgium Epiſcopi quos in Synodo Conſtantinopolitana vel ſtatim poſt eam ab Acacio, vel in abdicatorum,

rum, vel in demortuorum locum ordinatos ait Philoſtorgius: quos omninò ſex hic memorat. Quibus addendus & ſeptimus Eunomius Cyzici Epiſcopi factus in locum Eleuſij depoſiti: de quo *cap.3 inf.* Primus in his occurrit *Eudoxius:* quem in Macedonij depoſiti locum Epiſc. Conſtantinopolitanum factum Conſtantij Imp. ſententiâ ab Acacio perſuaſi, ait Philoſtorgius: de quo *ſupra cap. vlt. lib. ſuper.* & conſentiunt Baſilius 1. *adu. Eunom. p.4*: Socrates, *lib.2 cap.34*: Theodoretus, *lib.2 cap.27 in fin.* Sozom. *lib.4 c.24 in fin. & 25.* Chron. Alex. Tyrannicè porrò τυραννικῶς eam & παρανόμως ſedem inuaſiſſe Eudoxium aiunt Baſilius 1. *aduerſ. Eunom. dict. pag.4*: & Theodoretus, *lib.2 cap.27 in fin.* & *cap.31 in princ.* Factum verò id Conſtantio A. XII. & Iuliano C. III. COSS. id eſt, A. D. 360, 27 Ianuarij, vt auctor Chronici Alexandrini ait. Vbi & illud notandum, factum id præſentibus Epiſcopis 72, è quibus quinquaginta quatuor nominibus ſuis idem deſignat. Quod quidem eò pertinet, quod nonniſi in librâ occiduâ Epiſcopum deponi oportuit, de quo *ſupra*.

Secundò Philoſtorgius ait, Acacium Cæſaream pergentem è Synodo Conſtantinopolitanâ viduatis Eccleſiis Epiſcopos conſtituiſſe, ὁμοούσιον colentes: ac nominatim Nicomediæ, Cecropij loco Oneſimum. De Cecropio Nicomedienſi Epiſc. Ariano Athanaſius duobus locis *diſput. 1. contra Arianos, pag.121 a*: & *ad Solit. vit. ag. pag 665 in fin. & 666 in princip.* Hic verò obtritus ante biennium terræmotu Nicomedienſi, *ſupr. lib 4 cap.10*: & Sozomenus, *lib.4 cap.15*: & Chronicon Alexandrin. cui nunc de-

mùm Oneſimus ſubſtitutus fuit: cuius Oneſimi nullam alibi mentionem nunc reperio. Eum verò Homoouſiaſtam facit Philoſtorgius. Tertiò ait Philoſtorgius, in Baſilij locum ſuffectum *Athanaſium* in Epiſcopatu Ancyrano: Quod & ipſum ſcribit in hac ipſa hiſtoria Sozomenus, *fine cap.24 lib.4*: de hoc porrò Athanaſio Ancyræ Epiſc. vide & Baſilium *epiſt.53 & 67*: & Socratem *lib.3 cap.21* ex Sabino. Hunc verò Homoouſiaſtis quoque accenſet Philoſtorgius, quod veriſſimum eſt: nam & libello Synodi Antiochenæ ſub Iouiano Imp. ſubſcriptus reperitur, quo Nicæna fides firmata, apud Socratem, *dict. lib.3 cap.21*: & Baſilius *epiſt.67* eum columnam & ſtabilimentum Eccleſiæ vocat: στῦλον καὶ ἑδραίωμα τῆς Ἐκκλησίας, vbi obitum eius deflens multas laudes in eum congerit.

Quartò ait Philoſtorgius, in Siluani locum *Acacium* alterum Tarſenſem Epiſc. ordinatum: de Siluani abdicatione Sozomenus quoque, *lib.4 cap.23 pag.324.* Acacium porrò hunc Tarſenſem Epiſc. homoouſianis accenſet Philoſtorgius: cuius Acacij nulla alibi mentio mihi nunc occurrit.

Quintò ait Philoſtorgius, Meletium Epiſcopum Antiochenum factum, promoto iam Eudoxio ad ſedem Conſtantinopolitanam; de quo Socrates quoque *lib.2 cap.33 & 34*: Theodoretus *lib.2 cap.31*: Sozomenus, *lib 4 cap.27 in fin.* Et quidem è Sebaſtia Armeniorum, quod etiam Sozomenus ait *lib.4 cap.27*: Rufinus *lib.10 cap.24.* Etſi Beroea propriè, quò Meletius conceſſerat faſtidito Epiſcopatu Sebaſteno, tranſlatus: teſte Socrate *lib.2 c.34*, & Theo-

& Theodoreto *dict. cap.* 31. Meletium porrò ab Acacio ordinatum ait Philoſtorgius; quod ipſum ſcribit quoque Epiphanius *hæreſi Semi-Arianorum* 73 *num.* 28 *pag.* 876: & Hieronymus, *Chronico*, ex ſententiâ Eudoxianorum, ait Sozomenus *lib.* 4 *cap.* 7. Ab Antiochenis ipſis ordinatum ait Socrates *lib.* 2 *cap.* 34. Petitum cum tam ab Arianis; quod etiam Epiphanius ſcribit *hæreſi Semi-Arianorum nu.* 34, quàm à Catholicis publico decreto à Conſtantio Imp. Theodoretus *dict. cap.* 31. De eo verò narrat hic Philoſtorgius, eum initio quidem Imperatoris nutui ſeruientem, ἑτερούσιον ſimulaſſe, Ariminenſíque formulæ ſubſcripſiſſe: vbi verò ad Antiochenam ſedem promotus fuit, feruidum ὁμοουσίου propugnatorem fuiſſe: de quo ipſo rurſùm *infra cap.* 5, *ſeu ult.* vbi ideò eum velut ἐπιορκίαις ἁλόντα, abdicatum ínque exilium miſſum, ait. Sanè Epiphanius quoque *hæreſi Semi-Arianorum* 73 *num.* 27 ſcribit, Meletium ab Acacianorum partibus ordinatum, creditum ab iis ſuæ opinionis eſſe, verùm alium eſſe repertum, vt de eo plerique narrant, κατασταθεὶς γὰρ ὁ Μελέτιος ὑπὸ αὐτῶν τῶν περὶ Ἀκάκιον, ἐνομίζετο παρ' αὐτοῖς εἶναι τῆς αὐτῶν δόξης, ἀλλ' οὐχ εὑρέθη, ὡς πολλοὶ περὶ τούτου ἀπαγγέλλουσι. Et Theodoretus pariter, *lib.* 2 *cap.* 31 ſcribit, Arianos Meletium ſuæ ſectæ doctrinæque ſocium opinatos, à Conſtantio Imp. poſtulaſſe, vt ei Eccleſia Antiochena committeretur: verùm primo ſtatim ſermone ad populum (quod & ipſum ait Epiphanius) ſinceram fidem ſuam prodidiſſe: Quem quidem etiam ſermonem exhibet Epiphanius, *dict. hæreſi* 73 *num.* 29, 30, 31, 32, 33: Socrates ait, *lib.* 2 *cap.* 34, Meletium

primò de fidei dogmate diſſerere ſuperſediſſe, ſuíſque auditoribus ea ſolùm quæ ad mores rectè informandos ſpectabant, propoſuiſſe, proceſſu verò temporis fidem illis explanaſſe & ὁμοούσιον docuiſſe. Poſtremò loco ait Philoſtorgius, Acacium Laodiceæ Epiſcopum *Pelagium* ordinaſſe, qui homoouſiaſtes & ipſe erat. De hoc equidem Pelagio Socrates, *lib.*3 *cap.*25: Theodoretus *lib.*4 *cap.* 15, & *lib.*5 *cap.*8; & Theodoſius M. *l.*3.*Cod.Theod. de fide Catholica*, de eo verò nunc ab Acacio ordinato nemo præter Philoſtorgium quidquam quod ſciam memorat.

¶ AD CAP. II. *De Aëtij exilio in Amblada, deq; Miraculo diuino ibi eius occaſione exhibito.*

De *Aëtij* è Mopſueſtia in Amblada exilio, déque Miraculo diuino eius occaſione ibi exhibito. Ait ſcilicet Philoſtorgius; Aëtium Mopſueſtiam in exilium miſſum (de quo *ſupra cap.*1) cum ab Auxentio Epiſc. humaniter haberetur, à Conſtantio Acacij operâ in Amblada inſulam in exilium miſſum. De *Auxentio* hoc Mopſueſtiæ Epiſcop. Suidas, *in verb.* Αὐξέντιος ex veteri aliquo authore: vbi & de Aëtio pariter aliquid adſpergit, ſic vt locus ille ex Philoſtorgio noſtro exſcriptus videri poſſit. In *Amblada* verò inſulam in exilium miſſum Aëtium ait, quo ſcilicet vitam ibi malè finiret: quandoquidem, quæ duo de Amblada notanda ſunt, hinc, Barbarum & miſanthropon hominum genus eam incoleret, inde bello peſte indeſinenter regio illa infeſtaretur. *Amblada* hæc, Piſidiæ ciuitas dicitur Artemidoro, & ex eo Straboni,

boni, *lib.*12 *pag.*392 (qui & Phrygiæ Cariæque ὅμορον facit) & Ptolemæo *lib.*5 *cap.*4: rectè enim Palatinus Codex ibi habet Ἄμβλαδα, non vt perperàm aliàs Ἄβδαδα. Inde & *vinum Ambladienſe* curationibus medicis vtile, de quo Strabo, *dict. lib.*12 *pag.*392: & Stephanus ex eo. Tauro vero monti ſubjecta ea ciuitas fuit, vt ex Strabone & Ptolemæo colligitur: vnde Epiphanius *hæreſi Anomæorum* 76 *num.*2 ait, Aëtium in ſubjectam Tauro monti regionem in exilium miſſum fuiſſe, ὑφίσαται ἐξορίαν ἐν τοῖς τοῦ Ταύρου μέρεσιν. Quod verò addit Philoſtorgius, Amblada indeſinenter bello afflictam fuiſſe, barbarúmque & miſanthropon hominum genus eam inhabitaſſe, proculdubio ad Iſauros & Iſaurica bella pertinet, quandoquidem & Iſauriæ olim hæc vicina fuit, vt ex Strabone & Ptolemæo quoque patet, & forte hoc æuo Iſauriæ iam pars, quo Iſauri latrocinijs dediti, ad grauia bella prorupeerant, vt ſcribit Marcellinus *lib.*14 *pag.*4 in geſtis anni 353, vt pote quibuſdam apud Iconium Piſidiæ oppidum in Amphitheatro feris objectis, ſic vt hac indignitate perciti Iſauri vicina ſibi loca, & in his Lycaoniam, Pamphyliam incurſarint: Quare vt latrones iam, non vt iuſti hoſtes feris objecti: quod Marcellinus teſtatur: vbi, ἐκ παρόδου, quod ait, id *præter morem factum*, non aliud ſignificat, quàm extraordinaria pœna, & quanquam penè crudeli, attamen latronibus conueniente. Obſeruandum interim exilij genus, in loca à Barbaris infeſtata. Sic & in Almyrida Eunomius Aëtij diſcipulus poſteà in exilium miſſus, quæ à Barbaris infeſtata mox & capta,

*lib.*10 *cap.*6 *infr.* Omitto alia. Sic & Ioannes Chryſoſtomus Cucuſum relegatus, eorundem Iſaurorum excurſionibus obnoxiam, de quo ipſe conqueſtus. ¶Subjicit tandem Philoſtorgius, Aëtio in Amblada in exilium miſſo Deum mala (bellum ſcilicet & peſtem) ſoluiſſe. Id quod Photius aliis Philoſtorgij falſimoniis adnumerat: & inter cætera, quæ Aëtianis & Arianis paſſim miracula tribuit, referendum eſt, de quibus iam ſæpe *ſuprà.*

¶Ad Cap. III. *De Eunomio Epiſc. Cyziceno facto.*

De *Eunomio* Epiſcopo Cyzici facto eſt hoc caput: de quâ Eunomij ordinatione rurſum *infrà lib.*6 *cap.*4, & Baſilius 1. *aduerſ. Eunom. pag.*4,*d*: Socrates, *lib.*4 *cap.*7: Theodoretus, *lib.*2 *cap.*27 *pag.*83, & *cap* 29 *pag.*85: Sozomenus, *lib.*4 *cap.*24 *in fin.* Suidas *in verb.* Εὐνόμιος. ¶Circumſtantiæ porrò huius Eunomij ordinationis à Philoſtorgio hæ adduntur. Primò, factam eam, poſt depoſitum (in Synodo ſcilicet Conſtantinopolitana) *Euſtathium*, de quo jam *cap.*1 *ſup.* Item poſt depoſitum Euſebium: Qui Euſebius ille videtur, quem pariter Socrates *lib.*1 *cap* 32 in Synodo Seleucienſi vna cum Euſtathio aliiſq; ἀκοινώνητον factum ait. Videri verò poſſit is Seleuciæ Syriæ, vel Sebaſtiæ Palæſtinæ Epiſcopus, qui ſubſcripti reperiuntur concilio Seleucienſi apud Epiphanium, *hæreſi* [illegible] *nu.*2: & cuius poſtremi mentio quoque apud Baſilium *de Spiritu ſancto cap.* 20. & Athanaſium inter ſubſcriptos Synodo Sardicenſi & Hieroſolymitanæ *Apolog.*2. Poſtremo ait, Eunomium ordinatum, poſt depoſitum *Eleuſium*: de quo Eleuſio

leuſio etiam infrà *lib.8 cap.17,lib.9 cap.13*: de eius nominatim depoſitione in Synodo Conſtantinopolit. Socrates *lib.2 cap.33 pag.605*: Theodoretus, *lib.2 cap.27 in fin.* Sozomenus, *lib.4 cap.23*. Facta igitur hæc Eleuſij depoſitio, & exinde Eunomij in locum eius ordinatio, ſub Conſtantio à Synodo Conſtantinopolitanâ, quod ſcriptores illi omnes dictis locis teſtantur: Et quidem ex Conſtantij Imp. decreto ait Philoſtorgius: ut ita id opponat accuſationi de Eunomij ordinatione, de qua *infra lib.6 cap.4*. Quare quod idem Socrates alio iam loco, *lib.4 cap.7*: & Sozom. *lib.6 cap.8*, & Suidas, referunt de Eleuſij depoſitione, & Eunomij ordinatione ſub Valente Imp. ab hac plane narratione id ſemotum eſt: de quo ad *lib.9 cap.13*. Secunda circunſtantia circa Eunomij ordinationem, eadémq; ad hiſtoriam Synodi Conſtantinopolitanæ pertinens, eſt, quod dicit, Eunomium à *Mari* & *Eudoxio* (ſic & ſupra junguntur *lib.4 cap.12*) Epiſcopum ordinatum: de Eudoxio & Eudoxianis à quibus Eunomius ordinatus, clarum id quoque ex aliis, Baſilio *dict.lib.1 pag.4 in fine*: Theodoreto *lib.2 cap.29*: Sozom. *lib.4 cap.24 in fine*: etiam ſub Valente, teſte Socrate *lib.4 cap.7*, cuius & Eudoxij præcipuæ partes in Synodo Conſtantinopolitanâ fuêre. De *Mari* quoque illud comperio, eum inter paucos qui è Bithyniâ inſuper ad Synodum Conſtantinopolitanam vocati fuêre, nominari à Socrate, *lib.2 cap.32 pag.603 in fine*: & Sozomeno, *lib.4 cap.23 pag.324*. Item eum cum Eudoxio in ſecundis Aëtio poſitos fuiſſe in Synodo Conſtantinopolitana *ſupra lib.4 cap.12*. Imò & tertium

illud addit Sozomenus *dicto loco*, Eleuſium ideò inter alia depoſitum, quod à Mari damnatos, cùm Cyzicum veniſſent, temerè ordinaſſet: ita enim locus ille intelligendus eſt, non vt perperàm omninò Interpres, *Quod viros ab Eccleſiâ condemnatos, qui Cyzicum venerunt, qualis fuit Maris Epiſcopus Chalcedonis qui huic Concilio intererat, temerè & ſine iudicio miniſtros Eccleſiæ inſtituiſſet.* Verba Sozomeni hæc ſunt: καὶ ὡς ὑπὸ (ita repono, loco ὥσπερ) Μάρι τοῦ Χαλκηδόνος Ἐπισκόπου, ὡς ἐκοινώνει ταύτης τῆς συνόδου ἄνδρας κατεγνωσμένους εἰς Κύζικον ἀφικομένους ἐχειροτόνησεν ἀκρίτως. Hinc igitur forte Maris iſtius præcipuæ partes in Eleuſio abdicando, & Eunomio eius loco ordinando fuêre. Tertia circunſtantia circa Eunomij ordinationem hæc additur à Philoſtorgio, quòd Eunomius ſui ordinationem haud aliter admiſerit, quàm ſponſione, pollicitatione, ὑπόσχεσει, à Mari & Eudoxio factâ, *Aëtium & exilio & depoſitione ſolutum iri: & quidem intra tres menſes.* Hæc vero illa ὑπόσχεσις ſeu ſponſio eſt, hoc juſiurandum, *de Aëtio liberando, reuocando*, quod Eunomius, quod Philoſtorgius, Eudoxio non impletum exprobrant: *infra lib.6 cap.1: lib.7 cap.5: lib.8 cap.4.* De hac verò promiſſione nihil cæteri ſcriptores: Imò contra Theodoretus *lib.2 cap.29 in principio*, Eunomium quoque Aëtij abdicationi cum aliis aſſenſum, & ideò Epiſcopum ordinatum ſcribit. Cui contraria planè memorat Philoſtorgius *lib.6 cap.3.*

¶ AD CAP. IV. *De Conſtantij infelicitate aduerſus Perſas, eiuſq; cauſis.*

De *Conſtantij* aduerſus *Perſas* infelicitate, de quâ veteres

veteres paſſim, & ſummatim Oroſius, *libro 7 cap.29,* eum *nouem prælijs parum proſperè aduerſus Perſas decertaſſe,* Philoſtorgij iudicium continetur hoc cap. Duas ſcilicet infelicitatis huius cauſas reddit: priorem, quod cognato ſeu gentilitio ſanguine ſeſe contaminaſſet, ὁμογνίῳ λύθρῳ δεξιὰν ἐξεμίανε. Quibus verbis intelligit non tam Conſtantij, Dalmatij & Annibaliani patruorum & patruelium necem, quàm Galli Cæſaris potiſſimùm cœdem, de quâ *lib.4 cap.1* iuncto *vlt.cap. lib.3*: cuíque Philoſtorgius fauit, vt ex dictis locis apparet; & cuius fortitudinem aduerſus Perſas effert *dict.cap.vlt.* Idem porrò Iuliani iudicium *epiſt. ad Senatum populumq; Athenienſem pag.498,* vbi Conſtantium ipſummet de Galli cœde pœnitentem ſic inducit: ἀπαιδίαν τε ἐντεῦθεν νομίζει δυστυχεῖν, τά τε ἐς τοὺς πολεμίους Πέρσας οὐκ εὐτυχῶς πράττειν ἐκ τούτων ὑπολαμβάνει. ταῦτα ἐθρύλλουν οἱ περὶ τὴν αὐλὴν τότε: vbi & addit, Conſtantium vocaſſe Gallum τὸν μακαρίτην ἐμὸν Γάλλον, τοῦτο νῦν πρῶτον ἀκούοντα τὸ ὄνομα. Alteram infelicitatis Conſtantij aduerſus Perſas cauſam hanc adſignat Philoſtorgius, nempe ob Aëtium, Theophilum, Serram exilio pulſos, de quo *ſup.lib.4 cap.8.* Ita ſcilicet Philoſtorgius de ſuo ingenio iudicat, qui Aëtianus erat, & Theophili iſtius ſtudioſus. Catholicorum verò proculdubio olim iudicium planè contrarium fuit, nempe hanc Conſtantij aduerſus Perſas infelicitatem proceſſiſſe ob Arianam fidem: quod rectum eſt Baronij quoque iudicium *ann.359 num.120.* ¶ Cæterum, cur hoc loco Philoſtorgius iſtud interjicit? Nempe, quia Conſtantius hoc anno ipſo 360 aduerſus Perſas

poſt adultum ver mouere cœpit,& verò mouit poſt autumnale æquinoctium: de quo Marcellinus,*lib.20 a pag. 181 ad finem libri & pag.196.* Hinc adeò Hierapoli data ab eo hoc anno 16 Kalend. Iun. *lex 6. Cod.Theod. de erogat.mil. ann.* Vbi ærumnoſam perpeſſus eſt æſtatem diuque deflendam, vt diſertè Marcellinus *dicto loco ſub finem libri* 20: indeque vano incepto omiſſo hyematurus Antiochiam rediit in Syriam: de quo *infra cap.prox.* ¶ De infelicitate Conſtantij Imp. aduerſus Perſas,Philoſtorgij, & ſic hæreticorum iudicium,vidimus: At Gentiles huius infelicitatis cauſam repetunt ob Templa Gentilium diruta, priuatíſque donata: Ita ſanè Libanius *Orat.pro templis pag.* 23: quem vide & *in Iuliani necem,pag.*309,310,311, de Conſtantij aduerſus Perſas infelicitate.

¶AD CAP. V. *De Meletio Antiochiæ Epiſc.in exilium miſſo, & ſubſtituto ei Euzoio.*

De *Meletio* Epiſcopo Antiocheno in exilium miſſo,& ſubſtituto ei inuicem *Euzoio* : de quo Epiphanius quoque *hæreſi* 73 *pag.*882: Hieronymus *Chronico ann* 361: Socrates,*lib.2 cap.*34: Theodoretus, *lib.2 cap.*3: Sozomenus, *lib.* 4 *cap.*27. Quod *locum* primo in quo hæc facta,& per hoc tempus quo id peractum attinet, ait Philoſtorgius id factum Antiochiæ Conſtantio Imp. ibi agente. Atenim Conſtantius nonniſi hyeme ſub finem anni è procinctu Perſico Antiochiam venit: teſte Marcellino *lib.20 pag.* 191. Quare referendum illud fuerit, vel ad finem anni 360, vel ad initium anni 361. Quod *cauſam* depoſitionis Meletij

Meletij attinet, ait Philoſtorgius, depoſitum eum propter *ὁμοουσίου* prædicationem, quod etiam Socrates ſcribit *dict. cap.* 34, & Theodoretus *dict. cap.* 31, qui tamen addit, prætextum quæſitum ab Arianis quaſi Sabellianus eſſet, quæ hæreſis ſtatuebat, *Patrem & Filium eſſe μονοούσιον ἢ ςπάτορα*, Patrem ſcil. Filium & Spiritum ſanctum eſſe vnam eandémque perſonam. Addit Philoſtorgius, Meletium abdicatum ob perjuria vel mendacia, ὡς ἐπιορκίαις ἁλόντα (quo nomine Photius Philoſtorgium impium vocat) ſcilicet quod cùm *ἑτερούσιον* præ ſe ferret, *ὁμοούσιον* tamen prædicaret, de quo *ad cap.* 1 *huius libri*. Iſtud ſcilicet ex Arianorum ore habet Philoſtorgius, quomodo & illud inde profectum quod memorat Epiphanius *hæreſi* 73 *num.* 35 *pag.* 883. nempe ætate ſuâ nonnullos ſiue odio ſiue inuidiâ in Meletium motos, ſtudióque ſua in majus tollendi, neſcio quæ parum ſecunda de eius famâ ſparſiſſe, puta non ob Catholicam fidem has in illum turbas conflatas, verùm ob Eccleſiaſtica quædam negotia jurgiáque quæ inter eum & clericos interceſſerant: item quod nonnullos ad communionem admiſiſſet, quos ipſe olim anathemate damnauerat. Certè Hieronymus quoque *Chronico* ait, eum in exilium miſſum fuiſſe, quod presbyteros ab anteceſſore ſuo Eudoxio depoſitos ſuſcepiſſet. At longe atrocius adhuc Philoſtorgius, qui ob perjuria depoſitum ſcribit & exinde in exilium miſſum. Quod *locum exilij* attinet, ait Philoſtorgius, Meletium in patriam Melitenem pulſum. Quod Epiphanius quoque *hæreſi Semi-Arianorum* 73 *nu.* 34: & Theodoretus *lib.* 2 *cap.* 31

diſertè ſcribunt, *εἰς τὴν οἰκείαν ἐξοστρακισθῆναι πατρίδα*: vbi contrario planè ſenſu Interpres vertit *Meletium patriæ ſedibus expulſum*. Huius in Melitenem exilij alterum exemplum vide apud Sozomenum *lib.6 cap.6*. Melitene porro vrbs fuit in Armeniâ inferiore, vt teſtatur Ptolemæus, *lib.5 cap.7*: Ammianus Marcellinus *lib.19 pag.157,186*, in huius ipſius anni 360, & ſuperioris 359 geſtis: Sozomenus, *dict. lib.6 cap.6*. In Itinerario Peutingeriano malè expreſſum *Melentenus*. Memoratur & in eadem Armeniâ minore in Itinerario Antonini. Cappadociæ eam olim adſcrebat Strabo *lib.11 & 12*, & ex eo Stephanus *de vrbibus*. De hac eadem Melitene vide & *lib. 11 cap.1 verſu* 1. Et hæc de Meletij depoſitione & exilio. ¶ Quod *Euzoium* verò attinet, qui ei in ſede Antiochenâ ſubſtitutus, ait Philoſtorgius, eum Arij *συναιρεσιώτην* fuiſſe, quod certiſſimum quoque ex Athanaſio non vno loco, Epiphanio, Socrate *lib.2 cap.34*: Theodoreto, *lib.2 cap.3*: Sozomeno, *lib.4 cap.27*. De hoc eodem Euzoio agitur *infra lib.6 cap.5*: *lib.7 cap.5,6*: *lib.8 cap.2,3,7*.

IN LI-

IN LIBRVM SEXTVM.

¶ AD CAP. I. *De Eunomij apud Eudoxium accuſatione, eiuſq; defenſione.*

DE *Eunomij* apud *Eudoxium* accuſatione, eiuſdémque defenſione A.D.361, atque adeò Eunomij fidei ἐκθέσει ſuper Filij diſſimilitudine, eſt hoc caput cum duobus ſequentibus. Porrò antequam ſingula huiuſce libri capita illuſtro, & quatuor quidem priora quæ ſunt omnia de Eunomio: obſeruandum illud, Philoſtorgium, exinde à libro quinto ſuperiore, & nunc deinceps, in eo verſari, vt Eudoxium (pariter vt Euzoium *lib.7 cap.5,6:lib.8 cap.2,7:lib.9 cap.3 &* 4. Acacium *lib.6 cap.4*, & Demophilum *lib.9 cap.10,13,14,19*) culpet, in his quæ Aëtium & Eunomium ſpectant, & vt penes eos, ac nominatim penes Eudoxium, ſchiſmatis, χωρισμοῦ, culpam collocet. Nempe enim oſtendit, quamlibet Eudoxius ipſe Eunomium Cyzici Epiſcopum ordinaſſet *lib.5 cap.3*: Quamlibet Eunomio ſpopondiſſet ſtipulanti, Aëtium reſtituiri *lib.5 cap.3 & hoc ipſo cap. lib.7 cap.8 : lib.8 cap.4 : lib.9 cap.3* : Quamlibet Eunomium aliquando apud ſe accuſatum abſoluiſſet, imò eandem cum ipſo doctrinam, de Filio videlicet diſſimili ſecundùm ſubſtantiam, profeſſus fuiſſet, de quo hoc ipſo *libro ſexto cap.1 & 3* : Quamlibet Eunomius iuſſu eius Antio-

chiæ feſto Theophaniarum apud populum ſermonem habuiſſet, in quo doctrinam ſuam profeſſus eſt, *hoc libro cap.2* : Quamlibet Eudoxius Eunomium laudibus extuliſſet, *hoc libro cap.3* : Quamlibet (cùm ei perſuadere non potuiſſet, vt Aëtij abdicationi & Ariminenſi fidei ſubſcriberet, eáque occaſione Eunomius Cyzicenum Epiſcopatum relinquere maluiſſet : *hoc libro, capite tertio*) ſub Iuliano apud Euzoium pro reſtituendo Aëtio inſtitiſſet, *lib 7 cap.5* : Quamlibet Aëtij à ſuis Conſtantinopoli ordinationi refragatus non fuiſſet, imò & calculum præbuiſſet *lib.7 cap.6*. Attamen ſub Iouiano & Valente, cùm hactenus vnitatis ſpem feciſſet, contra feciſſe, & apertè propriâ hæreſi conſtituta in contrarias Aëtio Eunomióque partes tranſiiſſe, *lib.8 cap.2 & 4* : & exinde Candidum & Arianum Epiſcopos ab Aëtio ordinatos impetiiſſe, *lib.8 cap.7*. Cúmque ſub Valente poſſet promiſſionibus ſuis de Aëtio reſtituendo ſatisfacere, tùm Aëtium tùm Eunomium conuiciis proſcidiſſe, *lib.9 cap.3* : cúmque abſente eo clerus Conſtantinopolitanus Aëtium vrbe expelli decreuiſſet, déque eo ab Aëtio certior factus fuiſſet, non ideò tamen commotum fuiſſe *lib.9 cap.7*, imò & Eunomij congreſſum cum Valente quem Imp. petierat, impediuiſſe, *lib.9 cap.8*. Inde igitur iam Aëtium & Eunomium ab Eudoxio & Euzoio diſceſſiſſe, & Conſtantinopoli relictâ in agros ſuos receſſiſſe ſcribit *lib.9 c.4*. Tandem & ſubitam Eudoxij mortem hiſce omnibus haud obſcurè imputare videtur *lib.9 cap.8*. Et hæc omnia, vt dixi, Philoſtorgius Eunomianus, vt noui

noui ſchiſmatis χωρισμοῦ culpam in Eudoxianos deriuet: Quam alij tamen penes Eunomium & Aëtium collocant: & quidem ideò nominatim, quod Aëtium Eunomij magiſtrum Eudoxius in communionem non admitteret. Socrates, *lib.4 cap.12*: Theodoretus, *lib.2 cap.29 pag.85 in fin.* Sozomenus, *lib.6 cap.26 pag.391 in princ.*

De primo iſto huiuſce libri ſexti capite nunc videamus, quod ſcilicet eſt de Eunomij apud Eudoxium accuſatione eiuſdémque defenſione, fideíque ἐκθέσει apud clerum Conſtantinopolitanum, ſecutáque eius abſolutione. De hac verò Eunomij accuſatione apud Eudoxium à Cyzicenis agit quoque Socrates *lib.4 cap.7*: Sozomenus, *lib.5 cap.26 pag.390*, qui id tamen ſub Valente narrant: & Theodoretus *lib.2 cap.29*. Quod cauſam ſeu titulum accuſationis Eunomij attinet, tres enumerat Philoſtorgius. Primam, quod *ἀνόμοιον diſſimilem Patri Filium* induceret: Quod qua mente ab eo diceretur, mox explicat: nempe, quod diſſimilem Patri Filium eſſe neceſſe ſit, vt pote cùm μονογενὴς hic θεὸς καὶ υἱὸς ſit Patris, qui ipſum ſine paſſione genuit: Illud ſcilicet intelligens, quod & Epiphanius *hæreſi Semi-Arianorum 73 pag* 848, 858, 862, 873 &c. Baſilius *lib.1 & 2. aduerſ. Eunom.* Gregorius Nyſſenus in *Eunomium*, pluribus referunt & refutant, non eſſe Filium Patri ſimilem, ſicut ingenitum ingenito, verùm ſicut genitum: & ſic geniti Filij & ingeniti Patris diſſimilem eſſe naturam, & ὑπεζευγμένον. Item illud quod Baſilius, *lib.2 aduerſ. Eunomium*: & Nyſſenus *Orat.3.* velut dilutum & infra Maieſtatem Filij, pluribus

refutant, Filium genitum ἀπαθῶς, ἔξω πάθους, vt ita ſi Patris appellatio addatur, ἡ τοῦ πάθους ἔννοια non adſumatur. Quare & Theodoretus *dict. loco* indicat, Eunomium accuſatum, quod diceret, κεκτῆσθαι τὸν μονογενῆ τοῦ θεοῦ υἱόν. Et Socrates quoque id ipſum haud obſcurè indicat, quódque argutiis Dialecticis vteretur, & λεξικῷ τύφῳ: vbi agit quoque de Notitiâ Dei, quam certiſſimam ſibi vindicabat: de quo iam ſuprà. Sozomenus etiam ὡς νεωτέρων δογμάτων εἰσηγητὴν accuſatum Eunomium refert. Et defenſionem tamen hîc eius ingreditur Philoſtorgius, cùm ait Eunomij accuſatores in argumentum & accuſationem εἰς κατηγορίαν ἀνομοιότητος totalis ſcilicet traxiſſe, quòd Eunomius diceret, κατά τι ſcil μὴ κατ᾽ οὐσίαν ὅμοιον: & vt ipſemet Eunomius poſtea explicat, τὸ μέν τοι ἀνόμοιον (ita enim reponendum) τὴν οὐσίαν λέγειν τῷ πατρὶ τὸν υἱὸν, καὶ μὴ ὁμοιότατον φρονεῖν. Quare iniuriam Eunomio hac parte illatam vult Philoſtorgius, quod & abſolutè *anomœus* haberetur, & vero ita dictus fuerit, quod & ipſemet rurſùm imputat infrà *lib. 9 cap. 13*. Certè Eunomij hæc doctrina fuit, Filium vnigenitum, etſi κατ᾽ οὐσίαν Patri ἀνόμοιον (ita enim etiam hic *fine cap.* legendum) attamen Patri ὅμοιον eſſe, eximia quadam ſimilitudine propriáque notione, κατ᾽ ἐξαίρετον ὁμοιότητα, καὶ τὴν ἰδιάζουσαν ἔννοιαν, & ſicut alioquin Filius Patri ſimilis eſt: de quo Nyſſenus *aduerſ. Eunomium*, inde à *pag.* 46 & vt mox *fine huius cap.* dicitur, καὶ τοὺς μονογενεῖ θεῷ πρὸς τὸν ἀπαθῶς γεγεννηκότα πατέρα προσήκοντας λόγους.

Secundus accuſationis Eunomij titulus fuit, quòd veteres mores mutaret, καὶ τὰ παλαιὰ δὲ μετακινεῖν ἔθη. Quod

forte

forte intelligendum de diuersâ baptiſmatis ratione: de quo *infra lib.*10 *cap.*4, vel de diuerſa diſciplina ἑτέρᾳ ἀγωγῇ, quam ab Eccleſiæ diſciplina diuerſam adinuenit, cuius σεμνότητι καὶ ἀκριβείᾳ πλείονι nouitatem velaret, τὴν καινότητα περιεπέτασε: de quo vtroque Sozomenus *lib.*6 *cap.*26.

Tertius accuſationis Eunomij titulus eſt, quod ſecum impiè ſentire nolentes peruerteret, καὶ τοὺς μὴ συνασεβεῖν ἐθελόντας διασκευάζειν. Διασκευάζειν, eſt quoque dolosè inſtruere & ſic *peruertere*, quomodo in verſione hic editum oportuit. Et tamen nonnullis neque hæc vox hic placeat, & forte reponendum, διασκεδάζειν, ídque pro διασκεδάζειν τὴν φήμην, famam alicuius diſcerpere, lacerare. Gregorius certè Nazianzenus, referente quoque Sozomeno *dict. lib.* 6 *cap.*27 id Eunomio imputat, quod damni loco duceret, ſi non omnes in eandem ſecum perniciem raperet συνεφελκύσαιτο. Et hæc de titulis accuſationis. ¶ *Tumultum* verò, quod ſecundum huius tmematis caput eſt, Eunomij occaſione exortum ait Philoſtorgius, Conſtantinopoli commouente eam presbytero quodam in eâ Heſychio. At Cyzici tantùm tumultum obortum, atque ideo ea expulſum Eunomium Conſtantinopolim fugiſſe ſcribit Socrates, *lib.*4 *cap.*7. De tumultu Conſtantinopolitano nemo alius, vti neque de Heſychio hoc presbytero. ¶ Addit Philoſtorgius, Eunomium Eudoxio exprobraſſe, quod ſponſioni ſuæ ſeu promiſſioni nondum ſatisfeciſſet, de qua *ſupra lib.*5 *cap.*3. Ita enim hic locus accipiendus, ad eámque mentem vertendus eſt. Eudoxium verò ad hæc apertè dixiſſe, *non hæc ſibi curæ eſſe.*

Quibus Eudoxium Philoſtorgius,vt initio monui, perfidiæ incuſat. Certè Theodoretus quoq; *lib.2 cap.29* narrat, quomodo Eunomius Eudoxium proditionis accuſauerit,ſibíque & Aëtio iniuriam factam dixerit. ¶Subjicit Philoſtorgius Eunomij defenſionem: quâ,vt antea dixi, mentem ſuam & ſententiam explicat,nempe diſſimilem quidem ſe Filium Patri ſecundùm ſubſtantiam dicere, & ſe non ſimillimum putare, verùm ſimilem ſecundùm Scripturas,& ſecundùm rationem quæ conueniat vnigenito Filio Dei cum Patre, qui ſine paſſione eum genuit: Ita enim hic locus conſtituendus, emendandus, vertendúſque eſt, ἀλλά γε καὶ ὅμοιον κατὰ τὰς γραφὰς ἀνακηρύττειν ἐπαῤῥησιάζετο. τὸ μὲν γὰρ τοι ἀνόμοιον (male ὅμοιον) κατὰ τὴν οὐσίαν λέγειν τῷ πατρὶ τὸν υἱὸν, καὶ μὴ ὁμοιότατον φρονεῖν, ὅμοιον δὲ (hæc addenda) κατὰ τοὺς μονογενεῖ θεῷ πρὸς τὸν ἀπαθῶς γεγεννηκότα πατέρα προσήκοντας λόγους. Locúſque adeò hîc ita vertendus, *verùm etiam ſimilem ſecundùm Scripturas liberè prædicauit: Etenim diſſimilem ſecundùm ſubſtantiam Patri Filium dicere ſe, neque ſimillimum ſapere, verum ſimilem ſecundum rationem quæ conueniat vnigenito Deo cum Patre qui ſine paſſione genuit.* Quod autem ibi dicitur, Eunomium liberè prædicaſſe, *Filium Patri ſimilem ſecundùm Scripturas*, id verò tempori ſeruiens Eunomius dixerit, quandoquidem mox idem Ariminenſi fidei, quò hoc definiebatur, ſubſcribere noluiſſe dicitur, *cap.3.* ¶Quod exitum huius accuſationis & defenſionis Eunomij, qualem deſcribit Philoſtorgius, attinet, nihil tale alibi occurrit. Socrates enim hactenùs ait, Eunomium à Cyzicenis pulſum Conſtantinopolim ſeſe rece-

recepiſſe, ibíque cum Eudoxio ætatem egiſſe χολαῖον ἐπίσκοπον. Theodoretus *dict. loco*, poſt Eudoxij accuſationem ait, Eunomium exinde conuentus ſeparatos habuiſſe: Quæ planè aduerſantur iis quæ duobus proximis capitibus à Philoſtorgio narrantur. Sozomenus tandem ſcribit ea quæ mox proponam.

¶AD CAP. II. *De Eunomij doctrina circa Ioſephum, Filium Dei, & Spiritum ſanctum*, &c.

Ad *Eunomij* proceſſum, exitúmque accuſationis eius apud Eudoxium, Conſtantinopoli, & hoc caput pertinet: quo ſcilicet oſtenſum uoluit Philoſtorgius, quàm Eudoxius nihil in doctrina Eunomij arguerit, atque adeò (nam hic finis eſt) parùm iuſtas ab eo recedendi χωρισμοῦ cauſas habuerit. Ait igitur, Eunomium iuſſu Eudoxij apud populum ſermonem habuiſſe Conſtantinopoli, ídque feſto Theophaniarum. Quod idem refert Sozomenus, *lib. 6 c. 26*, ſcil. Eudoxium Eunomio Conſtantinopolim excito poteſtatem feciſſe τῷ λαῷ προσομιλῆσαι περὶ τοῦ δόγματος: neque quidquam in eo reprehenſione dignum deprehendiſſe, & ideò hortatum, vt Cyzicum rediret: Vbi addit, Eunomij & Eudoxij doctrinam detectam, quam ſuis verbis exponit & traducit, non Philoſtorgius iam, verùm Photius: Nempe tria infanda hæc notat, ab nefandis illis tradita. Primò, *Ioſephum B. Virgini coniunctum fuiſſe poſt partum Saluatoris noſtri.* Quod vt de Aëtio, Eunomio & Eudoxio nuſpiam alibi proditum eſt, ita Dimœritarum & Andicomarianitarum hæreſeos id extitit, cuius authorem quidam Apollinarem ſenio-

rem vel eius diſcipulos faciebant, teſte Epiphanio *hæreſi 77 num.26 & 78*: & Heluidianorum, apud Auguſtinum *de hæreſibus* 84. Hieronymum: vide & Ambroſium *lib.1 epiſt.5 & 7.* Interim ex hoc Photij loco apparet, iam olim *impiam atheamq́;* doctrinam habitam, τὸ δυσσεβὲς καὶ ἄθεον μάλιστα, quâ B.Maria non ἀειπάρθενος habita. Pariter vt ſecundum iſtud, quòd Eunomius & Eudoxius vocabant *Filium haud vilem Patris ſeruum & miniſtrum*, καὶ τὸν υἱὸν ἀναιδέστερον τοῦ πατρὸς δοῦλον καὶ ὑπηρέτην, ſeu ὑπουργόν, vt apud Baſilium *lib.1 aduerſ. Eunomium pag.60*: & Epiphanius refert *hæreſi 73 num.12*: quod & Demophilus Epiſc. Conſtantinopoli aiebat, teſte veteri quoque ſcriptore apud Suidam, *in* Δημόφιλος: δοῦλον, vt ſcribit Iſidorus Peluſiota *lib.1 epiſt.246*: qui idem *lib.3 epiſt.334* ait, Eunomium dixiſſe, ὅτι τῶν προσκυνούντων ἐστὶν ὁ υἱός, *quod Filius ex adorantium numero eſſet.* Sic & Spiritum ſanctum Macedonius vel Marathonius διάκονον καὶ ὑπηρέτην vocabat. Sozomenus *lib.2 cap.26.* vide & Hieronymum *aduerſ. Luciferianos.* Ἀναιδέστερον autem δοῦλον &c. verti *haud vilem*, poſſis & forte melius, *haud pænitendum, haud pudendum.* Tertium ſeu poſtremum in Eunomio & Eudoxio hic reprehenditur velut impium, quod Spiritum Filij φοβερὸν auſi ſunt dicere: vbi putet quis legendum φορετὸν vel φόρετρον: Spiritum enim Filij *Mittendarium* dicebant Arius & Eunomius, vt teſtatur Rufinus *in expoſ. Symboli*, vel vt Auguſtinus *contra Maximianum*, mitti eum à Filio: quod & Nyſſenus notat *Or.ıı.1 pag.66.* Nempe hæc inter alias Eunomij hypotheſes fuit, Spiritum Sanctum à Filio creatum, creaturam creaturæ eſſe, opus operis,

operis, ποίημα, κτίσμα, Filium ποιητὴν τοῦ πνεύματος: quod præter Philoſtorgium ipſe Eunomius profitetur apud Baſilium *lib.2 pag.76*: & *toto lib.3 & 5*: Gregorius Nyſſenus *contra Eunomium*: Theodoretus *de hæreticorum fabulis*: & Nicetas *theſaur.orthod.fid.lib.5 cap.37.* Eadémque & Arij hypotheſis fuit: vide Epiphanium, Auguſtinum, Didymum. Quod vero dixi φορετὸν vel φόρετρον hic reponi poſſe, poſſis & φυτουργὸν vel πρωτουργὸν legere: Nempe, Eunomius Spiritum Filij μονογενοῦς πρῶτον καὶ κράτιστον ἔργον, προὔχοντα vocabat: de quo Gregor. Nyſſenus *Orat.1. aduerſ.Eunom. pag.65,66.* ¶Quod vltimo loco hîc ſubjicitur, de Eunomij & Eudoxij, ac proinde & Aëtij, ſtylo & charactere, id conteſtantur & ipſamet Eunomij ſegmenta, quæ apud Epiphanium, Baſilium: vide & Suidam *in verb.* Εὐνόμιος, vbi ſimilia occurrunt.

¶AD CAP. III. *De exitu accuſationis Eunomij apud Eudoxium*, &c.

De *Eunomij* apud Eudoxium accuſationis & defenſionis Conſtantinopoli (de quo *cap.1 ſupr.*) conſectariis eſt & hoc caput. Quod & ipſum Philoſtorgius propoſuit, vt Eudoxio inuidiam faceret diſceſſionis, χωρισμοῦ, ab Aëtio & Eunomio, contrà ad laudem Eunomij, qui ſcilicet tenax propoſiti manſiſſet. Nempe ait, Eudoxium, poſt multas Eunomij laudes, nihil eorum quæ pollicitus fuerat præcipere exequíque cogitaſſe, imò contra, ipſi perſuadere conatum, vt ſcripto, *& Aëtij abdicationi & Ariminenſi fidei* ſubſcriberet. Quod vtrumque nefarium & improbum apud Aëtia-

nos (in quibus & Eudoxius fuit) erat. Verum fruſtrà inquit: atque ideò Eunomium Cyzico relicta ad patriam ſuam Cappadociam conceſſiſſe. Quod poſtremum iſtud attinet, certè Sozomenus quoque *lib.6 cap.26 pag. 391 in princ.* refert, Eunomium Cyzicum reliquiſſe, etſi Eudoxius eum ad capeſſendam eam hortaretur, addita cauſa, quod nollet in poſterum verſari cum his quos haberet ſuſpectos, τοῖς ἐν ὑπονοίᾳ αὐτῷ γενομένοις συνεῖναι. Quod prius attinet, ad Eudoxij, vt dixi, vituperium, id ſcribit Philoſtorgius: Quando ille quamlibet Aëtianus conatus ſit rem Aëtianis indignam, imò vt ait, τὸ ἔκθεσμον αὐτοῖς καὶ ἀθέλητον (forte ἀθέμιτον, vel ἀθέλιμον) Eunomio perſuadere; nempe vt Aëtij abdicationi, & Ariminenſi formulæ, quâ *ſimilis Filius ſecundum Scripturas* declaratus fuit ſubſcriberet: Hæc videlicet duo maximè abhorruêre Aëtiani, Aëtij contra reſtitutionem, & Ariminenſis fidei abrogationem maximè vrgentes. Et tamen Eudoxius hoc tempore, quamlibet Aëtianus, id egit, vt Eunomius his duobus ſubſcriberet, εἰς τὸ τῆς οἰκονομίας πρόσχημα id καταρυθμίζων: id videlicet agens ſeu concinnans vti rebus ſuis conſuleret, temporíque inſeruiret, quo fine multa καταρυθμίζεσθαι concinnari, aptari, fieri, mos eſt ab iis, quos ideò χρονίτας dictos ſuprà iam notaui. Contrà laudi id ducit Eunomio hîc Philoſtorgius, quod inter χρονίτας huiuſmodi nomen ſuum referre noluerit, quin grauiter ferens quæ apud ipſum Eudoxius vrgebat conſtanter renuerit, atque ideò Cyzicum ſeu Epiſcopatum ſuum derelinquere maluerit (ſcripto id etiam profeſſus) patri-

patriámque adeò ſuam Cappadociam priuatus repetere, quàm rem Aëtiano indignam admittere; puta Aëtij abdicationi & Ariminenſi fidei ſubſcribere, quidquamue εἰς οἰκονομίας πρόσχημα καταῤῥυθμίζειν. ¶ Quod Eunomij patriam Cappadociam attinet, de eâ quoque *lib* 3 *cap.*20, *& inf.lib.*10 *cap.*6, *&* 11 *cap.*5: & Sozomenus *lib.*7 *cap.*17: vt proinde Sozomeni fides his quoque Philoſtorgij teſtimoniis ſtet: Ita quidem, vt & idem Dacoram Cappadociæ vrbem Eunomij patriam dicat, pariter vt hic noſter *lib.*10 *cap.*6: vide & *lib.*11 *cap.*5. Baſilius tamen Galatam vocat *lib.*1 *aduerſ.Eunom.in princ.pag.*2. Vnde colligere mihi videor, modò Galatiæ, modò Cappadociæ Dacoram adſcriptam.

¶AD CAP. IV. *De Acacij & Conſtantij Imp. geſtis aduerſus Eunomium*, &c.

De *Acacij* Cæſareæ Epiſcop. & Conſtantij Imp. geſtis A.D.361 Antiochiæ aduerſus Eunomium: déque Synodo Antiochenâ, eſt hoc caput. Ait Philoſtorgius, Acacium in Eunomium commotum, eò quod Epiſcopus Cyzici ordinatus fuiſſet, eo quoque nomine Eudoxium calumniatum, Conſtantiúmque eò perduxiſſe, vt Eunomium Antiochiam arceſſeret, Synodúmque ibi cogeret, in quâ Eunomius rationem factorum redderet: verùm cúm accuſator Acacius non comparuiſſet, Conſtantium eum pro ſuſpecto habere cœpiſſe, rémque ad maiorem Synodum reieciſſe. Vbi primò notandum, quod, quemadmodum pluribus huius hiſtoriæ ſuæ locis hunc ſibi finem Philoſtorgius propoſuit, vt oſtende-

ret,ſchiſmatis χωρισμῦ culpam non in Eunomio reſidere,verùm in Eudoxio Conſtantinopolit. (de quo ſemel dixi initio huiuſce libri) vt & in Euzoio Antiochiæ Ep. de quo *lib*.7,8,9, ita & hoc *cap*. in Acacio quoque Cæſareæ Epiſc. Hoc primum. Secundò notetur, Acacium, Eudoxium in inuidiam vocaſſe, accuſaſſéque,ob Eunomij in Epiſcopatu Cyziceno ordinationem,duplici nomine: & quod citra communem conſenſum id feciſſet, & quod Aëtij diſcipulum ordinaſſet, qui magiſtrum ſuum zelo in hæreſim feruidiſſimo ſuperare ambiret. Id quod certe poſtea euenit; cùm obliterato fermè Aëtij nomine, hæreſis de Eunomij potius nomine deſignari cœpit,quod & ſcriptores Eccleſiaſtici notant.

Tertiò obſeruetur, ab Acacio (de cuius apud Conſtantium authoritate iam ſupra dixi, quámque mox indicat Philoſtorgius, cum ait,eum exiſtimaſſe, ſeſe ſolâ calumniâ apud Imperatorem Eunomium pro poteſtate oppreſſurum) perlatam hanc querelam ad Conſtantium Antiochiæ verſantem, & ideò Synodum Antiochiæ coactam. Quod ad temporum rationem apprimè facit: Conſtantius enim cùm Antiochiam ſub finem anni 360 perueniſſet (de quo *ſupra*) ibidem quoque ſubſtitit A.D. 361, quò iſtud referendum eſt, vt ex Socrate quoque liquet, *lib*.2 *cap*.35. De qua Conſtantij Antiochiæ morâ fidem quoque facit *lex 16 Cod.Theod.de Epiſcopis*: Ammianus Marcellinus *lib*.20 *in fin*. Theodoretus, *lib*.2 *cap*.30,31: Sozomenus, *lib*.4 *cap*.27,28. Ibi igitur concilium iſtud Antiochenum hoc anno 361 habitum: quod ipſum teſtantur

ſtantur Socrates *d.loco*: Theodoretus *lib.2 cap.*31: Sozomenus *dict.lib.*4 *cap.*28. De qua ipſa Synodo accipiendus & Athanaſius, *lib.de Synodis Seleuc.& Arimin.pag.*698: quæ quidem vltima Synodus Arianorum fuit ſub Conſtantio. His vero COSS. Tauro & Florentio, habitam hanc Synodum Conſtantio ibi conſiſtente, exerte ſcribit Socrates *dict.loco*: quo tempore fama de Iuliani rebellione ibi percrebuit, de quo infrà quoque *cap.prox.*5. At nemo ſcriptorum Eccleſiaſticorum quidquam huius memorat, de hoc inquam Acacij facto in Eudoxium & Eunomium, nemo de maiore Synodo Nicæam (de quâ mox) conuocandâ. Illud tantum & exertè aiunt, & Theodoretus quidem, Acacium & Conſtantium ibi & ὁμοούσιον & ἑτερούσιον damnari curaſſe. Et Socrates *lib.*2 *cap.*35: vt & Sozomenus *lib.*4 *cap.*28, Aëtij ſectatores cum Acacianis ibi ſeſe coniunxiſſe, vt *Filius Patri diſſimilis tum ſubſtantia tum voluntate* definiretur, ſeu παντελῶς diſſimilis, vt Athanaſius *de Synodis pag.* 698. Interim Theodoreti quoque, & poſt eum Baronij, error eſt, qui hanc Synodum Antiochenam refert ad A.D.360, & cum altera & anteriore Synodo Antiochenâ commiſcet, in quâ videlicet Meletius, paulò antè in ſede Antiochenâ ordinatus, quod certe factum anno illo 360, paulò poſt depoſitus & in exilium miſſus fuit, de qua Synodo *ſup.lib.*5 *cap.vlt.*

Quarto loco obſeruandum quod ait Philoſtorgius, Acacium ibi non comparuiſſe, atque ideò verſo iam pollice, à Conſtantio pro ſuſpecto habitum, quaſi per inimicitiam, non iuſto propoſito, accuſationem in-

ſtituiſſet aduerſus Eunomium. De Synodo tandem maiore ad quam hoc negotium remittere cogitabat Conſtantius, *cap.prox.*

¶AD CAP. V. *De Conſtantij aduerſus Iulianum expeditione*, &c.

De *Iuliani* aduerſus Conſtantium expeditione, déque *Conſtantij* morte eſt hoc caput. Ait Philoſtorgius, Conſtantium, famâ de Iuliani rebellione allata, Conſtantinopolim ilicò mouiſſe [Antiochiâ ſcil.] verùm morbo correptum eum apud Mopſucrenas,& ab Euzoio baptizatum,obiiſſe. In quibus conuenit ei cum cœteris ſcriptoribus,Ammiano Marcellino *lib.21 p.215*:Libanio,*in Iuliani necem pag.288*: Socrate, *lib.2 cap.vlt.* Theodoreto *lib.2 cap.vlt.* Sozomeno *lib.5 cap.1.* ¶Tria interim hîc quæ ad hiſtoriam Eccleſiaſticam pertinent notanda veniunt: Primò, quod ait, Conſtantium Antiochiâ digreſſum,& Conſtantinopolim ilicò perrexiſſe, & Synodum ſuper ἑτερουσίῳ Niceæ cogi decreuiſſe (quod & antea agitaſſe eum dixit *ſupra fine cap. prox.*) Quod quidem à nemine quod ſciam alio proditum extat. Secundò ait, ab Euzoio tùm baptizatum: quod & ipſum pariter proditum ab Athanaſio *lib. de Synodis pag.698* : Socrate, *lib.2 cap.vlt.* Poſtremo ait Philoſtorgius, Conſtantium morientem Synodos ad impietatem reliquiſſe. Quod quidem Philoſtorgius ait ex ſuo ſenſu : nempe in Conſtantio defeciſſe pias Synodos, quæ omnes certè Arianæ fuerunt. At contrà verum eſt,in Antiochena Synodo,de quâ *cap. ſuper.* & Conſtantij funere, impiarum reuera ſub Conſtantio

ſtantio Synodorum finem factum, quod Baronius quoque rectè notauit.

¶ AD CAP. VI. *De Honoribus à Iuliano delatis corpori Conſtantij.*

De *Honore* à Iuliano exhibito in funere Conſtantij. Ait Philoſtorgius, Iulianum cum Conſtantij corpus ad ſepulturam deferretur, ante feretrum proceſſiſſe, diademate de capite ſublato, defunctúmque, cui ſuperſtiti vitam ereptam volebat moto exercitu, honore proſecutum. Quod exſcribit quoque Nicephorus, *lib.* 10 *cap.* 2 *pag.* 11: habent & acta Artemij 20 Octobris *cap.* 11. Et Libanius *Orat. funebri pag.* 289, ait, Iulianum manibus contigiſſe feretrum, omnibus regni inſignibus præter chlamydem depoſitis, πάντα βασιλείας σύμβολα πλὴν τῆς χλαμύδος ἀποῤῥίψας. Sed & Mamertinus in grat. act. ad Iulianum, *offenſarum gratiam faciens, induit fratrem, & cuius armis vitam impugnatum ſciebat, mortem eius ornauit, ac poſteà ipſe iuſta abſoluit.* Imò & Gregorius quoque Nazianzenus, ϛηλιτευτικῇ β *pag.* 119, exertè hunc Iuliani in Conſtantij funere habitum ſiue vi ſiue ſponte adſcitum deſcribit: ἀποκοσμήσαντα τὴν κεφαλὴν τοῦ διαδήματος: & addit, καὶ ὑποκύψαντα τῷ βασιλεῖ τὰ εἰκότα *demiſſo vultu Imperatori extremum officium præſtitiſſe.* Scilicet, vt cæteri nudatis capitibus aliquando funus præcedebant honoris cauſa, cuius exemplum apud Marcell. *lib.* 29 *p.* 420, ita Cæſares vel potius Imperatores ſublato diademate. Socrates *lib.* 3 *cap.* 1 nil aliud ſcribit, quàm Iulianum corpus Conſtantij Regiè ſepeliendum curaſſe, βασιλικῶς τιμήσας ἐκήδευσεν. Quod diadematis depoſitionem attinet,

Theodoſius Iun. ita Imp. relictis foris armis, depoſitóq; diademate Eccleſiam ingrediebatur, vt de ſe ipſemet profitetur, in actis *Concilij Epheſini, tom.5. cap.21.*

¶ AD CAP. VII. *De Reuocatis ab exilio per Iulianum, tum Aëtio, tum aliis.*

De *Reuocatis ab exilio* à Iuliano, ſtatim vt Imperator poſt Conſtantium extitit, tum Aëtio, tum cæteris qui propter Eccleſiaſtica dogmata in exilium pulſi fuerant: de quo & Hieronymus *aduerſ. Lucifer. tom.2*: Socrates *lib.3 cap.1 & 4*: Theodoretus, *lib.3 cap.4*: Sozomenus, *lib.5 cap. 2, & cap.5 duobus locis*: & Iulianus ipſemet *epiſt.26, & 45 & 52*. Inter alios verò Aëtius nominatim à Iuliano reſtitutus: cuius reſtitutionis epiſtola ipſa extat inter Iulianeas 31: Memorat eam & Sozomenus *lib.5 cap.5*; qui aperit quoque, quo conſilio id Iulianus fecerit. Porrò hanc Philoſtorgij narrationem velut huius libri ſexti vltimam memorat Photius diſertè in *Biblioth. num.40.* ¶ Illud verò adhuc notandum, quod Philoſtorgius ait, Aëtium, *qui propter Gallum periculum ſubierat* à Iuliano ab exilio reuocatum. Nempe hæc propenſi in Aëtium Iuliani ſtudij cauſa fuit, & verò hîc quoque redditur: quod ſcil. tanquam Galli conſcius accuſatus, mox & in exilium miſſus fuiſſet: de quo *lib.4 cap.8 ſup à*. Quomodo & viceuerſa idem Iulianus poteſtatem nactus, ab Euſebio, quíque cum ipſo erant iniuriæ circa fratrem Gallum admiſſæ, nempe quod cœdis ipſius authores fuiſſent, pœnas exegiſſe dicitur *ſup. lib 4 cap 1 in fin.*

IN LI-

IN LIBRVM SEPTIMVM.

¶Ad Cap. I. *De Perſecutione Chriſtianorum ſub Iuliano.*

AIt, *Iulianum* ſtatim vt Imperium arripuiſſet, per Edicta *Gentilibus* licentiam omnem quidquis in Chriſtianos moliendi feciſſe: & exinde omnis generis quæſtiones, cruciatus, Gentiles in Chriſtianos exercuiſſe. Atenim, contraria planè vno ore omnes alij ſcribunt, nempe imò Edicta publicata à Iuliano, ne Chriſtiani iniuriis afficerentur: teſtis vel Sozomenus, *lib.5 cap.5*, & ex eo Nicephorus, *lib.10 cap.5*. Contrariam enim planè viam ingreſſus eſt Iulianus ad peſſundandam rem religionémque Chriſtianam: de quo omni Oratio haud ita pridem ſcripta eſt, quæ *Iulianus* inſcribitur: vide & *infrà cap.4*.

¶Ad Cap. II. *De Georgij Alexandrini cæde.*

De *Georgij* Alexandrini cœde. Quâ parte conſentientes habet cæteros ſcriptores, Marcellinum, *lib.22*: Gregorium Nazianzenum, *in laudes Athanaſii*: Epiphanium, *hæreſi 76*: Socratem, *lib.3 c.2 & 3*: Sozomenum, *lib.5 cap.7*. Déque eadem cœde agit Iulianus ipſe *epiſt.10*. ¶Et cauſas eius cœdis duas adſignat Philoſtorgius, Aëtio addictus: priorem, quaſi ex vindictâ diuinâ, quod homodoxos coëgiſſet ſubſcribere libello aduerſus Aëtium: cuius facti nullibi præterea mentio occurrit, cùm tamen

àtrocia eius facta ediſſerant alij, & in his Athanaſius: de ſubſcriptione alioquin libello & condemnationi Aëtij *ſup.lib.4 cap.vlt.*& *lib.5 cap.1.* Certe, quod à Georgio aduerſus Aëtium factum ait, proculdubio factum id ad Synodicam epiſtolam, quæ ad eum *ῥητῶς* à Synodo Conſtantinopolitana emiſſa contra Aëtium eius diaconum, quæ extat apud Theodoretum *lib.2 cap.28.* Alteram Georgij Alexandrini cœdis cauſam reddit, quod in Gentilium res impetum feciſſet: In hoc verò iam conſentiunt alij, Marcellinus *dict. lib.22*: Sozomenus, *lib.4 cap.vlt.* & *lib.5 cap.7*: Socrates, *lib.3 cap.2.* ¶ Illud verò iam ex Arianorum peculio habet Philoſtorgius (quem ideò *impium* hic vocat Photius) quod ait, Georgij cœdi & Athanaſij ſententiam ducatum præbuiſſe. Certe Socrates quoque *lib.3 cap.3.* & Sozomenus, *lib.5 cap.7.* & exinde Nicephorus, *lib.10 cap 6 pag.19*, famam percrebuiſſe aiunt, vel Arianos id ſibi perſuaſiſſe, quod Georgij cœdes ab Athanaſianis profecta eſſet; quod Socrates & Sozomenus *ibid.* refutant: & quidem inter alia, Iuliani ipſiuſmet authoritate, *epiſt.10.* qui populo Alexandrino, non Chriſtianis aut Athanaſianis, hanc cœdem imputat. Huic verò ſiue famæ ſiue Arianorum obtrectationi, vt mox hîc in ſequentibus indicatur, occaſionem vel certe prætextum dedit, quod poſt Georgium interfectum Athanaſius ilicò ſedem repetierit. In quo conueniunt & cœteri, & in his Socrates *lib 3 cap.4.* Verùm poſt cœdem primum Georgij Athanaſium è latebris emerſiſſe author eſt Gregorius Nazianzenus. Marcellinus tandem *d.lib.22*

pag.

*pag.*224 ſcribit, *Chriſtianos non inhibuiſſe hanc cædem eò quod omnes indiſcrete Georgij odio flagrarent.* Atenim Philoſtorgius exerte, etſi Georgium à Gentilibus cœſum dicat, attamen addit, στρατηγήσαντος καὶ τῆς Ἀθανασίου γνώμης τῆς πράξεως: nempe ſententiam Athanaſij ducatum præbuiſſe huic cœdi.

¶Ad Cap. II. *De Statua Paneadis.*

De *Statua* ſeu *Imagine Chriſti* Paneade, vrbe Palæſtinæ, ab Hæmorrhoouſa Syro‿Phœniſſa πολυθρύλλητος hodie in argumento *de Imaginibus earumq́; cultu*, narratio ſequitur: Ad cuius fidem & hoc deinceps Philoſtorgij teſtimonium accedere poterit, ad alia complura quæ hactenus ſuper eâ occurrunt, puta Euſebij, *lib.*7 *hiſtor. Eccl. cap.* 14, & poſt eum Rufini *lib.*7 *cap.*14: Aſterij *homilia* 10 apud Photium noſtrum *in Bibliothecâ num.*271: Sozomeni (qui vnus è Triumviris Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſcriptoribus hanc hiſtoriam refert) *lib.*5 *cap.*20: Artemij actorum 20 Octobr. *cap.*38: Cedreni *pag.*251: Nicephori *lib.*10 *cap.*30, qui ex hoc Philoſtorgio noſtro habet, tacito tamen eius, vt alias fermè, nomine. Mentio quoque eiuſdem haud ſemel in *Actis Synodi Nicenæ* 2. apud Agobardum *de Imaginibus pag.* 238 (vbi Euſebij locum tranſcribit) & *lib.*4 *de Imaginibus, cap.*15, qui libri ſub Caroli M. nomine ambulant. In hac verò hiſtoria variant inter ſe ſcriptores in nonnullis, & nemo plures, quibúſque inſiſtere oporteat digniores, circumſtantias addidit, quàm Philoſtorgius, è quo ideò hanc eclogen ſiue epitomen ſuam Photius excerpſit, vt & Nicephorus narrationem inde ſuam

tranſtulit. Nolo nunc in huiuſce rei fidem ſcrupuloſius inquirere, ſeu εἰς τὸ ἀψευδὲς τῆς ἱστορίας, quam tamen Euſebius omnium antiquiſſimus, imaginis ipſius ſpectator, ex vulgi tantum ore ſeu traditione, at non & de narratione certus, habet, ἔλεγον, inquit: Quomodo & Sozomenus, etſi credulus magis, & ex eo Nicephorus, miraculoſam hanc hiſtoriam inter eas ponit, quæ ſolis indigenis per traditionem antiquam ſunt cognitæ, μόνοις ἠκρίβωντο τοῖς ἐπιχωρίοις ἐκ τῆς ἀρχῆθεν παραδόσεως ἐγνωσμένα. De qua tamen deinceps quoque Carolus M. *dict. loco* dubitauit, duobus locis hæc repetens: *ſi tamen*, inquit, *factum eſſe credatur.* Certe, ſi conjecturæ locus, videatur potius, ſtatua hæc ciuitatis ipſius Paneadis ſimulacrum exhibuiſſe, quæ videlicet afflicta caſu quodam, vel ab Imp. vel à Magiſtratu aliquo erecta fuerit: Hoc enim habitu ciuitates prouinciæque afflictæ, mox & erectæ, olim repræſentatæ: vide vel veteres nummos, & Gregor. Nazianz. *epiſt.* 49 *vel* 40: & Baſilium *epiſt.* 279.

Circumſtantias nunc Philoſtorgianæ narrationis ſectari iuuat: quæ ad quatuor alioquin ſumma capita commodè referri poſſint: de Poſita primùm ſtatua ſeu Imagine, de στάσει eius, de refixa eâ: tandem de reliquiis eius ſeruatis, decentioréque loco habitis.

Primum igitur, quod *cauſam* huius Imaginis figendæ attinet, ait Philoſtorgius, hæmorrhoouſæ mulieris fidem hanc imaginem ſtatuiſſe, quæ ita Saluatorem noſtrum in ſe beneficum remunerata ſit: ἡ αἱμόῤῥους πίστις ἀμειβομένη τὸν εὐεργέτην ἀνέστησεν. Quibus conuenienter omninò

Euſe-

Euſebius hæc τῆς εὐεργεσίας θαυμαστοῦ τρόπαια vocat. Et Aſterius τὸ εὐχαρίστιον τῆς γυναικὸς dixit : mox idem ſubjicit: ἀγάλματι χαλκῷ τὸν εὐεργέτην ἐτίμησε, τοῦτο γέρας ἐκ αἰάξιον εἰσενεχθεῖσα τῆς χάριτος : tandem iſtud, τῆς εὐπαθείσης τὸ χαριστήριον nominat. Inde & Sozomenus, ὃ τοῦ πάθους ἀπαλλαγεῖσα ἀνέθηκεν : & Nicephorus exinde, hunc alioquin locum exſcribens, ἀμειβομένη τὸν εὐεργέτην τῇ τοῦ πάθους ἀπαλλαγῇ. Id verò factum ait Euſebius, non petitâ per libellum huiuſce rei faciendæ licentia à Philippo Tetrarcha Trachonitidis, quod Ioannes Damaſcenus *de Imaginib. orat.* 3. refert ex Chronico Ioannis Antiochiæ Ep. cognomento Malala : Non arceſſita item cauſa vel exemplo à more legéque Eccleſiæ, verùm à Gentilium conſuetudine, apud quos videlicet Euergetis & Soteribus ſtatuæ erectæ (quod paſſiuitus aliunde notum) Καὶ θαυμαστὸν οὐδὲν, inquit, τοὺς πάλαι ἐξ ἐθνῶν εὐεργετηθέντας πρὸς τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν ταῦτα πεποιηκέναι, ὅτι καὶ τῶν Ἀποστόλων αὐτοῦ τὰς εἰκόνας Παύλου καὶ Πέτρου καὶ αὐτοῦ δὴ τοῦ Χριστοῦ διὰ χρωμάτων ἐν γραφαῖς σωζομένας ἱστορήσαμεν. ὡς εἰκὸς τῶν παλαιῶν ἀπαραλλάκτως οἷα σωτῆρας ἐθνικῇ συνηθείᾳ παρ᾽ αὐτοῖς τοῦτον τιμᾶν εἰωθότων τὸν τρόπον. Vbi ἀπαραλλάκτως (non verò ἀπαραφυλάκτως, vt nonnulli mutant) ἐθνικῇ συνηθείᾳ, eſt, ad ſimilem prorſus, omninò, Gentilium morem, ſeu *conſuetudine prorſus Ethnicâ*, vt recte Roſvveidus. Rufinus vertit, *ex Gentili conſuetudine indifferenter.* Interpres Euſebij dilutè adhuc, *ad ſimilitudinem Gentilis conſuetudinis quam proximè.* Alij vertunt *immutabiliter.* Verùm de hac ἀπαραλλάκτου voce, propriáque eius ſignificatione, iam ſuprà *lib.2 cap.16.* Rufini interim illud hîc non prætereundum, qui con-

ſuetudinis iſtius de ſuo rationem addit *lib.7 cap.14*: *Inſignia etenim veterum reſeruari ad poſterorum memoriam, illorum honoris, horum vero amoris indicium eſt.* Et hæc quidem veteres de cauſa & exemplo imaginis huius figendæ, & Euſebius nominatim: cuius verba clarè oſtendunt, nullam talem in Eccleſiâ, non dicam adorandæ imaginis legem, imò ne figendæ quidem publicè adhuc morem fuiſſe: Quò enim alioquin præoccupatio iſta Euſebij monitúmque, quo admirationi occurſum voluit? Quò moris Gentilitij allegatio, ſi traditio hæc Apoſtolica fuiſſet? Quò denique ad facti illius defenſionem tam anxiè conquireret exempla imaginum Pauli & Petri, imo & Domini noſtri, quas ipſe viderit διὰ χρωμάτων ἐν γραφαῖς σωζομένας?

2. Secunda obſeruatio eſt de *loco*, in quo ſtatua illa primùm fixa fuit. Ait igitur Philoſtorgius, & ex eo Nicephorus, eam fixam fuiſſe Paneade *prope fontem* qui intra ciuitatem eſt, quæque ideò ad eam vrbem ſpectandam accedentibus vna cum aliis ſimulacris voluptatis aliquid præbebat: ἀνεστηλῶσθαι μὲν ταύτην κατὰ τὴν πηγὴν τὴν ἔνδον τῆς πόλεως μετὰ καὶ ἑτέρων ἀγαλμάτων τερπνότητός τι παρέχειν τοῖς φοιτῶσι θέαμα. At Euſebius, nullâ fontis mentione facta, ſcribit, pro foribus domus hæmorrhoouſæ poſitam eam fuiſſe ſuper editum lapidem, ἐφ᾽ ὑψηλοῦ λίθου πρὸ μὲν ταῖς πύλαις τῆς αὐτῆς οἴκου, quam etiam domum ætate ſua oſtenſam ait. Aſterius & Sozomenus loci in quo ea poſita fuit, mentionem nullam faciunt. Certe olim ad fontes, non Gentilium modo imagines nonnullæ fixæ fuere (de quo videndus

dendus vel locus apud Suidam in voce Αὐξέντιος) verùm & Chriſtianæ: Sic & author vitæ Conſtantini *lib.3 cap.*48 (alius omninò ab Euſebio Cæſarieñſi, qui etiam velut Iconomachorum patronus in Concilio Nicæno 2 repudiatus fuit) ſcribit à Conſtantino M. Conſtantinopoli boni paſtoris ſymbola apud fontes medio foro poſita fuiſſe, ἐπὶ μέσων ἀγορῶν κειμένας κρήνας τὰ τοῦ καλοῦ ποιμένος σύμβολα τοῖς τῶν θείων λογίων ὁρμωμένοις γνώριμα: vt & Danielem cum Iconibus æri inciſum auri laminis ſplendeſcentem. Ergo, ſiue hæc ſtatua ad fontem κατὰ τὴν πηγὴν poſita, ſiue pro foribus πρὸς τὰς πύλας hæmorrhoouſæ, fixa ea fuit, certe fuit ſub dio, in propatulo, ceu θεραπαινῶν θέαμα τοῖς φοιτῶσι vna cum aliis ſimulacris, voluptatis ergo memoriæque, non in æde ſacrâ aut oratorio, multo minus ad cultum vel προσκυνήσιν.

Tertiò obſeruandum Philoſtorgium pariter vt Aſterium & Sozomenum, ſolius Chriſti ſtatuæ meminiſſe: at Euſebius, his omnibus integro ſæculo vetuſtior, hiſtoriam hanc, vt dixi, alienâ fide referens, alteram inſuper hæmorrhoouſæ ipſius imaginem poſitam iuxta fuiſſe ait, è regione ſcilicet illius Chriſti imaginis, quæ de geniculis ſeu genibus flexis, manibúſque in modum ſupplicantis protenſis, ad eam adoraret, cuíque Chriſti imago manum porrigeret. De quo ſilent, vt dixi, Aſterius, Philoſtorgius & Sozomenus. Vnde tamen nullo modo id efficias, fœminam ipſam *ſuperſtitem*, vel alium quemcunque eius exemplo ſtatuam hanc adoraſſe, verùm illud hactenùs, imaginem hanc fuiſſe adorationis

cultúſque ſuperſtiti Chriſto ipſi olim exhibiti vel deinceps exhibendi: & ſic expreſſam in hac duplici imagine rem olim geſtam, non quæ in illa vel quæ ad illam deinceps fierent, aut fieri oporterent.

Quartò ait Philoſtorgius, *herbam* ad pedes imaginis iſtius Saluatoris adnatam, eandémque omnium morborum medelam fuiſſe. De herba illa ἀλεξιφαρμάκῳ παντοίων νοσημάτων ſeu panaceâ, conueniunt & illi à quibus Euſebius accepit, ad quos ſeſe ille ſemper refert, & ex eo Rufinus & Sozomenus. In dubium verò reuocat Carolus M. *lib.4 de Imaginibus, cap.15.* At Philoſtorgius, & ex eo Nicephorus, quod ſecundum de hac herba notandum eſt, illud adhuc ſpeciale habet, quod dicat, herbam hanc, etſi in commune ἀλεξιφάρμακον, tabis tamen maximè medelam fuiſſe. Sicut & hoc tertio loco ſpeciale habent auctores Euſebij, quod dicerent, eam herbam medicandi vim tùm habuiſſe, vbi ad veſtimenti fimbriam ea excreuiſſet, μέχρι τοῦ κρασπέδου τῆς τοῦ χαλκοῦ διπλοΐδος αὐτόν: Quod ita amplius enarrat Rufinus, *herbam illam nihil omninò virium geſſiſſe, ſi antequam fimbriæ ſummitatem creſcendo contigiſſet decerperetur:* Qui idem Rufinus & illud quoque (quod de hac herba quarto loco notandum) addit, *morbum depulſum hauſtu exiguo madefacti graminis:* nempe non contactu eam herbam curaſſe, verum potione ait.

Quinto obſeruandum vel maximè, quod vni Philoſtorgio, vnde & Nicephorus habet, peculiare, quod is narrat de *Inſcriptione* iſtius ſtatuæ. Nempe ait is, Inſcriptionem in ea ſtatua fuiſſe, quæ literis ſingula narrabat, videlicet

videlicet *cuius formam ea exprimeret*, *quamve ob cauſam ea fixa fuiſſet*, verùm obliteratam inſcriptionem aliquando fuiſſe, eò quòd cum ſub dio nudáque ſtatua illa ſtaret, terra in eam ex pluuiis longo tempore adgeſta fuerit: mox tamen, cùm aliquando dubitatio orta fuiſſet, quænam cauſa huiuſce ſtatuæ olim figendæ fuiſſet, cuiuſque ea formam exprimeret, eruderato ſeu egeſto quod ei adfuſum fuerat luto, literas repertas fuiſſe, quæ integram rem hiſtoriámque edocerent. Et addit Nicephorus, qui hunc alioquin locum exſcribit, quæſtionem ζήτησιν illam motam ab his qui eâ herbâ curari fuerant, ὑπὸ τῶν θεραπευομένων: quomodo & Artemij acta habent, eam poſt tempus cognitam ex miraculo herbæ quæ illic naſcebatur. Quibus nil ſimile apud Euſebium, Aſterium & Sozomenum occurrit: imò contra Euſebius famæ hactenus incerta, ſuúmque illud ἔλεγον hactenùs obtendit, vt & Sozomenus παράδοσιν τῶν ἐπιχωρίων: de inſcriptione verò illa ne verbum quidem, cùm tamen Euſebius ipſemet hanc ſtatuam ad eam ciuitatem profectus, αὐτόπτης viderit oculíſque vſurpauerit, ἔμενε δὲ καὶ εἰς ἡμᾶς, ὡς καὶ ὄψει παραλαβεῖν ἐπιδημήσαντας αὐτοῖς τῇ πόλει. Quæ vtique inſcriptio ſi ibi fuiſſet, proculdubio myſtagogo aliquo duce eam Euſebius luſtraſſet, neque ſuum illud ἔλεγον ingeminaſſet ingeſſiſſétque pro omni fide, quando ex ipſomet ære id exploratum habere ſatis ſupérque potuiſſet, niſi ita iam Euſebij æuo literas illas literatas oblimatas fuiſſe putemus, vt nec in mentem cuiquam venire potuiſſe, num aliqua inſcriptio ibi foret, credamus.

Sexto ait Philoſtorgius, eruta eruderatáque illa inſcriptione, herbam illam euanuiſſe, ſic vt neque ibi neque alibi vſpiam amplius ea apparuerit. Euſebius certe hanc herbam vocat ξένιον βοτάνης εἶδος, & Sozomenus, Euſebium alioquin exſcribens, & hoc ad explicationem addit, nempe neminem medicorum vel peritorum omninò nouiſſe, cuius generis ea eſſet, ἧς τὸ εἶδος οὐδεὶς ἔγνω τῶν ἐν τῇ καθ' ἡμᾶς ἰατρῶν ἢ ἐμπείρων: Nihil verò tale quale Philoſtorgius, quod videlicet eo tempore quo eruderata inſcriptio fuit, euanuerit.

Septimo loco in hac Philoſtorgij narratione, notandum, quod ſubjicit de *Tranſlatione* huius ſtatuæ è propatulo locóque publico facta, de quo nihil apud Euſebium & Aſterium. Nempe imaginem hanc Philoſtorgius, & ex eo Nicephorus, vt & acta Artemij, tranſlatam a Chriſtianis in *Diaconicum* ſcribit: vel vt paulò plenius Nicephorus, *in Eccleſiæ Diaconicum*, ἐν τῷ τῆς Ἐκκλησίας διακονικῷ: vti viceuerſa paulò laxius Sozomenus *lib.5 cap.20* de tranſlatis fragmentis agens, ait ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ, pariter vt Cedrenus *pag.251.* Atenim inter Eccleſiam & Diaconicum plurimum intereſt. Arcadius Imp. *l.30. Cod.Theod.de hæreticis*, ſeu *l 3. Cod.Iuſtin. eod. tit. ſiue ſub Eccleſiarum nomine teneantur, ſiue quæ Diaconica appellantur, vel etiam Decanica.* Nempe Diaconicum neque Eccleſia imò neque Eccleſiæ ipſius pars proprie fuit, verùm ad Eccleſiam ſeu prope Eccleſiam extitit: vbi ſcilicet vaſa veſtéſque ſacris vſibus deſtinata de more reponebantur. De vaſis fides à Concilij Laodicenſis *canone 21.* Ὅτι οὐ δεῖ ὑπηρέτας χώραν ἔχειν ἐν τῷ

ἐν τῷ διακονικῷ καὶ ἅπτεσθαι διακονικῶν σκευῶν, vbi Latina verſio in Codice Canonum Eccl. vniu. ſic habet, *Quod non oportet miniſtros locum habere in ſecretario, & dominica vaſa contingere.* In *Secretario*, vel vt alij Codices, Romanus, & Dionyſij Exigui, retenta Græca voce, *in Diaconico.* Et malè Balſamo, qui in hoc canone Diaconicum accepit de munere & officio Diaconi. Peius alij qui pro *altari* Diaconicum interpretantur. Nempe eo canone vetantur ſubdiaconi ingredi Diaconicum, & vaſa ſacra inde depromere, quod Diaconorum muneris fuit. De veſtibus ſacris in Diaconico quoque repoſitis fides à Typico Sabę, cuius ipſe exemplar vidi apud C L. V. D. Tobmannum Tiguri, ἀλλάξουσι τὴν ἱερατικὴν στολὴν ἐν τῷ διακονικῷ. Eccleſiæ verò id junctum fuiſſe oſtendit Codinus *de officiis aulæ Conſtantinop.* ἐν δὲ τῇ τοῦ ἑσπερινοῦ ὥρᾳ, εἰ μὲν διέρχεται πατριάρχης, ἀπέρχεται εἰς τὴν ἁγίαν Σοφίαν βασιλεύς, καὶ ἀκούει παρ᾽ αὐτοῦ τοὺς τοῦ μεγάλου βασιλείου εὐχὰς πλησίον τοῦ διακονικοῦ. Et in Catalogo Patriarch. κειμένου τοῦ λειψάνου αὐτοῦ ἐν τῷ διακονικῷ. In Euchologio. μετὰ τὸ ψάλλειν τὴν τεσσαρακοστὴν κατέρχεται ὁ ἅγιος πατριάρχης ἐν τῷ μετατωρίῳ ἤγουν τῷ διακονικῷ, καὶ ἐξέρχεται εἰς τὸ θυσιαστήριον. Ergo Diaconicum non Eccleſia, imò neque Eccleſiæ pars propriè fuit: verùm ad eam *Secretarium*, vt vertit Laodiceni canonis Interpres (quæ *Sacriſtia* hodie) vbi ea quæ vſibus ſacris ſeruirent (vnde & διακονικῷ nomen) vel quæ à vulgi contemptu vindicarentur adſeruabantur. Idem etiam forte cum *cimiliarcho* & *metatorio*, vt Euchologium & Cedrenus vocant, vbi videlicet Sacerdos vel Epiſcopus ſeſe adornabat, & tanquam in metato erat, & exin-

de in ſacrarium εἰς τὸ θυσιαστήριον. Ergo è foro in Diaconicum iſtud, non in Eccleſiam, tranſlata Saluatoris imago Paneade. Hactenùs ſcilicet hæc huius imaginis tranſlatio tùm conſtitit, referente Philoſtorgio.

Cuius etiam tranſlationis, quod octauo loco hîc notandum, tum *modum* tum *cauſam* enarrat hîc Philoſtorgius. Nempe ait, tranſlatam hanc imaginem in Diaconicum conuenienter adcuratam, τὰ πρέποντα ἐθεραπεύετο. Sed quatenus πρέπον iſtud, & θεράπεια hæc conſtiterit, explicat: Nempe ῥητῶς ait, nullo modo vt ea coleretur vel adoraretur, σέβοντες μὲν ἢ προσκυνοῦντες οὐδαμῶς: addita generali cautione ſiue regula, *Quod fas non fuerit æneam* (cuiuſmodi hæc ſtatua erat, vt ex aliis liquet) *aliamve quam materiam adorare*, οὐ γὰρ ἦν θέμις χαλκὸν ἢ ἄλλην ὕλην προσκυνεῖν. Quæ quidem adferri deinceps poterunt ex hoc Philoſtorgij loco in controuerſia *de Imaginum cultu*, & ad illuſtrandam hanc narrationem, qua alioquin hodie nonnulli, iudicio virorum vtriuſque ſectæ doctiſſimorum, ad ſtabiliendum Imaginum cultum abutuntur, exinde ex quo Synodus Nicæna 2, & Gregorius PP. eam eò traduxêre. Tanto magis etiam quod Nicephorus, qui ſuam alioquin narrationem hinc mutuauit, hæc quæ *de vetito in Eccleſia Imaginum cultu* hîc à Philoſtorgio interſeruntur, omiſit: ideo nempe, quod eius æuo iam Imaginum cultus percrebuerat: vti viceuerſa Photius hac ecloga ſua id excerpendo notatum in Philoſtorgio voluit, quaſi à ſuorum temporum vſu, ſuáque ſententia alienum, poſt Synodum videlicet Nicænam 2, quâ

Ima-

Imaginum adoratio ſancita fuerat, quam & ipſe probauit, de quo iam *ad cap.10 lib.2.* Et hæc quidem Philoſtorgius de cauſa finéque Tranſlationis huius Imaginis κατ' ἄρσιν, & ad excludendam eius adorationem. Quid igitur? Tranſlatam eam ait, duabus de cauſis: Primò, vt decentiore ſitu eſſet, αὐτὸ δὲ τοῦτο στάσει σεμνοτέρᾳ, vbi de ſuo Nicephorus adtexuit τιμῶντες. Nempe decentius viſum, hiſtoriam ſacram, ſeu ſacræ hiſtoriæ imaginem à contemptu ita vindicare, & ſi non in Eccleſia, quod nefas fuit, caſtiore ſaltem loco habere: Secundò, vt ad eum locum, τῷ τόπῳ (pro quo Nicephorus habet τῷ χώρῳ) ad Diaconicum inquam, accederent ſpectare volentes, eáque re archetypi ipſius deſiderium oſtentantes: καὶ τὸ μετ' ἡδονῆς ἐπιφοιτᾶν τῷ τόπῳ θεασαμένους τὸν περὶ τὸ ἀρχέτυπον πόθον ἐπιδεικνυμένους. Finis ergo tranſlationis huius in Diaconicum, decentioríſque στάσεως, fuit voluptatis ratio, & vt eam imaginem ſpectantes archetypi ſimùl deſiderium eâ re oſtenderent: πόθον περὶ τὸ ἀρχέτυπον, non verò erga ſtatuam ſeu exemplarij adorationem. His limitibus, hoc fine circumſcripta fuit στάσις illa σεμνοτέρα, non ad προσκύνησιν, γονυκλισίαν, vel προσφώνησιν. Quomodò & Agobardus *lib. de Imaginib. pag.237, ob* AMOREM *potius & recordationem, quam ob religionis honorem aut aliquam venerationem expreſſam & conſcientiam, Imagines poſitas* ait, allato quoque in id Euſebij loco. Et certe nullus ex iis qui inter vetuſtiores huius imaginis meminêre, vllam cultus vel adorationis mentionem faciunt, nullam in hoc facto, ſiue poſitæ primùm dein tranſlatæ in diaconicum imaginis,

imaginum adorationem commendarunt, vt diſertè obſeruat Carolus M. *lib.4 de Imaginib. cap.15*, non Euſebius, non alij: Contrà, ille hactenùs, *creditam* hanc Chriſti imaginem ait, atque à ſe *viſam*, verùm neque ab aliis adoratam, neque à ſe ſcribit. Imò Epiphanius ille quoque Sardinienſis in Synodo Nicæna 2, non aliò hanc hiſtoriam vertit, quàm vt antiquitatem ποιήσεως τῶν εἰκόνων in Eccleſia hoc exemplo ſtabiliret, quanquam neque ea in Eccleſia primum fixa, verùm publice ſub dio & in propatulo habita: imò neque poſtea, vt ex Philoſtorgio nunc diſcimus, in Eccleſiam tranſlata.

Poſtremo loco ſubjicit Philoſtorgius, *revulſam* hanc de ſede ſua ſeu Diaconico, τῶν βάθρων, pro quo Nicephorus τῆς στάσεως, imaginem ſub Iuliano, quod etiam Sozomenus notauit, pérque plateas tractam: atenim caput à ceruice reuulſum Chriſtianos clàm collectum, quantum potuêre, ſeruaſſe, ὡς ἠδυνήθησαν διεσώσαντο. Hęc Philoſtorgius, & ſub Iuliano quidem facta narrat. Atenim, quod ad rationem temporis primùm attinet, ſub Maximino (cuius temporibus geſta nonnulla ad Iuliani tempora ab aliis referri videmus, de quo ad *cap.13 huius libri*, & *cap.1 lib.8*) id accidiſſe ſcribit Aſterius, qui circa A.D.400 ſcribebat, 40 fermè poſt Iulianum annis, referente Photio: Qui idem ſublatam tantum ex vrbe ſtatuam narrat, ἀνείλετο τῆς πολύχνης χαλκὸν, neque quidquam de ſeruato capite huius ſtatuæ memorat. Et id tamen Philoſtorgius tam aſſeueranter ſcribit, vti dicat ſeſe in eos incidiſſe qui refixam imaginem ſub Iuliano vel ſaltem caput eius ſeruarant:

uarant:

uarant: καὶ φησὶ τούτοις καὶ αὐτὸς μάσασθαι. Μάσασθαι vel μασᾶσθαι eſt ἐφάψασθαι contingere, quod notum vel ex Heſychio: Ergo contigiſſe eos, id eſt incidiſſe in eos ſeſe ait: niſi id potius indicare voluerit, haſce reliquias & ſeſe contigiſſe, vt proinde hîc legamus ταῦτα. Ac vt Philoſtorgius ſuperiora circa huius imaginis reuulſionem peculiaria habet, ita & Sozomenus quoque σύγχρονος eius alia nonnulla: Nempe ait is, Iulianum ſtatua hac deturbata, eius loco ſuam imaginem poſuiſſe, καθελὼν τοῦτο ἴδιον ἀνέστησε. Secundo, eandem Iuliani imaginem igne cœlitus delapſo dirutam. Tertio, ab eo tempore ad ſua vſque tempora εἰσέτι νῦν tanquam fulminis ictu ambuſtam viſam. Quod viderit rurſùm Lector, num ad Maximinum non rectius referatur, de cuius ſtatuis & imaginibus proſtratis, mutilatis Euſebius *lib.9 cap.9*, & Gregorius Nazianzenus 1. στηλιτευτ. *pag.93*: vbi & Iulianum cum Maximino componit. Quartò, ſtatuâ Chriſti deturbatâ, non caput ſignatè, verùm fragmina qualiacunque collecta indicat, τὴν δὲ τοῦ Χριστοῦ ἀνδριάντα τότε μὲν οἱ Ἑλληνισταὶ σύροντες κατέαξαν, μετὰ δὲ ταῦτα χριστιανοὶ συλλέξαντες. Nicephorus vtrumque habet. Quinto ait Sozomenus, ea fragmina in Eccleſiâ poſita ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἐπέθεντο, quod etiam Nicephorus habet. Sexto ait Sozomenus, ea ſuo tempore adhuc cuſtodita, ἔνθα καὶ νῦν φυλάττεται: quomodo & Philoſtorgius ni fallor ea ſeſe contigiſſe ταῦτα καὶ αὐτὸς μάσασθαι: cùm tamen Aſterius ſuo tempore eam non amplius extitiſſe ſcribat, ἰδοὺ γὰρ ὁ ἀνδριὰς οὐ φαίνεται.

Et hactenùs quidem de ſtatuâ Paneadis; quæ omnia,

ſarea, quam Herodes magnus condidit, altera ab hac Cæſarea eſt, nempe ea quæ antea *Stratonis turris* vocabatur, teſte Plinio & Strabone: de qua ab Herode condita idem Ioſephus, *lib.1 de bello Iudaico cap.16.* Tandem vrbem quæ antea Dan, dein Cæſarea Philippi vocata fuerat, *Paneada* nominatam ſcribit Philoſtorgius. Rectè: inde certe & junctis nominibus Ptolemæo Καισάρεια Πανιάς, & in Itinerario Peutinger. *Cæſarea Paneas*: vnde & Plinius *lib.5 cap.15, Iordanes amnis oritur e fonte Paneade, qui cognomen dedit Cæſareæ.* Ergo *Dan* & *Paneas* eadem: etſi Hieronymus de locis *Hebraicis*, Iordanem in vico Dan fontes habere ſcríbat, qui in quarto Paneadis miliario eſt euntibus Tyrum: De fonte alioquin Paneade monuerunt alij multi: vide Plinium, Ioſephum, *lib.1 de bello Iud.16:* & *lib.3 cap.18:* Solinum, *cap.35:* Stephanum, in Πανέιον.

Tertia obſeruatio eſt de origine nominis Paneadis, vnde ſcilicet ea vocata fuerit: nempe ait, ita appellatam â Panis ſimulacro ibi â Gentilibus poſito. Cuius rei fides penes eum eſto. Certe, iam olim fontem propriè Iordanis, & vicum ibi poſitum, Paneada dicta veteres ſcribunt. Sed & illud veteres conſtanter, *Cæſaream Paneada* dictam, quod Paneadi proximè adjaceret. Plinius: *Paneas fons, quæ cognomen dedit Cæſareæ.* Stephanus, Καισάρεια ἔστι καὶ τρίτη πρὸς τῇ πανειάδι. Quomodo & aliæ vrbes multæ διχωνύμως a locis finitimis cognominatæ, vt *Antiochia Epidaphn*, &c. Imò & regio ipſa *Paneas* dicta apud Ioſephum. Plinium *lib 5 cap.15: Trachonitis Paneas, in quâ Cæſarea cum ſupradicto fonte.* Atenim originem hanc huius nominis Paneadis nemo veterum reddit.

Quarto loco ait Philoſtorgius, in hac Paneade alterum è duobus Iordanis fontibus oriri, qui etiamnum *Dan* ſeu *Danites* à veteri nomine vocetur. De eo vero quod hic dicitur, in Paneade vnum è Iordanis fontibus oriri, controuerſiam mouet Ioſephus, *lib.* 1 *de bello Iud. cap.* 16 : & *lib.* 3 *cap.* 18 : nempe enim ait is, videri quidem Panium Iordanis fontem, ſed reuera non eſſe : & fontem reuera hùc creditum ferri ex ea quæ vocatur *Phiala*, ad 120 ſtadia à Cæſarea, & experimentum eius rei factum à Philippo Trachonitidis Tetrarcha. Et hæc quidem de primo Iordanis fonte. Alterum verò Iordanis fontem ait vocari *Ior* ſeu *Ioraten* : & à priore 160 ferme ſtadiis ex eodem monte effundi, indéque in planiciem lapſos iunctóſque *Iordanem* iam efficere, indéque adeo Iordanem dici. Cui ſimilis locus occurrit apud Suidam. Ἰορδάνης ποταμός· ἐκλήθη δὲ ὑπὸ διὰ τὸ συμμίγνυσθαι δύο ἅμα ποταμούς, Ἰορ καὶ Δάνην. Chryſoſtomus quoque *Oratione in Iordanem tomo* 7 *pag.* 354, ὁ Ἰορδάνης παρὰ πάντας τοὺς ποταμοὺς δύο ῥίζας ἔχει πηγῶν· ἔχει δὲ τὴν μίαν τὴν πηγὴν εἰς τὴν Πανιάδα : τὴν δὲ ἄλλην πλησίον τῆς Πανιάδος : καὶ ἡ μία πηγὴ καλεῖται Ἰὸρ, ἡ δὲ ἄλλη Δάν. Et mox, ἀπέδωκαν δὲ αὐτῷ οἱ ἀρχαῖοι ὄνομα πρὸς τὰς ῥίζας Ἰορδάνης, ὁ ἀπὸ τῆς Ἰὸρ καὶ τῆς Δὰν τεχνολογίας.

¶ AD CAP. IV. *De atrocibus Gentilium ſub Iuliano in corpora Sanctorum, & in Chriſtianos factis, &c.*

De variis & atrocibus quibuſdam *Gentilium* ſub Iuliano Imp. in Chriſtianos molitionibus, & arcanis ipſiuſmet *Iuliani* artibus ad peſſundandam rem religionémque Chriſtianam eſt hoc caput, quod exſcripſit Nicephorus

phorus *lib.*10 *cap.*13, tacito tamen, vt aliâs ferme, Philoſtorgij nomine. In quo argumento verſabatur haud ita pridem Oratio noſtra Politica, quæ *Iulianus* inſcribitur. ¶Quinque igitur de eo genere memorat nunc Philoſtorgius, quorum priora duo Gentilium in commune ſunt: tria poſteriora, Iuliani ipſiuſmet. Et primum quidem reſpicit *Reliquias ſanctorum*, ac nominatim per Palæſtinam. Ait ſcilicet Philoſtorgius, & ex eo Nicephorus (ſed tacito eius nomine, λόγος, inquit) à Gentilibus ſub Iuliano Imp. Elizæi Prophetæ, & Ioannis Baptiſtæ oſſa cinefacta vna cum brutorum animantium oſſibus in ventum diſiecta fuiſſe. In quo Philoſtorgius quædam aliter quàm alij vel etiam alia narrat. Quod equidem de Ioannis Baptiſtæ oſſibus memorat, in eo conſentiunt quoque Rufinus, *lib.*11 *cap.*28: Theodoretus, *lib.*3 *cap.*6 *in fin.* & Chronicon Alexandrinum: & Sebaſtiæ quidem nominatim id accidiſſe referunt: quod etiam Nicephorus, Philoſtorgium alioquin exſcribens, dicto loco inſerit. At quod de Elizæi Prophetæ oſſibus crematis & diſperſis addit, id nemo prætereà memorat, præter Philoſtorgium vnum, quíque ex eo habet Nicephorum, & acta Artemij 20 Octobris. Imò Hieronymus *epiſt.* 27, *& in Abdiam* 1. ait, Sebaſtæ ſeu Samariæ ſitum Elizæum, & mauſoleum Eliſei Prophetæ memorat. Niſi forte Eliſei oſſa parem exitum ſortita cum Ioannis oſſibus: de quo mox. Interim quod de brutorum animalium oſſibus commixtis ait, id & aliàs à ſæuientibus factum: velut in Georgio Alexandrino: vide Epiphanium *hæreſ*

Anomœorum 76, in princ. vbi pariter crematum ait τοῖς ἀνέμοις λικμηθέντα: Chronicon Alexandr. *ann.* 362: vbi & cineres pariter ait διεσκόρπισαν, id eſt *diſperſerunt.* Et hactenùs quidem Philoſtorgius: Atenim Rufinus iam amplius hoc addit, reliquias Ioannis nonnullas disjectas à monachis Hieroſolymitanis inter eos qui oſſa ad exurendum legebant immixtis, collectas, Hieroſolymámque perlatas fuiſſe. Sed & Hieronymus *dict. epiſt.* 27, & *in Abdiam* 1. de huius pariter, vt & de Elizei (quod modo diximus) reliquiis tanquam extantibus æuo ſuo loquitur, oſſáque ibidem Sebaſtæ condita ait. Atqui Rufinus rurſum ab Hieronymo diuerſus illa aliò in partem tranſlata ſcribit.

Secundò ait Philoſtorgius, & ex eo Nicephorus, Chriſtianos alicubi hoſtiarum inſtar ſuper aras à Gentilibus ſub Iuliano Imp. mactatos fuiſſe. De quo cæteri ſilent: niſi quod Socrates, *lib.* 3 *cap.* 11 *in fin.* ait, Gentiles Philoſophos ſub Iuliano nefanda quædam myſteria obiiſſe, puerosque cum maſculos tum fœminas quò exta ipſorum inſpicerent, mactaſſe, eorumque carnes deguſtaſſe: & Theodoretus aliique Chriſtianos multos mactatos. ¶ Et addit Philoſtorgius, facta hæc Iuliano non inhibente, imò & gaudente, inuidia interim factorum penes alios relicta: Quod Iuliani ſophiſma fuit inter alia in exitium rei Chriſtianæ. De quibus nunc deinceps Philoſtorgius, & ex eo Nicephorus. Vbi primum illud memorat, quod Iulianus Epiſcopos inter ſe colliſerit (quo etiam pertinet illud, de quo *lib.* 6 *cap. vlt.*) data videlicet

delicet tum iis qui abdicati fuerant, tum iis qui in eorum locum ſuffecti, poteſtate quidlibet agendi pro ſua quique deſinſione: in quo conſentit Sozomenus lib. 5 cap. 5, qui & ipſe hac ratione Iulianum ait ἐμφυλίῳ μάχῃ Eccleſiam turbaſſe. Quibus ſimilia vide & in Chronico Alexandrino, *ann. 362 pag. 688*. Eodémque ſpectat, quod Marcellinus Gentilis ſcriptor *lib. 22 pag. 208, 209.* refert, Iulianum, *vt diſpoſitorum roboraret effectum, diſſidentes Chriſtianorum antiſtites cum plebe diſciſſa in Palatium intromiſſos monuiſſe vt ciuilibus diſcordiis conſopitis quiſque nullo vetante religioni ſuæ ſeruiret intrepidus*: Addito: *Quod agebat ideò obſtinatè, vt diſſenſiones augente licentia non timeret vnanimantem poſtea plebem: nullas infeſtas hominibus beſtias, vt ſunt ſibi ferales plerique Chriſtianorum, expertus*, &c. Cæterùm quos ob cauſam aliquam vel crimina deiectos hic ait Philoſtorgius, Catholicos intelligit, qui quæſitis criminibus deiecti, ínque exilium miſſi fuerant.

Secundum Iuliani inſtitutum ad atterendam rem Chriſtianam iſtud hic memorat Philoſtorgius, & ex eo Nicephorus, quod *Clericos* è Curialibus olim factos, ad Curias reuocauerit. Quod Sozomenus quoque prodit, *lib. 5 cap. 5*, καὶ τοὺς ὑπὲρ αὐτῶν κειμένους εἰς νόμους ἀπεῖλε, καὶ τοῖς βουλευτηρίοις ἀπέδωκε. Quod non ita accipiendum eſt cum Baronio aliíſque, quaſi clericos ideò tantum Iulianus curiis addixerit, vel vt habet Nicephori interpres, Senatorum munere & miniſterio peruersè fungi iuſſerit: verùm quod clericos, qui è Curialibus clerici facti fuerant, atque adeò Curialibus muneribus publica lege hac ratione ſeſe

ſubduxerant, ad Curias retraxerit: ἀνέστρεψε, inquit noſter, pariter vt Sozomenus ἀπέδωκε. Et verò ipſamet ſuper eo Iuliani conſtitutio extat *l.4. Cod.Theod. de luſtrali collat.* & *l.50. eod.Cod. de decurionibus*, vbi *Chriſtianorum* appellatione clerici deſignantur. Imò & Iuliani *epiſt.11* ad Byzantinos in hanc ipſam rem extat, quæ tota ſic habet. Τοὺς βουλευτὰς πάντας ὑμῖν ἀποδεδώκαμεν, καὶ τοὺς πατροκόλλας, εἴτε τῇ Γαλιλαίων ἑαυτοὺς ἔδοσαν θρησκείᾳ· εἴτε ὅπως ἄλλως περιεμηχανήσαντο διαδρᾶναι τὸ βουλευτήριον, ἔξω τῶν ἐν τῇ μητροπόλει λελειτουργηκότων. Verùm hac de re plura, *ad dict. l.4. & 50*: vbi varios errores hac in re ab Interpretibus admiſſos pluribus refuto: quídque πατρόκολοι ibi ſint clarè oſtendo. Denique Marcellinus quoque *lib.21, 22, & lib.25*, eò reſpexit, ſcribens, Curiis addictos à Iuliano, *ab iis priuilegiis aut origine longe diſcretos*, ſeu *licet priuilegiis & ſtipendiorum numero & originis penitus alienæ firmitudine communitos.* Tandem & Libanius huc videndus *in funus Iuliani pag.296.*

Tertium Iuliani commentum in iniuriam necémque rei Chriſtianæ, iſtud memorat Philoſtorgius, & ex eo Nicephorus, quod *Annonas Eccleſiarum* Miniſtris Gentilium deputauerit, tradiderítq; : de quo & Theodoretus *lib.3 cap.6 lit.c*: & *lib.4 cap.4*: Sozomenus *lib.5 cap.5 in prin.* (vbi pariter vt hîc σιτηρέσια ſunt annonæ) & *lib.6 cap.6*: Theodoretus *dict.cap.4*, τοῦ σίτου τὴν σύνταξιν vocat.

¶AD CAP. V. & VI. *De Aetij ſub Iuliano reſtitutione ab Euzoio neglecta.*

De *Aetij* (qui ſub Conſtantio Imp. in Synodo Conſtantinopolitana diaconatu depoſitus, inque exilium miſſus

miſſus fuerat, de quo *ſupra lib.4 cap.8* : & *lib.5 cap.1 & 2*: mox verò à Iuliano ab exilio reuocatus; de quo *lib.6 cap.vlt.*) ſub Iuliano reſtitutione & ordinatione ſunt hæc duo capita. Et priore quidem narrat Philoſtorgius, quomodo Eudoxius Epiſc. Conſtantinopolitanus, ſponſionis & iuriſiurandi ſui (de quo *ſupra lib.5 cap.3*, & *infra lib.9 cap.3*) memor, apud Euzoium Epiſc. Antiochenum pro reſtituendo Aëtio egerit, eóque tandem eum adduxerit, vt & id quoque promitteret. Quod quidem eo fine à Philoſtorgio memoratur, vti oſtendat, quàm parum ſibi Eudoxius conſtiterit, qui poſteà reſtituendi Aëtij occaſiones neglexerit, imò & tandem ab Aëtio ſeceſſerit: de quo Philoſtorgij inſtituto & ſcopo, ſuprà ſemel *initio libri 6*.

Poſteriore capite Philoſtorgius agit de ipſamet *Aëtij*, aliorúmque Epiſcoporum, ordinatione ſub Iuliano in Synodo quadam Conſtantinopolitana: déque Synodo Antiochenâ, in quâ pariter geſta contra Aëtium, decretáque alia in Synodo Conſtantinopolitanâ ſub Conſtantio reuocata fuêre. Quorum omnium nullum veſtigium hactenùs in Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ Iuliani temporum comparet: quæ nihil aliud memorat de Aëtio ſub Iuliano, quàm quod is à Iuliano ab exilio reuocatus & ad eum euocatus fuerit. Quod prius attinet, nempe Synodum Conſtantinopolitanam, primò Philoſtorgius ait, Aëtium & Eunomium Conſtantinopoli tùm egiſſe; nempe Aëtius qui ab exilio reuocatus per Iulianum, & ad eum euocatus fuerat, vt docet ipſius Iuliani ad eum

*cap.ſt.*31 : & Eunomius è patria ſuâ Cappadociâ quo priuatus conceſſerat (de quo *lib.6 cap.*3) Conſtantinopolim ſeſe ſub Iuliano, vbi & Iulianus ipſe diu egit contulére: vt & porrò conſtitére ſub Iouiano *lib.*8 *cap.*2.

Secundò ait, Conſtantinopolim ad Aëtium & Eunomium acceſſiſſe eos qui neque Aëtij condemnationi, neque Ariminenſi fidei ſubſcribere voluerant, vti non omnes ſubſcripſiſſe ſupra iam indicauit *lib.*5 *cap.*1. Eos verò hic deſignat, inter alios quinque, & ſic Aëtianos ſeu Anomœos In quibus primus *Leontius* Tripoleos [Lydiæ] Epiſcopus. De hoc verò Leontio Tripolitano extat alterum adhuc Philoſtorgij ſegmentum apud Suidam *in verb.* Λεόντιος : vbi plura etiam de hoc Leontio eiuſque peruicacia narrat, quæ omnia ex Philoſtorgio haud abſurdè deſumpta quis credat. Hunc verò de Aetianorum numero fuiſſe hic Philoſtorgij locus oſtendit, & ſic de Arij ſecta, pariter vt alter ille locus apud Suidam: τοῦτον Λεόντιον προσεταιρίζεται ὁ κακόδοξος Φιλοστόργιος ἐν τῇ βίβλῳ αὐτοῦ,* ὡς ἀμόρφωτα τῆς Ἀρειανικῆς αὐτοῦ κακοφροσύνης. Et certe in Faſtis quoq; Alexandrinis, vbi Anomœorum catalogus recenſetur, qui Conſtantinopoli 27 Ianuarij 360 Macedonium depoſuerunt, Leontius hic quoque memoratur, & nono quidem loco. Idem prius in Seleucienſi Synodo An. 359 Symbolo ibi conſcripto ſubſcripſit apud Epiphanium *hæreſi* 73 *cap.*26. Retro, ibidem nihilominus cum Acacianis aliis ab Orthodoxis depoſitus fuit, teſte Athanaſio *de Synodis Arimini & Seleuciæ pag* 678, 679: & Socrate, *lib.*2 *cap.*32 *pag* 603. Denique vt hic Leontius iſte

iſte iungitur Theodulo, Theophilo, Serræ & Heliodoro, ita pariter fermè apud Athanaſium *d.pag.679.* Atque ita ex his apparet, Philoſtorgio rationem veriſque fidem hac parte conſtare, contra quam nonnulli cenſent.

Secundus qui in hâc Synodo Conſtantinopolitanâ memoratur, eſt *Theodulus è Chæratopis:* cuius mentio fit in his eclogis duobus prætereà locis: puta *lib.8 cap.2:* & *lib.9 cap.18*, vbi malè ſcriptum χαιρεαπίτων. Eiuſdemque meminit eadem quoque occaſione cum Leontio Athanaſius, *de Synodis pag.678,679*: vt & Socrates, *lib.2 cap.32 pag.603*: vbi perperàm *Theodorus* χαιρετόπων vocatur. Hic igitur vnus ex eorum numero fuit, qui neque Aëtij abdicationi, neque Ariminenſi fidei in Synodo Conſtantinopolitanâ ſubſcribere voluerunt: Quem tamen non nominat Synodica epiſtola, vbi Serras certe, Stephanus, Heliodorus & Theophilus nominantur apud Socratem *lib. 2 cap.28* *Chæratopum* porrò in Phrygiâ fuit, vt diſertè ait Socrates *dict. lib.2 cap.32*: & quidem in Phrygia Pacatiana, quomodo habent acta concilij Epheſini.

Sequuntur tres alij Libyæ ſcilicet Epiſcopi Aëtiani, qui & ipſi nominantur in dict. epiſtola Synodica contra Aëtium apud Socratem *lib.2 cap. 28*: *Serra* videl. de quo ſupra iam *lib.3 cap.19: lib.5 cap.4*: & infra *lib.8 cap.2*: Theophilus & Heliodorus: de Theophilo ſuprà quoque *lib.5 cap.4*: de Heliodoro, vide & *infrà lib.8 cap.2*: vbi pariter cum Serrâ & Stephano conjungitur. Videtur autem hic Heliodorus eſſe qui Solaſæ Pentapoleos Epiſc. dicitur in ſubſcriptione concilij Sardicenſis, apud Epiphanium *hæreſi 73 pag.874.*

Nnn

Tertio ait Philoſtorgius, coactos in vnum ſuperiores illos ſub Iuliano Conſtantinopoli *Aëtium* ordinaſſe, vt & alios Epiſcopos, Eudoxio Epiſc. Conſtantinopol. nihil contra refragante, imò & calculum ſuum ad Aëtianorum ordinationem præbente. Id quod Philoſtorgius eodem ſemper fine ſcopóque narrat, vt oſtendat quam diſſimilis ſui poſteà Eudoxius fuerit, cùm ab Aëtio receſſit. Et hæc de Synodo Conſtantinopolitanâ ſub Iuliano Imp. pro Aëtio.

Sequitur *Antiochena* Synodus pro eodem Aëtio ſub eodem Iuliano Imp. coacta. Ait ſcilicet Philoſtorgius hîc (quod & ipſum rurſum indicat infra *lib.7 cap.5*) Euzoium Epiſc. Antiochenum (ab Eudoxio iam vt *ſuperiore cap.* dixit, perſuaſum) coactâ ad nouenarium numerum, ſeu è nouem Epiſcopis, Synodo, contra Aëtium olim geſta (in Synodo videlicet Conſtantinopolitanâ ſub Conſtantio, de qua *ſuprà lib.4 cap.vlt.* & *lib.5 cap.1*) reuocaſſe: Reuocaſſe item ſex menſium laxamentum, poſt quod his qui cum Serra erant (de quibus *ſuper.cap.*) niſi Aëtij abdicationi & Ariminenſi fidei ſubſcriberent, Sacerdotij ſeu Epiſcopatus priuatio pœnæ loco indicta fuerat: vbi quod de ſex menſium laxamento addit, veriſſimum eſt: habetur enim id diſertè in epiſtola Synodica Synodi illius Conſtantinopolitanæ contra Aëtium ſcripta ad Georgium Alexandrinum apud Theodoretum, *lib.2 cap.28.*

¶Ad Cap. VII. *De Valentiniani conſtantia fruſtra tentata à Iuliano, ac propterea eo in exilium miſſo.*

De

De *Valentiniani* (qui paulò poſt Imperator factus fuit) conſtantia in fide Chriſtiana ſub Iuliano, eáque fruſtrà tentata, ac propterea ablata ei dignitate, & exilio irrogato, eſt hoc caput: de quo & Socrates *lib.*4 *cap.*1: Theodoretus, *lib.*3 *cap.*15: Sozomenus, *lib.*6 *cap.*6. Sedenim, in hac hiſtoria ſeu narratione ſcriptores in nonnullis vel diuerſa vel alia omnia à Philoſtorgio memorant.

Primò, Theodoretus & Sozomenus cauſam ſpecialiorem huius rei addunt: quòd videlicet Valentinianus æditum Gentilem, qui ipſum *νόμῳ ἑλληνικῷ*, more Gentilitio, fanum ingredientem aquâ luſtrali adſperſerat, verberaſſet. De quo nihil habent hæ Philoſtorgij eclogæ, nihil Socrates, Zoſimus, *initio lib.*4 ait, Valentinianum à Maximo Philoſopho apud Iulianum accuſatum, ὡς διὰ τὴν τῶν χριστιανῶν θρησκείαν περὶ τοὺς θείους θεσμοὺς ἀσεβήσαντος.

Secundò, & Philoſtorgius, & Theodoretus, & Sozomenus Valentinianum à Iuliano dignitate priuatum in exilium miſſum aiunt: Contra Socrates, *dict. lib.*4 *cap.*1: qui ait, etſi Valentinianus cum fratre Valente cingulum militare deponere maluiſſet, quàm fidem Chriſtianam ejerare, attamen Iulianum neutrum dignitate priuaſſe, eò quod vtiles hos Reipublicæ viros intelligeret.

Tertiò, quod *locum exilij* attinet, variant quoque in eo ſcriptores: Philoſtorgius enim Valentinianum à Iuliano Thebas Ægyptias in exilium miſſum ſcribit: Sozomenus verò *lib.*6 *cap.*6 ait, in perpetuum exilium miſſum, in Melitenen Armeniæ. Theodoretus, *lib.*3 *cap.*15 in genere hactenus, in oppidum in ſolitudine ſitum, εἰς φρούριον πρὸς τὴν ἔρημον κείμενον.

ſêre ad varia negotia adcuranda, atque inter alia exciendis in Comitatum quos Princeps vellet, vt ex hoc Philoſtorgij loco liquet, & altero adhuc Ambroſii *Orat. in funus Valentiniani.*

¶ AD CAP. VIII. *De Babylæ reliquiis.*

De *Babylæ* reliquiis (de quibus infra rurſum *cap.* 12) Daphne ſcilicet ad Antiochiam conditis, Iulianique iuſſu tranſlatis, quidnam videlicet in eas Iulianus debachatus ſit, déque miraculis earum, & de Templo Apollinis vna cum ſtatua eius fulmine abſumpto, & prodigiis aliis, eſt hoc caput. Qua parte Photius Philoſtorgium, quem alioquin hoc opere paſſim velut ab aliis diuerſum notat, haud multum ab aliis diuerſa narrare ait. Hiſtoria certa hæc extat apud Chryſoſtomum, *duabus Orationibus in Babylam tom.* 5. Rufinum, *lib.* 10 *cap.* 35: Socratem, *lib.* 3 *cap.* 16: Theodoretum, *lib.* 3 *cap.* 9 *&* 10 *in fin.* Sozomenum, *lib.* 5 *cap.* 18, 19. Ac nominatim de Templo Apollinis, eiuſdémque ſtatua fulmine ſeu igne cœlitus delapſo conflagratis agunt Sozomenus *dict. cap.* 19: Theodoretus *dict. cap.* 9. De eodem incendio Ammianus Marcellinus, *lib.* 22 *pag* 243: Iulianus, *Miſopogone pag.* 96: Chryſoſtomus, *Orat. in Iuuent. & Maxim. & contra Gentiles tomo* 5: & *dictis Orationib. de S. Babyla, tomo* 5. Imo extat expreſſa ſuper hoc Libanij nænia, περὶ τοῦ ἐν Δάφνῃ ναοῦ τοῦ Ἀπόλλωνος ἀφανισθέντι πυρὶ, ὥς φασι δὲ κεραυνῷ: quam Iulianus pluribus commendat *epiſt.* 28, contra vero traducit Chryſoſtomus, *aduerſ. Gentes.* ¶ Quod Babylæ Epiſc. Antiocheni, triúmque cum eo adoleſcentum martyrium attinet, de quo

hic Philoſtorgius per occaſionem, & Chryſoſtomus non vno loco, aliíque, eam hiſtoriam hinc exſcribit Suidas *in voce* Βαβύλας, Philoſtorgij tamen nomine ſuppreſſo: pariter vt Nicephorus, *lib.*10 *cap.*1 *pag.*63, & Metaphraſtes.

¶De Imperatore templi aditu prohibito à Babyla (de quó & Chryſoſtomus *aduerſ. gentes*) ſub quo martyrium illud accidit, varias iam olim ſententias fuiſſe oſtendit hic Philoſtorgius; Alij ſcilicet ſub Numeriano martyrium Babylæ adſcribebant; quod etiam Suidas hinc repetit, vbi Interpres neſcio quem *Marianum* (de quo *in v.* Μαριανός) ſubſtituit, pro *Numeriano*. Alij verò ſub Decio Imp. quod etiam ſequitur Euſebius *Chronico*, & *lib.*6 *hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap.*32: & Epiphanius *de menſuris & ponderibus*: Hieronymus *de ſcriptorib. Eccl. in Origene & Alexandro*: de quo videndus Baronius ad 24 Ianuarij. Quod tertiam adhuc nonnulli ſententiam proferunt, & Philippo Imp. (eique Chriſtiano) hæc tribuunt, id nullo auctore firmatur, imò vel ex hoc quoque Philoſtorgij loco refutatur.

¶Ad Cap. IX. *De irrita Hieroſolymitani templi ſub Iuliano reſtitutione.*

De irrito templi *Hieroſolymitani* inſtaurandi cœpto ſub Iuliano (de quo rurſum *infrà cap.*14 imò & tertius eodem locus pertinet, puta *cap.*11) eſt hoc caput, quod exſcribit Nicephorus *lib.*10 *cap.*32 *pag.*73: de quo & Iulianus, *in ipſa epiſt.*25 (quam Petauius edidit) Gregorius Nazianzenus *orat.*1 *aduerſus Iulianum*: Ammianus Marcellinus *lib.*23: Ambroſius *epiſt.*29 *ad Theodoſium*: Chryſoſtomus

ſoſtomus *Orat.3 aduerſ.Iudæos,quod Chriſtus ſit Deus*: & *in Matthæum homil.4*: & *in Acta Apoſtolor.homil.47*: Rufinus, *lib.1 cap.38,39*: Socrates, *lib.3 cap.17*: Theodoretus, *lib.3 cap.17*: Sozomenus, *lib.5 cap.21*. Quâ parte omnes conuenientia tradunt, ac nominatim de terræmotu & igne quo opus iſtud turbatum, & in his quoque Gentilis ſcriptor Ammianus Marcellinus. Multi etiam tertium miraculum addunt, puta Cruces in veſtibus viſas, quod hæ Philoſtorgij eclogæ non habent, pariter vt Crucis ſignum viſum in cœlo, quod Gregorius Nazianzenus refert στηλιτ. 2. Imò, quemadmodum iam tùm eo ipſo tempore Cyrillus Epiſc. Hieroſolymitanus oraculorum vim, Danielíſq; & Chriſti prophetiam, ſuper Hieroſolymæ ἀφανισμοῦ, ſic vt lapis ſuper lapidem non maneret, denunciauit, teſte Rufino *lib.10 cap.37*: & Socrate, *lib.3 cap.17*, ita & multi pariter deinceps, & in his Chryſoſtomus quoque eandem prophetiam denunciationémq; repetiêre, oraculorúmque adeò dominicorum vim, quæ Iulianus labefactare hoc cœpto cogitauerat, eò magis ſtabilitam firmatámque fuiſſe dixere. Et Theodoretus inter alios ſimiliter prorſus *lib.3 cap.17 in princ.pag.102*, ὑπολαμβάνων ὁ μάταιος προῤῥησιν διελέγχειν, ἔδειξε δὲ μᾶλλον τὴν ταύτης ἀλήθειαν.

¶ Cæterùm & illud notandum, Philoſtorgium iſtud Iuliani cœptum de templo Hieroſolymitano inſtaurando, mox irritum, & *hîc & cap.14* narrare paulò ante procinctum Perſicum. In quo ei temporis ratio conſtat, cúmq; aliis conuenit, qui id eidem tempori adſignant, & initio anni 363, vt Marcellinus *initio lib.23*: Socrates, *lib.3 cap.17*.

¶ Ad Cap. X. *De infelici trium Apoſtatarum Illuſtrium ſub Iuliano, exitu.*

De infelici trium illuſtrium virorum,qui ſub Iuliano Imp. *Apoſtatæ* facti fuerant, & in Chriſtianos maximè ſæuierant, fato ſeu exitu eſt hoc caput : quod exſcribit Nicephorus,*lib.10 cap.29 pag.*67,68: cui gemina, germana obſeruatio eſt Theodoreti *lib.3 cap.11 & 12* : & ſimilis apud Sozomenum *lib.5 cap.7 ſub fin.* nihil enim tale occurrit apud Socratem. ¶ Cœterum, quod rationem temporis attinet,narrat id Philoſtorgius poſt ea quæ circa Babylam facta ſunt, & poſt incendium templi Daphnenſis (quod & ipſum rurſum de Iuliano ſequitur *initio & fine cap.12 infra*) pariter vt Ammianus Marcellinus *lib.* 23,aliique. Certe id clarum quoque de Iuliano, vno ex his tribus,è Codice Theodoſiano: nam cùm incendium iſtud Daphnenſe acciderit XI Kal. Decembris A.D. 362, certe poſteriores adhuc ibi conſtitutiones quædam occurrunt ad hunc ipſum Iulianum datæ, puta *lex 54 Cod. Theod.de decurionibus: lex 3.de contrah.empt.* Quare Baronij ſententiæ minus accedo,qui *ann.362 nu.111*, infelices horum Apoſtatarum exitus ante tranſlationem Babylæ & templi Daphnenſis accidiſſe contendit ; etſi alioquin Chryſoſtomi oratio eius ſententiæ fauere videatur : verùm quis iam neſcit, in huiuſmodi orationibus multa προθυςέρως olim à Patribus narrata?

¶ De ſingulis nunc illis videndum eſt. Primus eſt *Felix Comes S. L.* quomodo etiam eum deſignat in hac ipſa narratione Theodoretus *dict.lib.3 cap.11* : cuius meminit

quoque

quoque Marcellinus [illegible] lib.23 pag.256. Libanius *pro Ariſtophane pag.2*58: Iulianus *Miſopogone pag.125.* Imo & Libanius [illegible], Apoſtaſiam eius in Imperatoris gratiam memorat: Μετὰ τοῦτον [illegible] ὁ καλὸς [illegible], τούτῳ μὲν ἀρ[illegible] ἐπῄνεις. θεοὺς δὲ [illegible] φίλος, ἵν᾽ [illegible] σοι χρηστὰ μένοι ἐπὶ τὴν γνῶσιν τῶν κρειττόνων. Cœterum iſta apud Philoſtorgium, ὁ τοῖς θησαυροῖς ἐπιτεταγμένος, verti *Comes S. L.* ita enim hæc æuo vocabatur: Quomodo certe id curæ Interpretibus eſſe cum maximè oportet, vt æui cuiuſque genium ſtilúmq; induant, & ad eius proinde vſum interpretationes ſuas adaptent, quod quia multi etiam hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Interpretes non faciunt, ridendos ſeſe ſæpe propinant. Sic apud Theodoretum quoque hic, vbi dicitur ταμίας τῶν βασιλικῶν θησαυρῶν, minus proprie verſum *Regij Theſauri Quæſtor*, qui & φύλαξ τῶν βασιλικῶν ταμείων Sozomeno *dict.lib.5 cap.7 in fin.* Cœterum, quod genus mortis Felicis iſtius attinet, Ammianus Marcellinus *cum profluuio ſanguinis extinctum* ait, vt & Theodoretus, *lib.3 cap.12*: Et quidem derepente aiunt hi duo: ſicut & Philoſtorgius nulla manifeſta ex cauſa, ἐξ οὐδεμίας ἐμφανοῦς αἰτίας. Addit Philoſtorgius, ne diem quidem integrum ſuperſtitem eum extitiſſe, verùm ſub veſperam extinctum: Itaque Theodoreti lapſus eſt, qui *dies noctesque* ſanguinem ex ore fudiſſe ait. Quem refutat & Chryſoſtomus *contra Gentes*, qui *m*[illegible] *proflu*[illegible] ſcribit.

¶ Secundus eſt *Iulianus* Comes Orientis Iuliani Apoſtatæ auunculus: Comes, inquam Orientis, quomodo etiam eum deſcribit Theodoretus *dict.lib.3 cap.10* [illegible], &

inſcriptiones duarum illarum legum Cod. Theod. puta *l.54 de decurionibus*, & *l.3. de contrah. empt.* Meminit Iulianus Imp. ipſe in *Miſopogone*, & *epiſt. 10. ad Alexandrum*. Eidemque inſcribitur prætereà *lex 5. Cod. Theod. de bon. proſcript. lex 5. C. eod. de fide teſtium.* Cœterùm Theodoretus, & ex eo Nicephorus, eum eo morbo extinctum ait, quem *Chalapſin* medici, *Miſerere* hodie vocant: qui & aliquid etiam de eo adſpergit, quod conſcientia eum ſtimulauerit.

¶ Tertius eſt *Helpidius* Comes R.P. vt diſerte Philoſtorgius, quem Græce ita deſcribit, τῆς βασιλικῆς οἰκίας ταμίας. Theodoretus ſic. τῶν ἰδίων τοῦ βασιλέως χρημάτων τε καὶ κτημάτων τὴν ἡγεμονίαν ...: & ſubjicit pariter vt Philoſtorgius, Κ... δὲ τριβάτων τὸν Χριστὸν ... Ῥωμαίοι: de hac vero Comitiua rerum priuatarum iam ſupra quoque *lib. 3 cap. 12.* Meminit porro huius Helpidij quoque Libanius *pro Ariſtophane pag. 218* & ... *ad Iulianum*: vide & Chryſoſtomum *Orat. 2. ...*. De Helpidij verò iſtius fine nihil Theodoretus ... Quod ſcomma attinet, quo perfuſus Helpidius Apoſtata ὁ θύτης ἐλπίδιος, ſic & Iulianus Apoſtata ipſe θύτης Victimarius pro ſacricola ab Antiochenis dictus, per irriſum, teſte Marcellino *lib. 22*, & Zonara, ... ἀποσκώπτοντες εἰς αὐτόν, ... ἔλεγον ἀλλ' ἡ βασιλεία ...

¶ Poſtremo loco, quod Philoſtorgius de alio quodam ... ſubjicit, id Theodoretus ipſum *lib. 3 cap. ...* de Iuliano Comite Orientis, de quo ſupra, ſcribit: quod videlicet ſacram menſam commiſerit. Ὁ δὲ Ἰουλιανὸς ... ἱερᾶς τραπέζης ... quæ etiam

verba

verba, ἐξεῤῥήχεσαν, Nicephorus hoc loco, quem alioquin ex Philoſtorgio exſcripſit, ſubſtituit, loco huius, ἐναπούρησαν: ἐξουρέω eſt vrinam facio, excerno, pro quo Theodoretus & Nicephorus maluere, ἐξεῤῥήχεσαν. Sic & Sozomenus alterum illud de pudendis putrefactis & vermibus eidem Iuliano Comiti Orientis aptat, *pag.341 l.f.*

¶Ad Cap. XI. *De Hieroſolyma Ælia vocata ab Adriano Imp. & cur.*

De Hieroſolyma (de quâ iam *ſupra cap.9*, & *infr.cap.14*) *Ælia* vocata ab Adriano Imp. qui *Ælius* nominabatur, è Philoſtorgio παρέκβασις hæc eſt, occaſione irritę ſub Iuliano Hieroſolymorum inſtaurationis, forte etiam mentionis de Cyrillo Epiſc. Hieroſolym. de quo & *ſup. lib.4 cap.12*, interiectæ, quam exſcribit quoque Nicephorus, *lib.10 cap.32 pag.73*. Id vero quod hic dicitur de Æliæ nomine jam notum ex Dione *lib. 69 in Adriano*, & Euſebio *lib.4. cap.6*. Chryſoſtomo, *Orat.3. in Iudæos*. Hieronymo *in cap.19 Hieremiæ*: Incerto apud Suidam, *in* βδελυγμός: Nicephoro *lib.3 cap.24*. Hinc & *Ælia* paſſim pro Hieroſolyma, nominatim apud Vlpianum *l.1. §.6. ff de cenſibus*: Ptolemæum, in concilio Nicæno *can.7*. Itinerario Peutingeriano, apud Stephanum *de vrbibus*, & alibi.

Cauſam porro mutati iſtius nominis hanc nonnulli reddunt, quod incolis iam viduata, & ab exteris frequentata & συςαθεῖσα ἑλληνικὴ πόλις, nomen mutarit εἰς τὴν τοῦ κρατοῦντος τιμήν, vt Euſebius *hiſt. Eccl. ſ. lib.4 cap.6*: & quidem eo quod eam à Tito deſtructam, latiore ſitu Ælius Hadrianus inſtaurauerat, ait Hieronymus *in Abd*. Qui

idem *in Hoſeam, ...cap. 9* ait, Hieroſolymam priſtinum nomen amiſiſſe, *ad deum enim ſ... ...* eius. At Philoſtorgius, & ex eo Nicephorus, ... mutati ab Hadriano Imp. nominis cauſam hanc prodit: quò ita, inquit, Iudæorum gentem penitus ex ea vrbe amoueret, neve veteris appellationis occaſione velut patriæ ſuæ repetendæ prætextum haberent, atque ideò per ſpeciem cultus ... ἐν τῇ πόλει λατρείας negotium Romanis faceſſerent, feruidi cæteroquin & ad adeunda pericula præcipites. Ergo hac ratione, mutati ... inquam nominis, Iudæos Hieroſolyma fugatos vult Philoſtorgius. Atenim alij exertè memorant, patrato bello Iudaico Iudæis Hieroſolymam agrúmque eius introeundi licentiam ablatam edicto publico legéque, ... δόγματι καὶ διατάξει τῆς Ἀδριανοῦ ... ἐδάφους: vt Euſebius refert ex Ariſtone Pellæo ... & *hiſtor. Eccl. lib. 4 cap. 6*, & Hilarius *in ... 58*, & Hieronymus *in c. ... E...* . vno tantum ... quo videlicet ea à Tito diruta, quo Iudæis ingredi Hieroſolymam etiam pretio datum, vt docet itinerarium Hieroſolymitanum ſeu Burdigalenſe, & Hieronymus *in cap. 2. Sophoniæ*. De hoc alioquin interdicto Tertullianus quoque Apologet... ... Ergo Philoſtorgio cum ... temporibus haud æquè conuenit, & circa cauſam mutati nominis, & circa ... vrbis Iudæis præcluſum. Quod vero temporis rationem attinet, nihil de eo hic Philoſtorgius. Sanè ... vocatam ... quam Iudaicum bellum ... auctore

auctore conderet, Hadrianúſque conſideret: Nempe enim narrat, Æliam prius vocatam, & quidem Æliam Capitolinam (quomodo etiam vocatur à Ptolemæo & Vlpiano *l. 1. [illegible] 6.* & in veteri nummo) cùm Adrianus loco Hieroſolymæ quæ deſtructa fuerat, Æliam ſuperſtruxiſſet, eóque coloniam deduxiſſet: poſtea verò efferatos Iudæos, exortúmque inde bellum, quód quo loco templum Dei fuerat, Adrianus alterum Ioui ædificari curaſſet. Sed alij poſt confectum bellum nomen mutatum volunt, vt Euſebius *hiſt. lib. 4. cap. 6.* aliique. Verum hæc ἐν παρόδῳ.

¶ AD CAP. XII. &c. *De Oraculorum Gentilitiorum ſub Iuliano falſitate.*

De *Oraculorum* Gentilitiorum falſitate ſub Iuliano ſingularis hæc Philoſtorgij, vnde & Nicephorus habet *lib. 10 cap. 29*, narratio & obſeruatio eſt, quæ nuſpiam alibi occurrit. Ait Philoſtorgius, tranſlatis Babylæ reliquiis oracula Gentilium, initio facto ab eo quod Daphne (prope Antiochiam ſcilicet) erat, reſponſa & vaticinia ſub Iuliano edidiſſe, contrario tamen ſucceſſu. Quod de Daphnenſi oraculo ait Philoſtorgius, contrarium iis eſt quæ Chryſoſtomus ſcribit, nempe quod tranſlatis Daphnen Babylæ reliquiis oracula obmutuerint. Secundò ait, & ex eo rurſum Nicephorus, ipſa etiam Gentilitium nominatim ſuper Iuliani Comitis Orientis, Iuliani Imperatoris auunculi, conſulta fuiſſe reſpondiſſeque omnia, *[illegible]m*, & tamen Iulianum illum miſerè periiſſe cum illa ipſa oracula legerentur (ſcripto enim

ea comprehendebantur, vt & reſponſa aruſpicum : vide *l.1. Cod. Th.* [illegible] *pagani, ſacrif. & templ.*) Quibus nil ſimile alij memorant : & Sozomenus tantum *lib. 5 cap.* [illegible], medicamento [illegible] vim omnem vim morbi fruſtratam.

¶Cæterum (quod ſcopum Philoſtorgij attinet) quemadmodum ſuperiore παρεκβάσει (pariter vt *cap.9* [illegible] *14*) Philoſtorgius oraculorum diuinorum vim firmatam contra Iudæos & Gentiles voluit, ita contrà hac obſeruatione oraculorum Gentilitiorum vanitatem diuina prouidentia ſub Iuliano eductam traductamque, oſtenſum iuit.

¶Ad Cap. XIII. *De Apoſtatarum duorum* [illegible] *& Theotecni ſub Iuliano exitu.*

De *H*[illegible] Thebæi, ad Epiſcopatum promoti, & *Theotecni Apoſtatarum* ſub Iuliano Imp. exitu & exitio eſt hoc caput, quod etiam exſcripſit Nicephorus [illegible] *pag.68,69.* Eadémque habet auctor Chronici Alexandr. *ann.363* : vbi addit, *Theotecnum* hunc fuiſſe presbyterum Antiochenum, vt & Heronem [illegible] Antiochiæ obijſſe. Quod *Theotecnum* at[illegible] non hæc quoque quæ de eo narrantur ad M[illegible] potius tempora & perſecutionem pertineant, de qua Euſebius *lib.9 cap.9*, vt multa alia [illegible] perſecutioni [illegible], ab aliis ad Iuliani tempora referuntur. [illegible] eſt inter alia quod de [illegible] nea [illegible] *hoc lib. cap.* [illegible] [illegible] uatione idem Philoſtorgius [illegible] palam faceres, [illegible]

mile-

miſerum Apoſtatarum diuina prouidentia id agente, vindictamque ſeſe exercente, [illegible].

¶AD CAP. XIV. *De irrita Hieroſolymæ inſtauratione ſub Iuliano*, &c.

Redit Philoſtorgius ad irritam *Hieroſolymæ* inſtaurationem ſub Iuliano: vbi præter ea quæ iam ſuprà dixit *cap 9*, de Iuliani inſtituto & conſilio, mox & de prodigiis ingentibus, quibus opus interturbatum fuit, narrationem quandam inſtituit, quam & Nicephorus exſcripſit *lib.10 cap.33 pag.76* ſuppreſſo vt [illegible] Philoſtorgij nomine: ſic quidem vt hanc narrationem ἐν [illegible] in arcanis ſcriptis reperiſſe ſe dicat (Philoſtorgij) ſcilicet haud bonum ſatis hanc in partem [illegible] de *Euangelio* videlicet *Ioannis*, in ſpecu quadam cum fundamenta iacerentur reperto. Quod per ſe quiſque legere poteſt, quamque fidem id mereatur, diſpicere: quando etiam nihil tale alibi occurrit. Certe narratio iſta eo fine propoſita, vt Gentilibus & Iudæis de diuinorum oraculorum firmitate aduerſus temerarium eorum propoſitum de Hieroſolyma inſtauranda fides fieret: quandoquidem liber ille in fundamentis tùm repertus eum Deum prædicaret, qui æternam Hieroſolymæ ruinam denunciauerat. Et prima [illegible] verba [illegible] ibidem allegat, aduerſus Gentiles & Iudæos, *In principio erat verbum*, &c. quæ ſi recte intellexiſſet [illegible] Philoſtorgius, Arianorum Anomœorumque ſuorum confuſionis iugulum vidiſſet: quæ & ideo vel maxime vrgent Patres aduerſus Arium & Eunomium videmus, vide vel

Baſilium. Nullus certe illuſtrior locus ad æternitatem & [illegible] Pauli ſtabiliendum. Verum vt id videre noluit Philoſtorgius, ita proculdubio hæc commenta ſunt quæ hic narrat : qualia ſimilia apud hæreticos quamplurima occurrunt. Sin ille prorſus illud quod de [illegible] Pauli memoratur apud Sozomenum *lib. 7 cap. 19 in fin.* quæ reperta videlicet dicebatur ex diuina reuelatione Tarſi, in patria ipſa Pauli, in marmorea arca ſub terra : Quod commentum eſſe, aduerſus monachos quoſdam, Cilicis ſenis & presbyteri Tarſenſis teſtimonio, contendit Sozomenus. ¶ Obiter interim hîc obſeruandum, quod de ἡμιτυβίῳ ait, inuolutum fuiſſe librum ἡμιτυβίῳ : quæ vox occurrit & infra *lib. 11 cap. 1.* Ἡμιτύβιον eſt linteum, ſudarium, faſcia, ſindon. Eo ſcilicet inuolutus hic liber dicitur : ſicut *d. cap. 1.* ἡμιτύβιον in veſte Imperatoria cenſetur, quódque ideò Imperatori Valentiniano cæſo detractum, colloque eius aptatum, vt eo ceu laqueo ſuſpenſus videretur : Hac voce vſi ſunt olim Ariſtophanes & Hippocrates non vno loco, & Plutarchus. De ea videndi Pollux *lib. 7 cap. 16* : & Heſychius, vt & Scholiaſtes Ariſtophanis & Galenus, qui ait, eſſe [illegible], &c. Sunt qui etiam [illegible] vocant, A[illegible] & Pollux, & Nicephorus hic. Verum de hoc [illegible] vide omnino Lexicon Hippocraticum. ¶ Tandem [illegible] Philoſtorgi [illegible] [illegible] Hierosolymam [illegible] Scripturam [illegible] docere [illegible] dictum [illegible] [illegible] deſcribe

de Ioabo & Dauide pertinent : quod & Ioſephus habet 7. *Antiquit. Iudaic. 2 in fin. & cap. 3.*

¶AD CAP. XV. *De Iuliani in Perſas expeditione, déque eius ibidem cæde.*

De *Iuliani* Apoſtatæ in Perſas expeditione, eiúſque ibidem *cæde*, eſt hoc caput, quod exſcribit quoque Nicephorus, *lib.* 10 *cap.* 34 *pag.* 80 : & *cap.* 35 *pag.* 81, cum quo componendi ſunt (vt omittam Eutropium, Marcellinum, Oroſium, Zoſimum, alios) Socrates *lib.* 3 *cap.* 18 : Theodoretus *lib.* 3 *cap.* 20 : Sozomenus *lib.* 6 *cap.* 1. Nos ſingula in Philoſtorgio ſectemur.

Primum eſt, quod ait Iulianum Gentilium oraculis perſuaſum, quaſi vim inuictam habiturus eſſet, aduerſus Perſas exercitum mouiſſe. Cui ſimilia vide apud Theodoretum *lib.* 3 *cap.* 18, de oraculo Delphico Delio, Dodonæo : Socratem *lib.* 3 *cap.* 18, vbi de Maximo Philoſopho, à quo μαντείαις quibuſdam perſuaſus inductúſque fuerit, vt & inanibus ſomniorum viſionibus : vide & Gregor. Nazianz. 2. στηλιτεύτ.

Secundum eſt, de ſene quodam, à quo Iulianus & exercitus eius in deſerta loca deductus, & exinde Perſis obiectus, mox & cæſus fuerit : Et ſenem hunc ait, ex eorum numero fuiſſe qui à Perſis defecerant, & ad Iulianum in Perſide militantem tranſiuerant. De exercitu equidem à Iuliano ipſo in incultum & deſertum locum deducto memorat Theodoretus *lib.* 3 *cap.* 20 : ſed nihil de hoc milite, & exercitu ab eo in inculta & deſerta deducto. At Gregorius Nazianzenus 2 στηλιτεύτ. & Sozomenus

lib.6 cap.1 paria omnino cum Philoſtorgio ſcribunt: niſi quod hic addit, hunc ſenem à Romanis data opera capi ſeſe permiſiſſe, ſed quaſi inuitum ille verò pariter cum Philoſtorgio vltro ad Romanos transfugiſſe, vbi & cum Zopyro eum componit. Sic & Sex. Rufus transfugam vocat, *qui ſe ad fallendum obiecerat.*

Tertium eſt de *Saracenis* fœderatis haſtiferis, quos Perſas in Iuliani exercitum in deſertis locis illis hærentem immiſiſſe ait. Saracenos bello aduerſus Iulianum fœderatos fuiſſe teſtis quoque Marcellinus *initio lib.25. pag.305,319.* Quanquam & ipſe Iulianus quoque in exercitu ſuo Saracenorum auxilia habuerit: teſte Marcellino *lib.23:* & Iuliano *epiſt. ad Libanium Quæſtorem.*

Quartum eſt, de eo à quo Iulianus cœſus fuerit. Igitur Philoſtorgius ait, eum reuerà cœſum ab vno Saracenorum haſtiferorum Perſis fœderatorum (de quibus ſuprà) qui intortâ in Iulianum haſta valide eum percuſſerit: Sed multis creditum, à ſuiſmet occiſum, eò quod vulnus id derepente accidiſſet, neque vnde id contigerat videri poterat. Et ita quidem definit Philoſtorgius: quam quidem opinionem inter alias quoque refert Gregorius Nazianzenus *2 στηλιτευτ.* εἰσὶ δὲ οἳ καὶ Σαρακηνῶν τινι τὸ κλέος τοῦτο διδόασι. Et Theodoretus, οἱ δὲ τῶν νομάδων ἕνα τῶν Ισμαηλιτῶν καλουμένων: vt & Sozomenus *lib.6 cap.1 pag.365:* λέγουσι δὲ οἱ μὲν Περσῶν, οἱ δὲ Σαρακηνὸν εἶναι τοῦτον. Cùm tamen variæ de hoc admodum ſententiæ fuerint, teſte Gregorio Nazianzeno, aliíſque: Omitto qui à dæmone vel angelo vel à Perſa Achæmenide cœſum dicebant: Inter eas illa quo-

que

que fuit, à *ſuiſmet* videlicet cœſum Iulianum, vt Philoſtorgius indicat, ſeu à milite telóque Romano, vt Perſæ ipſi jactabant, cecidiſſe Iulianum: teſte Marcellino *lib.25 pag.31.* ídque Socrates ait *lib.3 cap.18*, multorum ſermonibus ferri, ὁ πολὺς λόγος κρατεῖ, ſed diuerſimodè adhuc: Alij ſcilicet à milite Romano ideò cœſum volebant, quod iniquo animo ferret, Iulianum temeritate & audaciâ exercitum Romanum in tanta pericula conjeciſſe: vt ſcribit Sozomenus *dict.cap.1 pag.365*: vel, vt refert Theodoretus *dict.cap.20*, à milite qui famis & ſolitudinis moleſtias ægrè ferebat. Alij, quod conſcenſo tumulo, luſtratóque exercitu, eóque ſpe ſuâ ampliore viſo, graue ac indignum fore dixiſſet, ſi omnes hos ad Romanorum terras reduxiſſet, vt refert Gregor. Nazianzenus 2 στηλιτ. Alij denique, pagani ſcilicet, Chriſtiano id imputauêre; quod Libanius voluit *Orat. funebri Iul. pag.323, 324*: quod etiam ex eo refert Sozomenus *dict. loco*: qui idem & *cap. prox.2*, id verum forte eſſe ait, imò & ex ſenſu ſuo, ſi factum laudat. Atenim, vt dixi, Philoſtorgius vna cum aliis pluribus id à Saraceno factum contendit: addito, quod ſatellitum Iuliani quidam Saracenum percuſſorem inſecutus ei caput amputauerit. Quod apud vnum Philoſtorgium reperio.

Quinto loco ſubjicit quæ Iuliani vulnus inſecuta ſunt: quorum primum illud, quod acie ſeu haſtâ ex vulnere Iuliani extractâ ſtercus quoque cum ſanguine ſimùl attractum ſecutúmque ſit, quod & ipſum alibi non lego. Illud tantum lego apud Marcellinum, *lib.25 pag.310*,

Iulianum *dum equeſtrem haſtam illam auellere dextera manu conatur, acuto vtrimque ferro digitorum neruos ſenſiſſe exciſos.* Item illud lego apud Sext. Rufum Feſtum, Iulianum *conto per ilia ictum, inguinum tenus vulneratum eſſe.* Secundò ait, vulneratum lethaliter Iulianum à ſuis feſtinanter ſupra ſcutum ad tentorium delatum. De delato in caſtra conſentit Marcellinus, *lib.*25 *pag.* 289, de delato verò ſupra ſcutum, iuxta Philoſtorgium, Zoſimus quoque *lib.*3 *pag.* 728, καὶ ἐπιτεθεὶς ἀσπίδι φοράδην ἐπὶ τὴν σκηνὴν ἄγεται. Scilicet ſupra ſcutum elatum Iuliani Imp. cadauer, quomodo & ſupra ſcutum ſublati Principes in inauguratione: Ipſemet Iulianus, vide Marcellinum *lib.*20 *pag.*160, Libanium *in* προσφωνητικῷ *pag.*180: & Valentinianus, *infrà lib.*8 *cap.*8. Tertiò ait Philoſtorgius, Iulianum ſuſceptum è vulnere ſanguinem manibus ad Solem jactaſſe, dixiſſéque, *ſatiare*, ſed & alios Deos, *malos & exitiales* vocaſſe. De maledictis quæ in Deos Iulianus jactauit, & exſcribit hinc quoque Nicephorus *lib.*8 *cap.*35 *pag.*84, conuenit quoque Theodoretus *lib.*3 *cap.*20: ac nominatim in Martem, Apollinem, Iouem. Verùm de jactato ad Solem ſanguine non conuenit Philoſtorgio cum cœteris, vt rectè Photius *fine capitis* obſeruat: niſi quod & Zonaras & Chronicon Alexandr. aiunt, Iulianum exclamaſſe, *O Sol Iulianum perdidiſti.* Ὦ Ἥλιε ἀπώλεσας Ἰουλιανόν. Alij quippe ad *Chriſtum* iactaſſe memorant: vt referunt Theodoretus *lib.*3 *cap.*20 *in fin.* & Sozomenus *dict. lib.*6 *cap.*2. Neque tamen id ſolus Philoſtorgius (quíque ex eo habet Nicephorus) ſcribit: nam & idem Sozomenus *ibid.* refert,

alios

alios id ad ſolem factum dixiſſe. Libanius tandem *Orat. funebri pag.* 258, jactati ſanguinis à Iuliano non meminit, verùm Poëtice de guttis ſanguine mixtis de cœlo ſicut ſuper Sarpedonem ſparſis agit. Quartò ait Philoſtorgius, Oribaſium medicum præſtantiſſimum Iuliano vulnerato morientíque adfuiſſe. De hoc certe Oribaſio medico inter cætera vide vitam eius apud Eunapium *in vitis Sophiſtarum*, & Suidam in Ὀρειβάσιος : Quorum ille inter alia refert, Iulianum Cæſarem factum, eum ſibi medicum adſciuiſſe (& verò in Gallias cum eo profectum eum diſcere eſt ex eius præfat. librorum ad Iulianum) imò & Oribaſium, *Iulianum Imperatorem creaſſe*, βασιλέα ἀπέδειξε, de quo in rebus Iuliani accuratius egerit. Apud hunc vero Oribaſius dicitur γνώριμος τοῦ Ἰουλιανοῦ: & ab eo Quæſtor vrbis Conſtantinopolitanæ factus. Viciſſim Oribaſius dicitur ad eum ſcripſiſſe libros 72, item Galeni compendium. Porrò ait Philoſtorgius, Oribaſium Lydium fuiſſe ex vrbe Sardis. Cui concinit & vetus auctor apud Suidam, vbi Ὀρειβάσιος Σαρδιανὸς pariter dicitur. At Eunapius ipſemet Sardianus in *Oribaſio* eum Pergamenum facit, Ὀρειβάσιον δὲ Πέργαμος ἤνεγκε : Pergamus equidem in Phrygia fuit, quæ Lydiæ proxima, ſed enim Sardis & Pergamus diuerſæ ſunt. Quintò ait, Iulianum poſt tres à vulnere dies mortuum : Atqui ipſo illo die poſt mediam noctem mortuum ſcribit Zoſimus *lib.* 3 *pag.* 728.

Poſtremo Philoſtorgius, & ex eo Nicephorus *d. lib.* 10 *cap.* 35 *in fin.* Iuliani annos colligit, Cæſareæ videlicet

poteſtatis & Imperatoriæ : nempe in habitu Cæſaris quinque annos eum impleſſe ait : cùm diademate poſt Conſtantium duos cum dimidio. Quæ recta Philoſtorgij computatio eſt quoad Cæſaris dignitatẽ: In Cæſaris ſcilicet habitu fuit Iulianus à fine anni 355 ad ann. 360: At minus rectè quoad Imperialem poteſtatem : Imperator enim fuit Iulianus poſt Conſtantium, à menſe Octobri, anni 361, quo Conſtantius mortuus eſt, ad 6 Iulij anni 363, quo ipſe defunctus eſt, & ſic viginti tantum menſibus imperauit, ſeu vno anno menſibus octo, quomodo exerte Hieronymus *Chronico*, & vita *Athanaſii*. Socrates in eodem errore cum Philoſtorgio cubat, cùm ait tertio Imperij anno Iulianum obiiſſe : niſi duos dimidiatos annos, quod multi faciunt, pro integris numeremus. Et Philoſtorgio vt & Socrati tùm demùm ratio conſtabit, ſi Auguſtæ dignitatis initia repetamus ab eo tempore quo Iulianus *Pariſiis* Auguſtus renunciatus fuit.

¶Hîc interim illud in tranſcurſu obſerua, ἐν τῷ διαδήματι à Philoſtorgio dici pro Imperatoriâ dignitate ſeu Auguſtâ, & opponi ei Cæſaris habitum. Quomodo & Zoſimus *lib.3 pag. 711* hunc ipſum Iulianum Auguſtum Pariſiis nuncupatum, Conſtantio ſignificaſſe ait, paratum ſe, vt diademate poſito Cæſaris dignitatem retineret: ἕτοιμος ἔφασκεν εἶναι τὴν τοῦ Καίσαρος ἔχειν ἀξίαν, ἀποθέμενος τὸ διάδημα. Et in ſequentibus mox, τὸ τοῦ Καίσαρος σχῆμα opponitur. Nempe Cæſares diademate non vſi, at ſoli Auguſti & Imperatores : quod ſane ideò etiam in inauguratione illa *Pariſienſi* diu quæſitum mox & impoſitum Iuliano: de quo

de quo Marcellinus, Libanius &c. Diadema denique παράσημον Imperatoriæ dignitatis fuit, & inter Auguſti Imperij inſignia, quod Cæſaribus conceſſum non fuit: de quo vide & *ſupra lib 3 cap.22: lib.6 cap.6.*

IN LIBRVM OCTAVVM.

¶Ad Cap. I. *De* Iouiano *Imperatore facto,* &c.

DE Iouiani Imperatoris inauguratione, deque Pace ab eo cum Perſis initâ, & cadauere Iuliani in Ciliciam deportato eſt hoc caput. Hæc inquam tria ſunt huius capitis capita. In primo nihil peculiare occurrit: Nempe ait, poſtero ſtatim poſt Iuliani mortem die Iouianum Imperatorem creatum: id quod & Marcellinus, *lib.25 pag.*317 quoque ſcribit, & Socrates *initio cap.*19 *lib.*3: vide & Chronic. Alexan. *pag.*692. Quod pacem cum Perſis factam attinet, excuſat eam Philoſtorgius, velut neceſſariam: οὐ γὰρ ἦν ἄλλως διασωθῆναι: Et cauſam addit, εἰς δέκατον μέρος τῆς ὅλης στρατείας ἀπολειπωθείσης, quod ſcilicet exercitus Romanus ad decimam partem redactus fuiſſet. Quod iudicium quoque eſt cœterorum fermè ſcriptorum, Iouianum id ἀπρεπῶς μὲν Ῥωμαίοις feciſſe, ἀναγκαίως δὲ ὅμως, ὥσπερ οὐ βασιλείας, ἀλλ' ἥττης κληρονόμος γενόμενος, pacémque adeò pro tempore neceſſariam fuiſſe, πρὸς τὸν καιρὸν ἀναγκαῖον, quæ Gregorij Nazianzeni ſententia

eſt 2 ϛηλιτεύτ. & ex eo Niceph. *lib.* 10 *cap.*38: Auguſtini *lib.* 4 *de ciuitate Dei cap.*29: & *lib.*5 *cap.*21: Hieronymi *in Chronico*: Chryſoſtomi *aduerſ. Gentiles*, & *de laudib. Pauli orat.*4. Rufini *lib.*2 *cap.*1: Socratis *lib.*3 *cap.*19: Sozom. *lib.*6 *cap.*3: Sic vt Iuliani temeritati hanc pacem adſcribant; & Gregorius Nazianzenus hùc illud ex Herodoto referat. *Calceum iſtum quidem conſuit Heſtiæus, induit autem Ariſtagoras.* Alij verò (teſte quoque Socrate *lib.*3 *cap.*19) hanc pacem & Iouiani timiditati adſcribunt, & deflent, velut Romanis inuſitatam, defœdam, & indecorem: Rufus Feſtus *in Breuiario ad Valentem.* Eutropius *lib.* Ammianus Marcellinus *lib.*25, Zoſimus *lib.*3 *pag.*730, 731, 732, Agathias *lib.* 4: Zonaras tandem etiam οὐ πρεπωδεστάτας Ῥωμαίοις σπονδὰς, ſed tamen ἐξ ἀνάγκης fuiſſe ſcribit.

¶Quod conditiones pacis attinet, hac pace ait Perſis redditam Niſibin, aliáſque ciuitates quæ Romanis aduerſus Perſas Armeniam vſque muri inſtar prætendebantur: *Transtigritanas* vno verbo vocant alij. Socrates *lib.*3 *cap.*19 ait, Niſibin Meſopotamiæ Perſis traditam, multatúmque Imperatorem Syrorum dominatu, ζημιωθεὶς τοῖς Σύροις τῆς ἀρχῆς: vbi Syri ſunt Aſſyrij, ſicut apud noſtrum *ſup.lib.*3 *cap.*7. Ammianus *lib.*25 *pag.*300, Petrus Patricius *in Excerptis legationum*, Zoſimus *lib.*3 *dict. pag.*731 clarè rem proponunt: nempe Zabdicenen, Carduenen, Rehiſmenem, Arzanenen, Moxoënen, cum quindecim ciuitatibus & incolis earum, Niſibin & Singaram ſine incolis, & caſtra Maurorum, itidem & Armeniæ partem, relictis perpaucis in ea Romanis traditam. Quod verò

Niſibin

Niſibin aliáſq; ciuitates Romanis aduerſus Perſas muri inſtar *οἱονεὶ τεῖχος* prætentas ait, idem & Gregorius Nazianzenus *Oratione 2 de Babyla: ὁ τῆς καθ' ἡμᾶς οἰκουμένης ὥσπερ τεῖχος ἦν ἀρραγές.* De Niſibi alioquin nominatim à Iouiano Imp. Perſis tradita agit & Hieronymus de vocis Heb. *in v. Achad.* Zoſimus prolixe *d. lib. 3*: Agathias *lib. 4.*

¶ Tertium huius capitis membrum eſt *de cadauere Iuliani*: vbi primo notat Philoſtorgius, delatum id à Merobaude iiſque qui cum ipſo erant in Ciliciam. At Ammianus Marcellinus, *lib. 23 pag. 328*, id à Procopio factum ſcribit: *Cum Iuliani*, inquit, *ſupremis Procopius mittitur, ea, vt ſuperſtes ille mandauerat, humaturus in ſuburbano Tarſenſi*, qui ad exequendum profectus, confeſtim corpore ſepulto diſceſſit. De hoc alioquin Merobaude Marcellinus, Zoſimus, &c. Secundo ait, delatum Iuliani cadauer Ciliciam, nempe in ſuburbanum Tarſi; quod cæteri omnes teſtantur. Tertiò obſeruat, locatum Iuliani cadauer è regione ſepulchri, quo Maximiani oſſa continebantur, ſemitâ tantum inter vtrumque interpoſita; ídq; factum caſu quodam, non conſulto conſilio, quod Nicephorus quoque exſcripſit *lib. 10 cap. 43 pag. 103.* At nullus prætereà id obſeruat. Quod verò de Maximiano dicit, id de *Maximino* accipiendum eſt, quæ nomina & aliàs ſæpè confundi videmus: Maximinus ſcilicet is eſt, cuius ſæua in Chriſtianos perſecutio memoratur, quíque repentinâ à Deo percuſſus plaga, tertio perſecutionis anno, qui annus eſt Domini 314, mortuus eſt: poſt quod deinceps pax in Eccleſia fuit: Ipſum verò apud Tarſum obiiſſe

Eutropius, *lib.*10 (vbi Maximianus pariter perperàm vocatur) & Zoſimus, *lib.2 pag.* 677 *in fin.* teſtantur. Prope huius Maximini igitur cadauer poſitum Iuliani cadauer, conuenienter ſcilicet, Philoſtorgij judicio, etſi caſu; velut qui inter ſe tot in rebus alioquin pariabant. Et vero ideò quoque factum videmus, vt nonnulla quæ Maximini temporibus & perſecutioni conueniunt, ab aliis Iuliano tribuantur: de quo monui aliquid *ad lib.7 cap.3 & 13.*

¶AD CAP. II. *De his quæ ſub Iouiano circa Aëtium Antiochiæ ab Euzoio geſta*, &c.

De his quæ ſub Iouiano circa *Aëtium* Antiochiæ ab Euzoio geſta, vt & de his quæ ab *Aëtio & Eunomio* Conſtantinopoli facta. ¶Quod vt intelligatur, repetenda ſunt ea quæ ſub Iuliano *lib.7 c.5 & 6* dicta ſunt. Nempe, dictum ibi, quomodo Eudoxius Ep. Conſtantinopolit. ſponſionis ſuæ memor primo quidem apud Euzoium Epiſc. Antiochenum pro reſtituendo Aëtio egerit: mox, quomodo & Aëtius Conſtantinopoli ordinatus fuerit vna cum aliis Epiſcopis, Eudoxio nihil contra refragante, imò conſentiente: & ab Euzoio Antiochiæ, in Synodo nouem Epiſcoporum, contra Aëtium olim geſta, (in Synodo videlicet Conſtantinopolitana ſub Iuliano) reuocata fuerint: & libellos τοὺς τόμους ſuper hoc Euzoium ab Eudoxium miſſurum fuiſſe, niſi perſecutio aduerſus Chriſtianos ſæua id impediſſet. Quod quidem omne, vt multa alia, Philoſtorgius notauit, quò videl. oſtenderet, quàm parum ſibi Eudoxius & Euzoius conſtiterint, qui

qui poſteà ab Aëtio ſeceſſionem fecêre. Eò verò quoque pertinet hoc caput: Quo primùm narrat, Euzoium quique cum eo erant, Antiochiæ libellum τὸν τόμον ſuper Aëtio & dogmate ipſius vulgaſſe ſeu propoſuiſſe, non ideò tamen ad hæc hortari ſuſtinuiſſe, τὸν μὲν ὑπὲρ Ἀετίου καὶ τοῦ δόγματος τόμον ἐξέθεσαν, οὐ μὴν γε παραινεῖν ταῦτα διεκαρτέρησαν: Nempe, Euzoium & Synodum Antiochenam his verbis accuſat Philoſtorgius, quod equidem de reſtitutione Aëtij libellum, quo & dogma Aëtij memorabant, vulgaſſent, vti moris erat huiuſmodi ἐκθέσεις fieri τῶν τόμων tum fidei tum & eorum quæ in Synodis decreta fuerant: at non etiam, quod & ipſum moris erat, in ea ἐκθέσει ad probandam Aëtij doctrinam alios inuitaſſent, ſeu ad eam hortati fuiſſent.

Hac de cauſa, quod ſecundum, ſcribit Philoſtorgius, cùm id viderent Aëtius & Eunomius, qui Conſtantinopoli agebant (iam inde à Iuliani temporibus: vide *ſuprà lib.7 cap.6*) neque bona fide ſecum agi, ſeorſim iam res ſuas adcuraſſe, cœteráque, prout ipſis commodiſſime viſum fuit, diſponentes, Epiſcopos quoque ordinaſſe. Hanc ſcilicet tandem iuſtam ſeceſſionis χωρισμοῦ cauſam Aëtio & Eunomio (Anomœis) præbitam indicat Philoſtorgius, eiúſque adeò inuidiam penes Euzoium & Eudoxium collocatam voluit. Quorum omnium nulla apud alios ſcriptores mentio occurrit: Illud enim hactenùs de Anomœis ſub Iouiano occurrit apud Socratem, *lib 3 cap.25*, & Sozomenum *lib.6 cap.4*, nempe primò, Anomœos damnatos à Macedonianis, in quibus Baſi-

lius Ancyræ, qui Filium ſubſtantiâ ſimilem ὁμοιούσιον aſſerebant, libello oblato Imperatori Iouiano: Secundò, Antiocheno quoque concilio, cui Meletius Epiſc. Antiochiæ præſedit, & Acacius Cæſareæ interfuit, quo homoouſion ſeu fides Nicæna in ſpeciem ſtabilita, Anomœos pariter damnatos: déque eo decreta ad Iouianum miſſa: Quò locus ille Hieronymi in Chronico pertinet: *Synodus Antiochiæ à Meletio & ſuis facta, in qua homoouſio Anomæoq; reiecto, medium inter hæc Homoiouſion Macedonianum dogma vindicauerunt.* Recte enim ita ex MSS. vindicauit Fronto Ducæus & Scaliger: nam etſi Acaciani in ſpeciem homoouſion fidémque Nicænam vindicaſſent, attamen, quod & alias factum (& quidem in Synodo Nicæna, quod noſter teſtatus *ſup. lib.1 cap.9,10*: vbi dixi plenè) ſub ὁμουσίῳ, ὁμοιούσιον occultauere, quod decreto illo ſuo ad Iouianum emiſſo apertè ſignificant: quod Baronius quoque rectè iam vindicauit *ann.363 num.144 in fin.* Quæ cùm ita ſint, hinc colligere eſt, Anomœos, ab omnibus ſub Iouiano damnatos, non tantùm ab orthodoxis, verùm & ab Acacianis & Baſilianis, quibus medium dogma ὁμοιουσίου placuit. His adde nunc ea, quæ Philoſtorgius ab Euzoio & Eudoxio quoque ſub eodem Iouiano erga Aëtium & Eunomium, inſtitutóſque ab his Epiſcopos facta narrat: de quo eſt *hoc cap.2, & cap.4,7.* Et certe hoc illud tempus eſt, exínde ex quo ſub Iuliano Aëtius reſtitutus ordinatúſque fuit (de quo *lib. ſuper. cap.5 & 6*) quo Anomœi caput maximè efferre cœperunt: Vnde etiam libello Antiocheno ad Iouianum miſſo, tanquam de

de nouis hæreticis agitur, ὥσπερ καὶ οἱ νῦν ἐπιφοιτήσαντες Ἀνόμοιοι.

Sequitur nunc recenſus Epiſcoporum, ab Anomœis, ſeu ab Aëtio & Eunomio, Conſtantinopoli ſub Iouiano ordinatis: ex quibus etiam conſtabit, quaſnam Anomœorum hæreſis tum regiones ſeu prouincias peruaſerit. ¶ Igitur primò, *Lydiæ* & *Ioniæ* præpoſiti Candidus & Arianus: de quibus etiam agitur infrà hoc ipſo libro tribus prætereà locis, puta *cap.*4, 6, 7, & *lib. prox.* 9 *cap.*1. Quod *Candidum* attinet, hic eſt ille Candidus, qui ſcripſit ad Marium Victorinum librum *de Generatione diuinâ*, cuius retrò confutationem idem Marius Victorinus ſcripſit *de Generatione diuini verbi*, quod vtrumque ſcriptum excuſum primo Baſileæ apud Ioannem Oporinum A. D. 1548. Eiuſdémque etiam Candidi reſponſio, quâ epiſtolam Arij & Euſebij miſit, occaſionem eidem Victorino præbuit ſtylum in Arium ſtringendi ſeu ſcribendi *libros* 4 aduerſus Arium: quorum initio Candidum hunc compellat. De eo verò plura *inf. dictis locis.* ¶ Secundò *Palæſtinæ* præpoſitus ab Aëtianis ſeu Anomœis, Theodulus è Charatopis, de quo iam *ſupr. lib.*7 *cap.*6: & *infrà lib.*9 *cap.*18. ¶ Tertiò, *Conſtantinopoli* (vbi haud paruum numerum qui ab Eudoxio & aliis hæreſibus defluxerant, Aëtij & Eunomij partem auxiſſe ait: de quo vide & Theodoretum *lib.*2 *cap.*29 *pag.*85 *in fin.* & 86) primum Eccleſiæ ſuæ Epiſcopum, Aëtium & Eunomium ordinaſſe ait, Pœmenium nomine: Eámque rem effeciſſe Philoſtorgius ait, ut Eudoxius vſque tum vnitatis ſpem cum

ius ludificans in contrarias partes firmiter traduceretur, *ὃ καὶ τὸν Εὐδόξιον μέχρι τότε τὰς πρὸς αὐτοὺς τῆς ἑνώσεως ἐλπίδας ὑποστρέφοντα εἰς τὸ βεβαίως ἀντίπαλον μετεστήσατο.* i. effeciſſe, vt iam Eudoxius in alia ab Aëtio & Eunomio aperte iret, larvámque deponeret. Quod quidem illud eſt, quod Philoſtorgius longe ante promicans tot ſuprà locis adſtructum paulatim ibat, nempe Eudoxium vnitatis ſpem ſpeciémque cum Aëtio diu prætendiſſe, præque ſe tuliſſe, atenim ſui diſſimilem tandem erupiſſe, de quo monui ſemel plenè *initio libri ſeptimi*, & *in Prolegomenis*. Adjicit Philoſtorgius, Pœmenio hoc haud ita multo poſt mortuo, Florentium in Pœmenij locum Conſtantinopoli ab Aëtio & Eunomio ſeu Anomœis ordinatum: de quo Florentio vide & *infr.lib.9 cap.1.* ¶ Quarto ait, *Lesbi* quoque ab his paſtorem ordinatum in locum demortui: vbi vtriuſque nomen in MS. intercidit: forte demortuus Euagrius ille fuit, de quo *inf.lib.9 cap.1.* ¶ Quintò, *Ponti, Galatiæ & Cappadociæ* Eccleſiis Ephranium præpoſitum ab Anomœis ait: An verò hic idem qui Euphronius *infrà lib.9 cap.18*? ¶ Sextò, *Ciliciam* Iuliano commiſſam: de quo vide & *infr.lib.9 cap. 8.* ¶ Septimò, *Antiochiæ* Cœlæ Syriæ haud multo poſt præpoſitum Theophilum Indum, de quo multa ſuprà: præpoſitum autem ait Philoſtorgius ideò, vt Euzoium excitaret ad perducendum ad finem quæ ſuper Aëtio decreta fuerant ſub Iuliano videl. in Antiochena Synodo: de quo *ſupr. lib.7 cap.6, & initio huius cap.* ſin minus vt ipſe Theophilus populo ibi præeſſet, qui fidem Aëtij teneret. ¶ Tandem vtrique

vtrique Libyæ & Ægypto, iis qui ἀνόμοιον profitebantur cum Aëtio & Eunomio, præpoſitus ab his Serras, Stephanus & Heliodorus: de quibus ſuis *iam locis*, ac nominatim *lib.7 cap.6.* ¶ Et hactenùs quidem recenſus Epiſcoporum Anomœorum ſub Iouiano ab Aëtio & Eunomio ordinatorum. In quibus ſingulis laudandis ait Photius, Philoſtorgium nullum modum tenuiſſe, tum vim dicendi eorum deprædicando, tum vitam eorum diuinis laudibus efferendo. Quibus ſimilia vide rurſum *infrà lib.9 cap.1.*

¶AD CAP. III. & IV. *De Theodoſio quodam [Lydiæ] Epiſc. eiuſq; moribus, & doctrina.*

Sunt hæc duo capita de *Theodoſio* quodam Lydiæ Epiſcopo (cuius mentio quoque apud Athanaſium *de Synodis pag.679:* Epiphanium *hæreſi 73 num.26:* Socratem *lib. 2 cap.32*) eiúſque moribus & hypotheſibus nonnullis, & quomodo ſeſe Candidi & Ariani ordinationi Aëtióque oppoſuerit; déque *Synodo* in id ab eo in Lydiâ coacta, literíſque ad Eudoxium miſſis, contra Aëtij, vt & Candidi Arianíque ordinationes, quídque ad hæc Eudoxius reſcripſerit. De ipſo primùm Theodoſio iſto, & quidem quod *Mores* eius attinet. Ait Philoſtorgius, eum muliebres voluptates abhorruiſſe, τὰς δὲ τῶν γυναικῶν ἡδονὰς ἀποκλῖναι. Ab hoc certe Eunomiani ſeu Aëtiani (cuiuſmodi fuit Philoſtorgius) plane diuerſi fuere: Epiphanius quippe refert *hæreſi Anomœorum 76 nu.4*, Aëtium dixiſſe, cum muliere ſcortari non magis peccatum eſſe quàm aurem ſcalpere, quia neceſſitas ſit & miniſterium.

Idem *in Anacephalæoſi* exerrare aliquem in ſcortatione aliove quo peccato, nihil eſſe Eunomianos dixiſſe, nihil enim quærere Deum quàm vt quis ſit in ipſorum fide. Et *dict.cap.*4 addit Epiphanius, pudere ipſum hæc referre, καὶ αὐτὸς μὲν αἰδοῦμαι λέγειν ὅσαπερ ἐκεῖνος ἀκαθάρτως διηγήσατο. Quomodo & Theodoretus erubeſcit hic in medium proferre: addito, ἱκανὴ καὶ μόνη ἡ τοῦ μίσους ἀκοὴ μιᾶναι τὸν λογισμόν. Vide quæ & infra noto *ad lib.*10 *cap.*4.

Sequuntur hypotheſes Theodoſij iſtius Lydiæ Epiſcopi, quarum nomine hæreſeos & impietatis eum arguit Philoſtorgius. Primum hoc eius dogma memorat, *Quòd Chriſtus naturâ ſuâ* τρεπτὸς *mutabilis*, & libertate voluntatis ſuæ in bonum & malum procliuis, *curâ verò virtutum eximiarum in immutabilem ſtatum exaltatus fuerit.* Impium certe dogma iſtud Arianorum fuit: vt teſtantur Patres Nicæni apud Theodoretum, *lib.*1 *cap.*9: Athanaſius, *diſp.* 1. *contra Arianos*, *pag.*124: *& diſput.* 2 *pag.*164: Theodoritus, *lib.*1 *cap.*4 *pag.*5,6: Sozomenus, *lib.*1 *cap.*15 *pag.* 215: déque eo pluribus Nicetas, *theſauro orth. d fid. lib.*5 *cap* 2 *pag.* 440,441: *& cap.*37 *pag.*490. Quidquid huius ſit, nihilominus, quæ ſecunda hypotheſis Theodoſij iſtius notanda, ſtatuit is Filium ἀπαραλλάκτως ὅμοιον, vt hîc teſtatur Philoſtorgius, qui id reprehendit, & ἐκθέσμου πολιτείας vocat: de quo iam *ſuprà.* Tertia hypotheſis Theodoſij iſtius hæc à Philoſtorgio memoratur, quam & ipſam impiam vocat: *Quod Deus neque loquatur neque audiat, etſi manus ei aurésque affingantur.* Cuius rei nulla alibi mentio mihi occurrit: ac neſcio quomodo Philoſtorgij ſententia ad

Anthropo-

Anthropomorphitarum hæreſin aliquà accedere videri poſſit: quæ ſub Valente Imperat. iam & Theodoſio increbuit: ſub Arcadio verò & Theodoſio Iun. deinceps maximè agitata, ad quam monachorum multi in Ægypto accedebant, reclamante Theophilo Epiſc. Alexandrino (teſte Socrate *lib.6 cap.7*: Sozomeno, *lib.8 cap.11*: Gennadio, *de viris Illuſtr. cap.33*: & Honorio, *num 33*) qui idem mox tamen eam ſententiam aliâ occaſione præ ſe tulit: vide Socratem *dict.cap.7*: & Sozomenum *dict.lib.8 cap.12,13,14*: vnde magni tumultus tùm exorti, tracto quoque in eam ſententiam Epiphanio Salamini in Cypro Epiſc. de quo plenè Socrates & Sozomenus. De cuius hiſtoriæ fide vide quæ Baronius ſcribit A.D.400. Certe & Auguſtinus *epiſt.8 & 112* teſtatur, hanc hæreſin tùm multos habuiſſe defenſores. Et hæc de Theodoſij iſtius doctrinâ ſeu hypotheſibus Tertiò Philoſtorgius Theodoſium iſtum aperte teſtatur Lydiæ Epiſcopum fuiſſe, vna cum Phœbo & Auxidiano, de quibus mox. Philadelphiæ porrò in Lydiâ nominatim Epiſcopum eum fuiſſe teſtatur Epiphanius *hæreſi 73 num.26*: Socrate, *lib.2 cap.32*. Quartò ſubjicit, quomodo Theodoſius iſte ſeſe Aëtio, vt & Candidi Arianíque ordinationi (quos videlicet Aëtius & Eunomius Lydiæ & Ioniæ præpoſitos volebant) oppoſuerit. Quintò addit, quibus præſidiis id Theodoſius iſte fecerit; nempe in ſocietatem & communionem adſcito *Phœbo* (ita enim hîc reponendum eſt, pro eo quod M S. habet φοίζω) Hic verò ille Phœbus eſt (quod vnum de eo notant Centuriatores) qui Seleucienſi Synodo, quæ habita A.D.359 ſubſcriptus reperitur

apud Epiphanium *hæreſi Semi-Arianorum* 73, *num.*26, *pag.* 874: & quidem continuâ oratione ſeu junctim cum duobus aliis Lydiæ Epiſcopis, Leontio videlicet Epiſc. Lydiæ (omiſſo Epiſcopatus nomine) & Theodoſio Ep. Philadelphiæ Lydiæ, de quo modo: Poſt quos Phœbus hic ſubſcriptus eſt, & ita quidem vt dicatur, Ἐπίσκοπος πολυχαλάνδου τῆς Λυδίας: vbi *Polychalandus* videatur, quæ in Itinerario Peutingeriano *Clanudda* vitioſe pro *Chalanda*, prope Philadelphiam dicitur. Vides igitur apud Epiphanium, pariter vt hîc, Phœbum hunc Theodoſio iſti ſociari. Hic idem verò fuerit, qui φίλος dicitur apud Socratem *lib.*2 *cap.*32: hunc enim Tripartitæ auctor *lib.*5 *cap.*34, locum illum Socratis exprimens, *Phœbum* vocat. Hunc eundem ſanè Phœbum, Aëtij condemnationi ſeſe non implicuiſſe ſcribit Philoſtorgius (nempe in Synodo Conſtantinopolitana, mox poſt Seleucienſem habita A. D. 359, ſub Conſtantio, de qua *ſup. lib.* 4 *cap. vlt.*) Et cauſas eius rei reddit, tùm quod amicum Aëtij vetus conſuetudo feciſſet, tum etiam ἀπαράλλακτον, quia ſcil. Aëtius coràm Conſtantio Filium ἀπαραλλάκτως ὅμοιον (etſi ſuo & peculiari ſenſu) dixerat, vt relatum *ſuprà dict. cap. vlt. lib.*4: quod quidem ἀπαράλλακτον Philoſtorgius ex Eunomianorum mente hîc ἐκθέσμου πολιτείας vocat: id enim Eunomiani improbabant, quandoquidem Filium ἀνόμοιον diſſimilem ſtatuebant. Hic idem Phœbus in eadem Synodo onſtantinopolitana de numero 72 Epiſcoporum fuit, à quibus Macedonius Ep. Conſtantinop. exauctoratus, eique Eudoxius ſubrogatus fuit menſe Ianua-

Ianuario A.D.360: vt teſtatur auctor Chron. Alex. eo *anno pag.*685. Et hæc de Phœbo Lydiæ Epiſc. Nominat Philoſtorgius & tertium hic Lydiæ Epiſcopum, qui Theodoſio Phœbóque ſociatus fuerit, nempe *Auxidianum*, cuius nulla alibi mentio mihi occurrit: ſed forte hic Laodiceæ Ep. fuit. ¶ Sextò iam ſubjicit Philoſtorgius, de *Synodo* ab his tribus aliíſque in Lydiâ coactâ: vnde communi calculo literæ emiſſæ ad Eudoxium & Marin, aduerſus Aëtij, mox & Candidi Arianíque & aliorum ordinationes, tanquam iniuſtè & illegitimè factas. ¶ Quibus omnibus iam perpenſis, hic ille mihi omninò Theodoſius videtur, qui *canonum Laodicenorum* maximè author extitit, vt refertur apud Gratianum *diſtinct.16 cap.11:* Longe verò alius à Theodoro, qui ſub Conſtantino & Conſtantio Laodiceæ in Syria Epiſc. fuit, vt teſtatur Theodoretus, *lib.1 cap.5*: & Sozomenus, *lib.1 cap.36*, & de quo ſæpe Athanaſius. Et tamen hic Centuriatorum & Baronij error eſt, qui Theodoſium hunc cum Theodoro illo confundunt: Theodorus quippe hic, vt dixi, Laodiceæ in Syria Epiſcopus fuit: at Theodoſius ille in Lydia, vbi altera Laodicea fuit, quæ à Lyco fluuio ἡ πρὸς τῷ Λύκῳ Λαοδίκεια dicta eſt, teſte Strabone *lib 12 pag.*398; quomodo & hoc cognomen Laodiceæ iſtius reſtituendum in Itinerario Peutingeriano, quod à Græco auctore ſub Conſtantio ſcriptum, *Laudicium Epilycum*, non vt vitiosè expreſſum, *Laudicium Pylicum: Laodicia* vero *Epilycum*, quomodo *Antiochia Epidaphne* & ſimilia. Hæc vero illa *Epilycos Laodicea* eſt, vbi concilium Laodicenum, quod

Codicis canonum Eccleſiæ vniuerſæ partem facit, habitum fuit: quæque Lydiæ, vt diſertè Stephanus, vrbs fuit, ſiue Phrygiæ, & quidem Pacatianæ (ſub qua Lydia) vt præferunt canones Laodiceni, etiam apud Balſamonem: olim verò Cariæ, apud Philoſtratum & Ptolemæum. Imò his omnibus expenſis hæc illa ipſa Synodus Laodicena mihi videtur, celebrata præcipuo authore Theodoſio iſto, cuius Philoſtorgius hic meminit, in qua Aëtij & Candidi Arianíque ordinatio damnata fuit. Certè vt Loca, Theodoſiíque iſtius Epiſcopi mentio, ita & Tempora (quod tertium in id argumentum habeo) optimè conueniunt. Synodum quippe illam Laodicenam *poſt mortem Iouiani Imperatoris* (in cuius hiſtoriâ nunc verſatur Philoſtorgius) habitam ſub finem Pontificatus Liberij, author libri Conciliorum diſertis verbis præfert. Vt proinde iam conjecturis Baronij *in appendice tomi* 4. *pag.* 789, 790, 791, 792, locus eſſe non poſſit, quibus pronunciabat, Laodicenam Synodum illam ante Synodum Nicænam habitam: Quem vel ipſe *Codicis canonum* ordo ſeriéſque ſatis refutat; vbi ſanè Laodicenæ huius Synodi canones poſiti ſunt, ordine temporum ſeruato, inter Synodum Antiochenam quæ habita fuit A.D. 341, & Secundam Synodum Oecumenicam Conſtantinopolitanam, quæ habita A.D. 381. Eiuſdémque proinde conjecturæ locus eſſe non poteſt, *Theodoſii* nomen in *Theodori* apud Gratianum mutantis. Superioribus tribus argumentis addo & quartum: In illis ipſis ſcilicet canonibus Laodicenis intermicare mihi videri neſcio quæ

veſtigia,

veſtigia, hypotheſeos primùm illius quam Theodoſio Epiſcopo iſti Lydiæ imputat Philoſtorgius, de mulieribus voluptatibus, à quibus ille adeò abhorruerit, quámque paulò liberalius forte effert Philoſtorgius. Spectentur in id cánones 1,10,30,31,44,52,53,54. Certè hiſce canonibus, muliebribus voluptatibus, nuptiíſque fibulam variè imponi (contra quam Eunomiani volebant) deprehendas: Nempe, *canone* 1 agitur de his qui ſecundas δευτέροις nuptias, etſi ἐλευθέρως καὶ νομίμως μὴ λαθρογαμίαν ποιήσαντες, contraxerunt: definitúrque his exiguo tempore elapſo, poſtquam precibus & jejuniis vacauerint, κατὰ συγγνώμην ex indulgentia communionem reddi oportere: *Canone* 10 *&* 31 definitur, τοὺς τῆς ἐκκλησίας, i. Orthodoxos cum hæreticis quibuſcunque πρὸς πάντας αἱρετικοὺς ἀδιαφόρως matrimonia contrahere non debere, neque filios aut filias his ſuas in matrimonium dare: ſed potius accipere, ſi ſe Chriſtianos fieri promittant: *Canone* 30, quod non oporteat ſacerdotes, aut clericos, aut monachos in balneo cum mulieribus lauari, imò neque quemlibet alium Chriſtianum aut Laicum: *Canone* 44, quod non oporteat, mulieres ad altare ingredi: *Canone* 52, quod non oporteat in Quadrageſima nuptias vel natalitia celebrare: *Canone* 53, quod non oporteat Chriſtianos ad nuptias venientes ballare vel ſaltare, ſed σεμνῶς caſte cœnare vel prandere ſicut decet Chriſtianos: *Canone* 54, quod non oporteat Sacerdotes aut Clericos ſpectacula aliqua contemplari in Nuptiis vel in conuiuiis, ſed antequam Thymelici (qui etiam vtriuſque ſexus erant) ingredian-

tur,eos ſurgere & diſcedere. Iam quod alterum illud attinet, de damnatis Aëtij, & Candidi, Arianíque & aliorum *ordinationibus*, tanquam illegitimè παρὰ θεσμὸν factis, certe inter canones Laodicenos, quatuor quoque occurrunt aduerſus illegitimas ordinationum ſeu ordinandorum formas: nempe canon 4,5, 12 & 13. Primo ſcilicet ſtatuitur, non oportere eos qui recenter baptizati ſunt ordinari. Secundo, non oportere fieri χειροτονίας ordinationes in præſentiâ Audientium. Tertio, Epiſcopos judicio Metropolitanorum & finitimorum Epiſcoporum ordinari debere, eóſque plurimo tempore probatos, & in doctrina fidei & in recti verbi διαθέσει λόγου diſpenſatione. Poſtremo, quod permittendum non ſit turbis τοῖς ὄχλοις ſeu populis, τὰς ἐκλογὰς ποιεῖσθαι eligere ſibi eos qui ordinandi ſunt. Quibus optimè conueniunt quæ hic Philoſtorgius ſcribit, nempe improbatam à Theodoſio & Synodo ab eo collectâ & Aëtij ordinationem, ὡς παρὰ θεσμὸν γεγενημένην: & Candidi, ὡς παρὰ τὴν κοινὴν νεωτερισθεῖσαν γνώμην, vt & alias ab Aëtianis factas.

¶ Et hæc quidem de Synodo habita à Theodoſio, Phœbo, Auxidiano, aliíſque Lydiæ Epiſcopis, literíſq; ad Eudoxium & Marin datis aduerſus Aëtij & Candidi, Arianíque ordinationes. Quid verò ad hæc Eudoxius? Ait Philoſtorgius, Eudoxium hac epiſtola accepta lætum, & jureiurando quod Eunomio præſtiterat (de quo jam ſæpe ſuprà) & literis à ſe ad Euzoium datis pro Aëtio videlicet reſtituendo (de quibus *ſupra lib.5 cap.3, lib.7 cap.5, & infra lib.9 cap.3*) variíſque promiſſionibus eodem fine

ſine factis, inſuperhabitis, ad Theodoſium quíque cum eo erant reſcripſiſſe, incitaſſéque eos, vt in propoſito ſtarent: addito, vt ad eos potius qui ordinationes fecerant, quàm ad eos qui ordinati fuerant accederent. Quod quidem omne eodem ſemper fine à Philoſtorgio proponitur, vt quantum in ſe oſtendat, qua perfidia cum Aëtio Eudoxius egerit, quámque ipſe ſciſſuræ cauſa fuerit, de quo Philoſtorgij ſcopo dixi ſemel *initio libri ſexti*, & in *Prolegomenis*.

¶AD CAP. V. *De factis à Iouiano Imp. in fauorem Chriſtianæ religionis*, &c.

De his quæ à *Iouiano* conſtituta factáq; *in fauorem Chriſtianæ religionis*, reuocatis quæ à Iuliano contrà facta fuerant, eſt hoc caput. Tria verò huiuſmodi à Philoſtorgio hîc memorantur. Primò, *Veterem Ornatum*, ἀρχαῖον κόσμον, reſtituit Iouianus Eccleſiis (quem Iulianus ſcilicet abſtulerat) Quâ *veteris ornatus* appellatione intellexit dona quæcunque in Eccleſias collata anteà à Conſtantino & Conſtantio, in quibus & annonæ præbitiones, τὰ ἔτοιμα, σίτου σύνταξις (proinde & inſtructum omne Eccleſiarum) de quo Theodoretus *lib.4 cap.4* : Sozomenus, *lib.6 cap.3*. Secundò *Immunitatem* veterem Eccleſiis reddidit, omníque eas onere ἐπηρείας liberauit, quod eis Iulianus impoſuerat, de quo idem Sozomenus *dict.lib 4 cap.3* ἀπέδωκε δὲ τὰς ἀτελείας ταῖς ἐκκλησίαις, &c. Poſtremo ab exilio reuocauit omnes quos Iulianus pietatis cauſa in exilium dederat, in quibus fuit & Valentinianus (de quo & *ſuprà lib.7 cap.7*) Socrates id de Epiſcopis qui à Conſtantio relegati

fuerant, à Iuliano verò reſtituti non fuerant, notat *lib.3 cap.20 in fin.* Theodoretus, *lib.4 cap.2:* & Gregorius *in encomio Athanaſii pag.514 in fin.* indefinite, Iouianum omnes Epiſcopos ab exilio reuocaſſe, & Eccleſias iis qui fidem Nicænam ſeruaſſent reſtitui juſſiſſe. De Valentiniano ab exilio reuocato Sozomenus quoque, *lib.6 cap.6.*

¶AD CAP. VI. *De his quæ* Edeſſæ *apud Iouianum vel à Iouiano inter Athanaſium & Candidum Arianumq́ tranſacta.*

De his quæ *Edeſſæ* apud Iouianum vel à Iouiano inter Athanaſium, & Candidum Arianúmque (de quibus *ſup. cap.2 & 4*) Anomœos ſcilicet, ab Aëtio & Eunomio Epiſcopos conſtitutos in Lydiâ & Ioniâ, tranſacta ſunt, eſt hoc caput. *Edeſſæ*, inquam (quod primò hic notandum) in Oſdroëna, vbi Iouianus poſt pacem cum Perſis initam conſtitit: quò etiam referenda eſt ſubſcriptio *legis 9 Cod.Theod.de erog. mil. ann.* quæ Iouianum & Varronianum Conſules malè ſubnotatos habet: vnde Iouianus poſteà Antiochiam conceſſit. Igitur ait Philoſtorgius (quod ſecundò hic notandum) Candidum & Arrianum (quorum ordinationi aduerſatus fuerat Theodoſius Lydiæ Epiſc. cum Phœbo, Auxentio aliíſque, *ſup. cap.4*) ad Iouianum Edeſſæ conſtitutum profectos. Id verò etiam eſt, quod Socrates ſcribit *lib.3 cap.20*, Iouiano ex Perſico bello reuerſo, tumultúque in Eccleſiâ rurſùm excitato, Epiſcopos dum ſinguli Imperatorem ſuæ ipſorum fidei aſſenſurum expectarent, alios alium præuertere contendiſſe: & *cap 21* προεστῶτας τῶν θρησκειῶν Imperatorem

torem adiiſſe, ratos liberam ſibi poteſtatem contra aduerſarios tributam iri. Tertiò ait Philoſtorgius, Athanaſium ſategiſſe, vt Iouianum Imp. Candido & Ariano inconciliaret. De Athanaſij equidem reditu, & gratiâ apud Iouianum, teſtes Gregorius *in laud. Athanaſii*: Socrat. *lib.*3 *cap.*20: Theodoret *lib.*4 *cap.*2: Sozom. *lib.*6 *cap.*5: vbi narrat, alios referre, Athanaſium ad Iouianum Antiochiam vltrò profectum: alios, à Iouiano euocatum: quod poſtremum etiam ſcribit Epiphanius *hæreſi* 68: at nemo quidquam de Athanaſij congreſſu cum Iouiano Edeſſæ, quod Philoſtorgius hic tradit: Vti nemo etiam nominatim de Anomœorum, & quidem Candidi & Arriani, ad Iouianum profectione, cúmque eo congreſſu: etſi Socrates *lib.*3 *cap.*21 agat de libellis & decretis ad Iouianum à Baſilianis & Acacianis aduerſus Anomœos miſſis, de quo iam dixi ad *cap.*2 *ſupr.* Quartò ait Philoſtorgius, Iouianum vtraque parte audita rem ad maiorem Synodum rejeciſſe, nullo in vtram partem præiudicio dato. Socrates quoque *d. lib.*3 *cap.*21 ait, eum accepto Macedonianorum libello aduerſus Anomœos, vt Eccleſiis ejicerentur, nullo alio reſponſo dimiſiſſe, quàm nemini ſe qualemcunque fidem amplexanti moleſtiam exhibiturum, ſed eos præcipuè beneuolentiâ ſuâ proſecuturum qui concordiæ ſtuderent. Quod de re reiectâ ad maiorem Synodum à Iouiano ait Philoſtorgius, fortè pertineat id ad Synodum Antiochenam, de qua *cap.*2 *ſuprà*: & apud Socratem *lib.*3 *cap.*21: Sozomenum *lib.*6 *cap* 4.

¶Ad Cap. VII. *De his quæ inter Eudoxium & Euzoium tranſacta occaſione Candidi & Arriani.*

Ait, *Eudoxium* Epiſc. Conſtantinopol aduerſus Candidum & Arrianum (qui ſcil. ab Aëtio & Eunomio Eccleſiis Lydiæ & Ioniæ præpoſiti ordinatíque fuerant, quorúmque ordinationi in Synodo Lydiâ contra itum fuerat, imò cuius Synodi factum Euzoius ſuis quoque literis iam probauerat, vt vidimus *cap.* 4 *ſup.*) ad Euzoium Epiſc. Antiochenum ſcripſiſſe : *Euzoium* verò commotum, adſumpto Helpidio, Eudoxio reſpondiſſe, conſilióq; eius improbato, monuiſſe eum, vti conſilium ipſe mutaret. Quod quidem vti nuſpiam alibi occurrit, ita à Philoſtorgio, eo ſemper quem dixi ſcopo, narratur, vti oſtendat, quàm malè, quàm variè, cum Aëtio & Aëtianis Eudoxius & Euzoius egerint : Imò quàm perfidè Eudoxius, quod *fine huius cap.* apertè inculcat. ¶Quod *Helpidium* attinet, quo adſcito Euzoius Epiſcopus Antiochenus ad Eudoxium reſcripſiſſe dicitur, nulla eius alibi mentio mihi occurrit. Hinc ſaltem colligi poſſe videatur, eum Syriæ Cœles Epiſcopum fuiſſe : & alium videri ab Helpidio qui inter Palæſtinæ Epiſcopos Synodo Sardicenſi ſubſcriptus extat.

¶Ad Cap. VIII. *De Iouiani geſtis nonnullis, eiuſdemq; morte*, &c.

De *Iouiani* geſtis nonnullis, eiuſdémque morte, de *Valentiniani* item Imp. inauguratione, vt & de *Valente* in Imperium adſcito, & *Imperij* exinde inter eos diuiſione

tan-

tandem & de *Gratiano* Cæſare facto: De his quatuor inquam agitur hoc capite.

Quod *Iouianum* attinet: Primò ait, eum Conſtantinopolim proficiſcentem Ancyram perueniſſe: de quo Ammianus Marcellinus quoque, *lib.25 pag.*307. Secundo, Ancyræ conſtitutum Iouianum, alterum è filiis ſuis Varronianum iuuenem admodum Nobiliſſimum renunciaſſe. Imò Marcellinus *dict.lib.25 pag.*307 eum Conſulem ſibi adſciuiſſe tantum Ancyræ ait. De Nobiliſſimi alioquin dignitate, de qua iam monuerunt alij, vide rurſùm *infra lib.12 cap.*10. Tertiò ait, Iouianum inde Dadaſtanam perueniſſe, ibíque mortuum eſſe: quod & cæteri vno ore ſcribunt, inter alios Marcellinus *lib.25 extremo*: Zoſimus, *lib.3 pag.*733: Socrates, *lib.3 cap.vlt. lib.4 cap.*1: Theodoretus, *lib.9 cap.*4: Sozomenus, *lib.6 cap.6*: Hieronymus *Chronico*, Faſti Idacio ſubditi. Quartum eſt de cauſa mortis Iouiani, ex prunarum videlicet accenſione: quam & ipſam inter alias produnt fermè omnes: Veneno tamen ſublatum ſiue poculo venenato, ſiue fungis recentibus venenatis, nonnulli voluêre: de quo Chryſoſtomus *homil 15 in Philipp.* & vetus author *apud Suidam in verb.* Ἰοβιανός. Quinto Philoſtorgius colligit tempus Imperij Iouiani: & ait, eum decem *fermè* Imperij menſes egiſſe. Imo conſtanter fermè alij octo numerant, Zoſimus *lib.3 pag.*733: Sozomenus *lib.6 cap.6*: Auctor incertus vitæ Athanaſij *pag.*542: & alter *apud metaphraſtem pag.* 566. Imò Socrates *lib.3 cap.vlt.* ſeptem tantùm imperaſſe menſes ait. Certe cum V. Kal. Iulij A. D. 363 Iouianus

Imp. factus fuerit, deceſſerit autem ann. 364, 17 menſis Februarij, nonniſi octo menſes eóſque adhuc non integros imperauit. Tandem ait Philoſtorgius, Iouiani corpus delatum Conſtantinopolim. Idem & Marcellinus *lib.26 pag.332.*

¶ Secundum huius capitis argumentum eſt, de *Valentiniani* inauguratione: vbi deſignatur locus, tempus, & quorum ope, conſilio id factum fuerit. Niceæ ſcilicet id ab exercitu factum ſcribit: pariter vt alij, & in his Marcellinus *lib. 26 in princ.* Socrates *lib.4 cap.1.* & Zoſimum *lib.3 in fin.* Duodecimo poſt Iouiani mortem die: Marcellinus ait decimo, quod & verius: nam 17 Febr. mortuus Iouianus, & 26 leuatus Valentinianus. Socrates *lib.4 cap.1* ait, ſeptimo poſt die. Tandem Philoſtorgius quatuor nominat, quorum ope, conſilio Valentinianus Imperator factus fuit: quem ſingularem alioquin locum exſcripſit Nicephorus *lib.11 cap.1*, ſuppreſſo tamen vt alias fermè Philoſtorgij nomine, vnde iam locus ille Philoſtorgio deinceps adſcribendus venit, quem ex vetuſtiore aliquo auctore deſumptum rectè odorati ſunt viri docti. Primus eſt *Datianus Patricius*, quod nullus alius memorat præter Philoſtorgium, & qui eum exſcribit Nicephorum (vbi perperàm Δαπίȣ editum) Datiani alioquin Patricij huius mentio fit *l.1 Cod.Theod. de annona & trib.* vbi diſquiro, num ea lex Conſtantino tribuenda ſit, an verò Conſtantio. Hic idem Datianus cos. fuit cum Cereali A.D.358: vide & Epiphanium *hæreſi* 71. Cœterùm per literas conſilium præbuiſſe ait Philoſtorgius Datia-

Datianum ex Galatiâ,vbi relictus ob ſenium hyemémq; fuerat (à Iouiano ſcilicet) vbi pariter apud Ancyram Valentinianum ipſum relictum ſcribit Ammianus Marcellinus *lib.26 pag.*333. Secundus eſt, *Secundus* Præfectus Prætorio (qui idem & *Salluſtius* dictus) quod etiam prodit Marcellinus *lib.26 pag.*335. Quem & Zoſimus ſcribit *fine lib.*3 imperium ſibi,mox & filio,delatum recuſaſſe. Tertius eſt *Arintheus* Magiſter militum : cuius in hac re nulla apud Marcellinum mentio : etſi alibi eius meminerit *lib.*25 *pag.*330 : *lib.*26,27. Porrò vt hîc Secundus & Arinthæus in hac Valentiniani inauguratione ſociantur,ita & ſociati quoque iidem à Iouiano ad pacem cum Perſis faciendam:teſte Zoſimo, *lib.*3 *pag.*730. Poſtremus eſt, *Dagalaiphus* Comes Domeſticorum : Dagalaiphus inquam, nam ita reſtituendum hîc & apud Nicephorum, vtubíque malè, Γλαῖφος expreſſum. Mentio eius quoque in Valentiniani inauguratione apud Marcellinum *dict.pag.* 333. Hic poſtea mox Magiſter militum fuit : vide eundem Marcellinum *initio lib.* 27 : *& l.*9 *Cod. Theod.de Veteranis.*

Tertium huius capitis membrum reſpicit *Valentis* inaugurationem : vbi tria notat Philoſtorgius, quid videlicet eam præceſſerit, ipſam mox inaugurationem, tandem Imperij inter eum & Valentinianum diuiſionem. Quod prius attinet, ait exercitum,peracta Valentiniani inauguratione,Valentinianum ſupra ſcutum elatum rogaſſe, vt Imperij collegam ſibi adſciſceret, verùm *ſui id nunc arbitrij penitus eſſe* reſpondiſſe ; & quæ plura addun-

tur. Quod & Nicephorus exſcripſit *lib.* 11 *cap.*1 *pag.* 111. Imò & veteres quoque alij memorant, Marcellinus, *lib.* 26 *pag.*335,336 : Sozomenus,*lib.*6 *cap.*6 : Theodoretus,*lib.*4 *cap.*5 *pag.*111 , qui id pariter vt Philoſtorgius , βασιλικῷ τῷ φρονήματι , vel, vt Nicephorus , βασιλικῷ τῷ φρονήματι , refert inter alia argumenta animi excelſi veréque Regij: οὕτω δὲ ἦν βασιλικόν τε καὶ μεγαλόφρον : & celebratum id παρὰ πάντων ᾀδόμενον. Quomodo & Marcellinus hoc reſponſum memoraturus, *Principem fiducia plenum* vocat. Notandum intereà quod ait, Valentinianum ſupra ſcutum elatum, id quod Marcellinus non habet : Et tamen mos is ſolemnis in Imperatorum inaugurationibus vel tum maximè fuit, vnde Nicephorus huic narrationi hæc addit, ὡς ἔθος. Sic enim & Iulianus Pariſiis Auguſtus adclamatus, ſcuto pedeſtri impoſitus fuit : teſte Marcellino *lib.*20 : & Libanio in προσφωνητικῷ *ad Iulianum pag.*180, qui ait, hac ratione ἀναῤῥήσεως νόμον, i. nuncupationis Auguſtæ morem peractum. Vnde & paſſim in Faſtis Idacianis legas, *Imperatorem leuatum*, pro renunciato, etiam Valentinianum hoc ipſo ann.364.

Sequitur *Valentis nuncupatio* : Ait igitur Philoſtorgius, Valentinianum Conſtantinopolim profectum collegam imperij Valentem fratrem ſuum adſciuiſſe : de hac verò Valentis ad Imperij participatum nuncupatione à Valentiniano Conſtantinopoli facta conſentiunt alij, & in his Marcellinus *lib.*26 *pag.*338 : Zoſimus *lib.*4 *initio* : Socrates *lib.*4 *cap.*1 : Theodoretus *lib.*4 *cap* 5 : Sozomenus *lib.*6 *cap.*6 : aliíque. Mox Sirmium profectum ait cum fratre

Va-

Valentinianum: ibíque diſpoſitis quæ ad Imperium Valentis fratris pertinebant rebus (de quo vide & ad aliquid Zoſimum *lib 4 pag 75*) cum Conſtantinopolim miſiſſe, Orientis Imperio ei concredito, Occidente vero ſibi ſeruato: de quo, háccq; Imperij diuiſione, inter alios Marcellinus, *lib.26*: Zoſimus, *lib 4 pag.73*: Theodoretus, *lib.4 cap.5*: Sozomenus, *lib.6 cap.6 in fin.* Nicephorus, *lib.11 cap.1 pag.111.* Illud notandum quod ait, τῆς ἑῴας μοῖραν, id eſt, partem Orientis concreditam Valenti, *prout Conſtantius imperauerat*: Valentinianum verò *duas reliquas, partes* ſcilicet, per Occidentem ſortitum, totíque adeò Occidenti imperaſſe: Rectè omninò Philoſtorgius: vbi *duas reliquas partes* vocat, quæ Imperio inter tres Conſtantini M. filios diuiſio, Conſtantino Iuniori & Conſtanti ceſſerant: de qua Imperij diuiſione Eunapius, *Aedeſio pag.45*: Zoſimus, *lib.2 pag.691*, & Cedrenus.

¶ De *Gratiano* tandem puero adhuc ad Imperium promoto agit Philoſtorgius *fine huius capitis*: vbi quod ait, *non multo poſt*, accipiendum de triennio; triennio enim poſt Valentinianum & Valentis inaugurationem Gratianus ad Imperium prouectus fuit A.D.367 Ambianis.

¶ Tandem ſubjicit, Valentinianum filium ſuum Gratianum ad ſuum morem exercuiſſe, εἰς τὸν ἑαυτοῦ συνήθη τρόπον. Id quod de fide Orthodoxa accipiendum eſt, quo nomine Philoſtorgius in Gratianum iniquior fuit: vide *inf.lib.9 cap.16*: & *lib.10 cap.5.*

¶ AD CAP. IX. *De Hypatia philoſopha.*

De *Hypatia* Philoſopha, Theonis (de quo vide inter

alios Eunapium *in vitam Ionici*) filia, eſt hoc caput: vbi initio Philoſtorgius doctrinam eius deprædicat, ſic vt patrem ipſum eundémque magiſtrum ſuperaſſe dicat, maximè verò circa Aſtrologiam: quin & multos erudiſſe, πολλοὺς καθηγήσασθαι ἐν τοῖς μαθήμασι. De hac verò Hypatia videndus quoque Socrates, *lib.7 cap.15*, Heſychius Illuſtrius, *in Hypatia*: Suidas, *in voce* ὑπάτια: & Nicephorus, *lib.14 cap.16.* Et vetus epigramma ἀνέκδοτον Græcum, εἰς τὴν φιλόσοφον Ὑπατίαν.

Ὅταν βλέπω σὲ, προσκυνῶ καὶ τοὺς λόγους
Τῆς παρθένου τὸν οἶκον ἀστρῷον βλέπων,
Εἰς οὐρανὸν γὰρ ἐστὶ σοῦ τὰ πράγματα
Ὑπατία σεμνὴ τῶν λόγων εὐμορφία:

vel, vt in aliis

Ὑπατία σεμνὰ τῶν λόγων εὐφορβία
Ἄχραντον ἄστρον τῆς σοφῆς παιδεύσεως.

Hæc ipſa quoque Hypatia Philoſopha eſt, ad quam Syneſius plures epiſtolas ſcripſit, puta *epiſt.10, 15, 16, 80, 124, 153*, quæ bonam partem inſcriptæ τῇ φιλοσόφῳ: de eadem agit & *ep.135.* Quâ etiam magiſtrâ διδασκάλῃ καθηγηθῇ vſus idem Syneſius Alexandriæ, aliíque complures, quorum certum corpus Syneſius fuiſſe indicat, & ſodalitium ἑταίρων. Quin & Athenarum vice Ægyptum aluiſſe τὰς Ὑπατίας γονὰς idem ſcribit *epiſt.135.* Quod verò Philoſtorgius, eam patre præſtantiorem fuiſſe ait, id pariter apud Suidam dicitur. Cœterùm ex illis Syneſij epiſtolis videas, quanti eam ipſe fecerit: nam & eam omni honore, & honorifico nomine proſequitur, καὶ ἅπαν ὅς τι τίμιον καὶ πρᾶγμα καὶ ὄνομα,

καὶ ὄνομα, epiſt. 16: & omnium vice, vnicóque amiſſorum ſolatio, eam habere ſe *paſſim* profitetur. Idem oſtendit, quâ auctoritate ea fuerit, quantúmq; valuerit apud Iudices *epiſt.50*, quod & ipſum ex Socrate liquet, *lib.7 cap.15*. Hactenus Hypatiæ elogia. Quod verò *Mortem* eius attinet, ait Philoſtorgius, laceratam eam ſub Theodoſio Iun. Imper. ab Homoouſiaſtis: quo nomine Photius eum *δυσσεβῆ* vocat, eidémque mendacij dicam impingit. Socrates certe *dict.lib.7 cap.15*, narrat, Hypatiam hanc Theodoſio Iun. Imperante A.D. 415, cùm Oreſtes Alexandriæ præeſſet, eámque ipſe coleret, ſimùl & à Cyrillo Epiſc. diſſideret, populus autem exiſtimaret eam mutuam inter Cyrillum & Oreſtem concordiam impedire, à viris quibuſdam *ἐνθέρμοις*, Petro quodam Lectore duce, membratim diſcerptam, addito characteriſmo ann. Dom. 415: addito quoque, id facinus tum Cyrillo, tum Eccleſiæ Alexandrinæ haud paruam infamiæ labem *οὐ μικρὸν μῶμον* conflaſſe: *cædes* quippe, inquit, *pugnæq;, & id genus alia ab iis qui ea quæ Chriſti ſunt ſapiunt, alienum quid prorſus ſunt*: *ἀλλότριον γὰρ παντελῶς τῶν φρονούντων τὰ χριστοῦ φόνοι καὶ μάχαι καὶ τούτοις παραπλήσια*: Quæ omnia habet & Nicephorus.

Cur autem de hac Hypatia hoc loco nunc agit Philoſtorgius? Nempe quia Illuſtres hac ætate perſonas memorare hîc inſtituit, in quibus & Hypatia, quæ ſane hoc tempore ſub Valente Imp. florere cœpit: pariter vt Philoſtorgius illuſtres hac ipſa tempeſtate Medicos memorat *cap. prox*. Arianum interim hîc Philoſtorgij

virus obſerua in homoouſiaſtas ſeu Catholicos : quaſi verò Catholicorum crimen ac non populi indiſcretè fuerit, Hypathiæ cœdes. Illud hinc ſaltem tutò colligas, hanc Hypatiam Catholicam non fuiſſe.

¶Ad Cap. X. *De Medicis huius æui præſtantiſſimis nonnullis.*

De Tribus, quatuorve huius æui ſub Valente Imper. præſtantiſſimis *Medicis* agit hoc cap. Philoſtorgius: Quo ſane ipſo tempore multos medicos floruiſſe ſcribit Eunapius, *in vitâ Zenonis*, & in his Zenonem ipſum, eiúſque diſcipulos tres : Magnum ſcilicet (de quo mox Philoſtorgius noſter) Oribaſium, Ionicum. Philoſtorgius igitur, cognominem ſibi quendam *Philoſtorgium* medicum Valentis & Valentiniani temporibus γνωσθῆναι, extitiſſe ſeu notum fuiſſe ſcribit : eúmque medicorum præſtantiſſimum fuiſſe, quíque duos filios genuerit Philagrium & Poſidonium: De Philagrio nullo prætereà addito: Certe Philagrij medici mentio quoque fit apud Oribaſium, qui ex eius libro *de potionibus ſuauibus* multa habet libro medicinalium collectorum ad Iulianum Imp. *lib.*5 *cap.*17, 19,20,21,22,23. Ex eodem Philagrio habet idem *lib.*4 *Synopſ.* remedium ad oris eroſiones. Et Ægineta quoque *lib.*7 *cap.*18 ex eodem Philagrio malagma habet. Aëtius item *t trabibl.*1. *ſerm.*2. *cap.* 103, 105, 106 ex eo purgatoria & alœdaria habet: vt & antidotum, *tetrabl.*4 *ſerm.*1 *cap.*110. Suidas denique hunc ipſum Philagrium memorat. De *Poſidonio* tria ait Philoſtorgius noſter : Primò ait, viſum ſibi hunc, non indicato tamen loco vbi eum viderit.

Secun-

Secundò, præſtantiſſimum eum in medicinâ fuiſſe. Poſidonij certe medici cuiuſdam mentio fit apud Aëtium & Æginetam *lib.7 c.3 pag.614*, in *voce Arnabo*. Sic quidem vt apud Aëtium *tetrabli 2 ſerm.2 cap.12*, is dixiſſe memoretur, *Incubum non eſſe dæmonem*, quod etſi verum, attamen ad id adludere videri poſſit, quod de eo mox Philoſtorgius narrat, imò in eo carpit, nempe, quod dicere ſolitus ſit, *Non dæmonum vi homines furore debacchari, ſed humorum quorundam cacomychiam hunc affectum operari: nullam quippe dæmonum vim eſſe quæ naturam hominum damno afficiat.* Quod quidem Philoſtorgius rectè reprehenderit in Poſidonio, ſi is Dæmoniacos prorſùs negauit, non verò ſi tantum *Incubum dæmonem eſſe* negauit. Hic verò idem quoque Poſidonius videtur, qui παλμικὸν οἰώνισμα ſcripſit, velluti ſi dexter oculus ſaliat, quidnam id ſignificet, vt ſcribit Suidas *in voce* Ποσειδώνιος: cuius alioquin argumenti Melampodis liber περὶ παλμῶν μαντικὴ ad Ptolemæum extat. ¶Ad Philagrium redeamus. Hic idem forte eſt, ad quem plures extant Gregorij Nazianzeni epiſtolæ: puta *epiſt.40,41,64,65,66,67,68,69,70*: quique etiam Comes Orientis fuit ſub Valente Imp. A.D.382: vt docet *lex 41 Cod.Theod.de curſu publ.* & Libanius *de vita ſua pag.64*, & *ora.30 pag.638*: & Ammianus Marcellinus *lib.21 pag.196*. Certe, tempora conueniunt, & Gregorius quoque Nazianzenus, *dict. epiſt.68* eum medicinæ peritum fuiſſe oſtendit: ibi: ὥστε σε περὶ τούτων νομοθετεῖν. Meminit tandem & Suidas Philagrij medici Lycij Macrenſis, teſte Eugenatore.

Ttt 2

Tandem huius capitis fine memorat Philoſtorgius *Magnum* medicum, qui eam artem Alexandriæ exercuit, eúmque ſimul deprædicat. Hic verò ille eſt Magnus medicus Zenonis diſcipulus Antiochia Niſibi oriundus, cuius vitam deſcribit Eunapius, *in vitis Sophiſtarum pag.*178 : eiuſdémque meminit *in vitâ Zenonis*, *& in vitâ Oribaſii pag.*181. Meminit & Theophilus medicus, *libello de exactâ veſicæ retrimentorum cognit. in præf. pag.* 851: & Myrepſus, Alexandrinus & ipſe, *de antidotis ſect.*1, *cap.*35 : qui ambo eum *Medicum Sophiſtam* vocant, quomodo & Eunapius eius vitam inter Sophiſtas deſcribit: idémque Theophilus eum *Medicum & Philoſophum* nominat: eúmque longo poſt Galenum temporis tractu fuiſſe ſcribit. Scripſit verò Magnus hic inter alia, *de vrinarum proprietate dignoſcenda*, ſeu *ſcientiam de vrinis*: ſic tamen, vt etſi de vrinarum differentiis & ſpeciebus plus quiddam quam alij ſcripſerit, attamen, quod Theophilus ait, τὰ προγνωστικὰ plurima omiſerit, & mancam de vrinis artem tradiderit: ratione præmiſſa, quod videlicet Magnus, vt pote Sophiſta, ratiocinatione quidem, ſed ſine experimentis & vſu, quæ mater artium exiſtit, hanc artem tradere adgreſſus ſit. Ex eodem denique Magno, Myrepſus antidotum quoddam ad colicam admodum vtile habet.

Et hæc quidem Philoſtorgius de tribus quatuorve huius æui Medicis : quem & ipſum ab eâ arte medicâ haud alienum fuiſſe conjicere licet, pariter vt Mathematicæ & Aſtrologiæ ſtudioſus fuit: de quo *in Prolegomenis*.

¶An

¶A D C A P. XI. *De Tribus præcipuis* homoouſij *præconibus ſub Valente Imp.* &c.

Quæ deinceps ſequuntur capita omnia hoc libro (capite 16 excepto) eò Philoſtorgio propoſita, vt ex his ſtatum Eccleſiæ ſub *Valente*, quibúſque viris Catholici & hæretici ſubnixi fuerint, diſcamus. Hoc capite agit de tribus præcipuis ὁμοουσίου præconibus, de *Baſilio* inquam *Magno*, *Apolinario*, & *Gregorio Nazianzeno*: de quibus ideò nunc agit Philoſtorgius, vt dixi, tanquam de præcipuis ſub Valente Imp. ὁμοουσίου præconibus, & Arianæ ſectæ ſeu ἑτεροουσίου aduerſariis, de quibus & ſequentibus deinceps capitibus 13,14,15 agit: quorum magna apud Valentem & Arianos etiam ipſos authoritas erat: Nam & cùm plures ſacerdotes ſeu Epiſcopi in exilium dati fuiſſent; attamen Baſilius & Gregorius ſoli diuina prouidentia propter eximiam pietatem minimè pulſi ſunt: teſte Socrate *lib.*4 *cap.*10. Similiterque alij Scriptores Eccleſiaſtici hoc ipſo fermè tempore ſub Valente de his peculiaria capita habent, Socrates *lib.*4 *cap.* 21: Sozomenus, *lib.*6 *cap.*16: & Theodoretus, *lib.*7 *cap.*17 *&* 28. Cœterum caput hoc à Photio excerptum, contractúmque, longe vberius extat apud Suidam tribus locis *in voce* Ἀπολλινάριος, Βασίλειος, & Γρηγόριος. ¶ De his igitur tribus in commune ait Philoſtorgius, 1 eos, vt dixi, principes ὁμοουσίου aduerſus ἑτεροουσίου hoc tempore ſub Valente Imperat. præcones fuiſſe, 2 longe ſuperaſſe omnes qui ad ſuam vſque ætatem ὁμοουσίῳ (quam impius hic *hæreſin* vocat) præfuerint: 3 Imò Athanaſium (Epiſc. Alexan-

Ttt 3

Tandem huius capitis fine memorat Philoſtorgius *Magnum* medicum,qui eam artem Alexandriæ exercuit, eúmque ſimul deprædicat. Hic verò ille eſt Magnus medicus Zenonis diſcipulus Antiochia Niſibi oriundus, cuius vitam deſcribit Eunapius, *in vitis Sophiſtarum pag.*178: eiuſdémque meminit *in vitâ Zenonis, & in vitâ Oribaſii pag.*181. Meminit & Theophilus medicus,*libello de exactâ veſicæ retrimentorum cognit.in præf.pag.*851:& Myrepſus, Alexandrinus & ipſe, *de antidotis ſect.*1,*cap.*35: qui ambo eum *Medicum Sophiſtam* vocant, quomodo & Eunapius eius vitam inter Sophiſtas deſcribit: idémque Theophilus eum *Medicum & Philoſophum* nominat: eúmque longo poſt Galenum temporis tractu fuiſſe ſcribit. Scripſit verò Magnus hic inter alia, *de vrinarum proprietate dignoſcenda*, ſeu *ſcientiam de vrinis*: ſic tamen, vt etſi de vrinarum differentiis & ſpeciebus plus quiddam quam alij ſcripſerit,attamen,quod Theophilus ait, τὰ προγνωστικὰ plurima omiſerit, & mancam de vrinis artem tradiderit: ratione præmiſſa, quod videlicet Magnus, vt pote Sophiſta,ratiocinatione quidem,ſed ſine experimentis & vſu, quæ mater artium exiſtit, hanc artem tradere adgreſſus ſit. Ex eodem denique Magno, Myrepſus antidotum quoddam ad colicam admodum vtile habet.

Et hæc quidem Philoſtorgius de tribus quatuorve huius æui Medicis : quem & ipſum ab eâ arte medicâ haud alienum fuiſſe conjicere licet, pariter vt Mathematicæ & Aſtrologiæ ſtudioſus fuit: de quo *in Prolegomenis.*

¶An

¶Ad Cap. XI. *De Tribus præcipuis* homoouſij *præconibus ſub Valente Imp.* &c.

Quæ deinceps ſequuntur capita omnia hoc libro (capite 16 excepto) eò Philoſtorgio propoſita, vt ex his ſtatum Eccleſiæ ſub *Valente*, quibúſque viris Catholici & hæretici ſubnixi fuerint, diſcamus. Hoc capite agit de tribus præcipuis ὁμοουσίου præconibus, de *Baſilio* inquam *Magno*, *Apolinario*, & *Gregorio Nazianzenò*: de quibus ideò nunc agit Philoſtorgius, vt dixi, tanquam de præcipuis ſub Valente Imp. ὁμοουσίου præconibus, & Arianæ ſectæ ſeu ἑτερουσίου aduerſariis, de quibus & ſequentibus deinceps capitibus 13,14,15 agit: quorum magna apud Valentem & Arianos etiam ipſos authoritas erat: Nam & cùm plures ſacerdotes ſeu Epiſcopi in exilium dati fuiſſent; attamen Baſilius & Gregorius ſoli diuina prouidentia propter eximiam pietatem minimè pulſi ſunt: teſte Socrate *lib.*4 *cap.*10. Similitérque alij Scriptores Eccleſiaſtici hoc ipſo fermè tempore ſub Valente de his peculiaria capita habent, Socrates *lib.*4 *cap.*21: Sozomenus, *lib.*6 *cap.*16: & Theodoretus, *lib.*7 *cap.*17 *&* 28. Cæterum caput hoc à Photio excerptum, contractúmque, longe vberius extat apud Suidam tribus locis *in voce* Ἀπολλινάριος, Βασίλειος, & Γρηγόριος. ¶ De his igitur tribus in commune ait Philoſtorgius, 1 eos, vt dixi, principes ὁμοουσίου aduerſus ἑτερουσίου hoc tempore ſub Valente Imperat. præcones fuiſſe, 2 longè ſuperaſſe omnes qui ad ſuam vſque ætatem ὁμοουσίῳ (quam impius hic *hæreſin* vocat) præfuerint: 3 Imò Athanaſium (Epiſc. Alexan-

drinum ſcil. qui hoc tempore ſub Valente obiit A.D.372) præ iis puerum iudicatum. 4 Et pro ratione reddit, quod in externis diſciplinis ἐν τῇ ἔξωθεν καλουμένῃ παιδεύσει plurimùm profeciſſent: de quo & Socrates *dict. lib.4 cap.* 21, & Sacrarum Scripturarum quæcunque ad lectionem promptámq; memoriam conferunt, magnam cognitionem haberent: & inter eos Apolinarius maximè, quia hic Hebraicæ quoque linguæ peritus erat. Mox hoſce tres inter ſe committit; eorúmque *ſtylum* inter ſe comparat, morúmque ipſorum ἰδιώματα repræſentat. ¶ Socrates certe *dict. cap.* 21 de Baſilio & Gregorio agens, eos ita inter ſe æquat, vt quis alter alteri præferendus ſit, hæreticos omnes dicat. Qui & illud ibidem addit, Eunomium quoque, quando cum Baſilio & Gregorio congrediebatur, ſeipſum imperitum & planè indoctum prodidiſſe. Hinc igitur iſta horum virorum præconia apud Philoſtorgium Eunomianum, quæ etiam inuitus diſſimulare non potuit, & *hic*, & apud Photium *num.* 40.

¶Ad Cap. XII. *De Eunomij ſcriptis, deq; iis qui aduerſus ea ſcripſerunt.*

De *Eunomij* ſcriptis, déque iis qui aduerſus ea ſcripſerunt eſt hoc caput. Vbi ait Philoſtorgius, 1. Eunomium Apologiam ſcripſiſſe, quod βιβλιδάριον vocat Photius, *in Biblioth. num.* 137; cuius titulus ibi excidit. 2 Aduerſus hanc Eunomij Apologiam ſcripſiſſe & Baſilium & Apollinarium: de Baſilio id clarum, cuius libri *aduerſus Eunomium* extant: Apollinariani ſcripti nulla alibi mentio, etſi in genere Vincent. Lirinenſis *in Commonitorio* eum

cum multis voluminibus complures hęreſes oppugnaſſe tradat. ¶ Et hæc de primo Eunomij libello. Sedenim addit Philoſtorgius, Eunomium poſteà quinque libros alios ſcripſiſſe, quo opere cum Baſilio congrediebatur: quod quidem opus memorat quoque Photius, *in Bibliot. num.* 138, cui titulum fecerat *Refutationis Baſilij* κατὰ τῆς πραγματείας τοῦ βασιλείου. In eo diuerſus ibi Photius ab hoc loco, quod Eunomij librum tres tantum λόγοις continuiſſe ait, cùm tamen hîc quinque à Philoſtorgio, referente eodem Photio, memorentur. Verùm leue hoc diſſidium, præ iſto quod ſequitur: Nempe ait Philoſtorgius, Baſilium cùm in primum Eunomiani iſtius operis librum incidiſſet, dolore affectum vitæ finem feciſſe. In quo mendacij dicam ei impingit hic Photius. Et proculdubio id ita fictum ab Eunomianis, vt id opponerent contrariæ Homoouſiaſtarum ſeu Catholicorum narrationi; Nempe enim, idem Photius refert *in Biblioca*, non tantum priorem illam Eunomij Apologiam occultatam ne ad alios perueniret, verùm & Refutationem illam poſteriorem & diu conceptam, & vix Eunomianis ipſis communicatam: metu nimirum, ne quando & hoc opus in Baſilij manus priuſquam inualuiſſet veniret, atque ideò tanquam flos præmaturè corruptus marceſceret: Quare ſtudioſe velut alterum in fabulis Saturnum natum deuorando texiſſe atque abſcondiſſe quamdiu quidem Baſilius vixit: poſt mortem verò tandem eius edidiſſe, & ne tunc quidem omnibus evulgaſſe, ſed amicis duntaxat: tandem cum in id opus inci-

Apollinariſtarum occaſione vide Socratem *lib.2 cap.46:* Sozomenum *lib.6 cap.26.* Atque vt ſuperiora falsò de Apollinario ſcribit hic Philoſtorgius (in eius videl. gratiam) ita Apollinarium viceuerſa nunc criminatur; non ob ea (inquit Photius) quæ piis ſeu Orthodoxis criminandi eius anſam (iure ſcil.) præbuêre, quæ illa ſunt quæ modo dixi: verùm quod reſurrectionem corporum negauerit. Quod falsò Apollinario imputat: Apollinarius enim non reſurrectionem negauit, verùm circa reſurrectionem ineptiuit, mortuos enim reuerſuros dixit ad legem & Circumciſionem, ſabbata, ritus, adorationem, cibos, ſacrificia, Templum per mille annos, vt teſtantur Baſilius *epiſtola* 74, 137: Epiphanius *hæreſi Dimærit.*77: Hieronymus *in cap.*36 Ezechielis.

¶AD CAP. XIV. *De Apollinarij libris aduerſus Porphyrium.*

De *Apollinarij* libris aduerſus Porphyrium ſcriptis agit hîc Philoſtorgius. Quemadmodum autem, cùm *ſuprà cap.*11. Baſilium, Gregorium Nazianzenum, Apollinarium à ſacrarum & externarum diſciplinarum doctrinâ commendabat, præ omnibus tamen Apollinarium extulit, ita & *hoc cap.* nunc pariter Apollinarium, & Euſebio Cæſarienſi, & Methodio in quâdam re præponit: Nempe ait, Apollinarium in his quæ aduerſus Porphyrium ſcripſit, ſuperiorem eſſe Euſebio & Methodio in iis quæ aduerſus eundem Porphyrium ſcripsêre. Vbi notandi veniunt tres hi ſcriptores, qui aduerſus Porphyrium pro Chriſtianis olim diuerſis temporibus ſcripsêre, puta

Methodius, Euſebius Cæſarienſis, & Apollinarius.

Horum trium pariter meminit iunctim Hieronymus, non vno loco: In procemio commentariorum in Danielem, vbi de Porphyrio: *Cui ſolertiſſime reſponderunt Euſebius Cæſarienſis tribus voluminibus, id eſt octauodecimo, & nonodecimo & viceſimo: Apollinarius quoque vno grandi libro, hoc eſt viceſimoſexto, & ante hos ex parte Methodius.* Item: *Quæ autem ex hoc Propheta imo contra hunc librum Porphyrius obiiciat, teſtes ſunt Methodius, Euſebius & Apollinaris, qui multis verſuum millibus eius veſaniæ reſpondentes neſcio an curioſo Lectori ſatisfecerint.* Et Apologia ad Pammachium pro libris aduerſus Iouinianum, *Origenes, Methodius, Euſebius, Apollinaris multis verſuum millibus ſcribunt aduerſus Celſum & Porphyrium.* Et epiſtola 84 ad Magnum Oratorem Romanum: *Scripſerunt contra nos Celſus atque Porphyrius, priori Origenes, alteri Methodius, Euſebius & Apollinaris fortiſſimè reſponderunt: quorum Methodius vſque ad decem millia procedit verſuum: Euſebius & Apollinarius viginti quinque & triginta volumina condiderunt.*

Præter hæc teſtimonia, quæ tribus his communia ſunt, pariter vt hoc Philoſtorgij caput eſt, ſingularia de ſingulis alia teſtimonia occurrunt: *Methodÿ* ſcilicet, qui Olympi Lyciæ primùm, mox Tyri Epiſcopus fuit, libros aduerſus Porphyrium memorat Hieronymus, *libro de ſcriptoribus Eccleſiaſt. in Methodio.* Methodius, inquit, Olympi Lyciæ & poſtea Tyri Epiſcopus, nitidi compoſitique ſermonis, aduerſum Porphyrium confecit libros. Mentio fit & apud Suidam in voce Μεθόδιος, ex Sophronio proculdubio Hieronymi interprete, vbi

vbi vocatur τοῦ ἄγαν λαμπροῦ καὶ συγκειμένου λόγου κατὰ Πορφυρίου. *Euſebij* aduerſus Porphyrium librorum meminit pariter idem Hieronymus *eod.lib.in Euſebio.* Et contra Porphyrium, inquit, qui eodem tempore ſcribebat in Siciliâ vt quidam putant libri triginta, de quibus ad me viginti tantum peruenerunt. Idem Hieronymus *in 24 caput Matthæi commentar. lib..4.* Multa Porphyrius contra nos blaſphemauit, cui Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus tribus reſpondit voluminibus. *Apollinarij* tandem librorum aduerſus Porphyrium meminit Hieronymus,& quidem eodem elogio addito, *eodem libro.* Extant,inquit,eius aduerſus Porphyrium triginta libri, qui inter cœtera eius opera vel maximè probantur.Vbi vides ſimilem horum Apollinarij librorum commendationem Philoſtorgianæ huic. Meminit idem variis aliis locis : in epiſt. ad Pammachium : vbi *fortiſſimos libros*, & *egregia* vocat *volumina :* Et *in apol. aduerſus Iouinianum :* & *in epiſt. ad Magnum Oratorem Romanum* (vbi *probatiſſimos libros* vocat, ſed vigintiquinque tantum numerat) & *in epiſt. 65.* Vincentius quoque Lirinenſis,horum ipſorum cum Philoſtorgio temporum ſcriptor,de Apollinario agens:Quot inimicos,inquit,fidei confutauit errores? Indicio eſt opus illud 30 non minus librorum nobiliſſimum & maximum, quo inſanas Porphyrij calumnias magna probationum mole confudit. His tribus verò ſcriptoribus adde & Philoſtorgium nunc, qui & ipſe tanto poſt aduerſus eundem Porphyrium pro Chriſtianis ſcripſit. Atenim merum eſt commentum apud τὸν ψευδώνυμον Lucium

Dextrum *in Chronico*, vbi dicitur, Triginta circiter ſcriptores Catholicos contra blaſphemias Porphyrij philoſophi ſcripſiſſe, & in his Hiſpanos nonnullos.

¶AD CAP. XV. *De Apollinarij Epiſcopatu, & de Nouati origine.*

De *Apollinario* rurſùm, de quo iam ſuprà quatuor capitibus, *cap.11,12,13,14*, agit hoc quinto capite Philoſtorgius: ſimùl & de *Nouato*: Quomodo & de vtriſque junctim, de Apollinario, inquam, & Nouatianis, ſub eodem Imp. Valente agit Sozomenus *lib 6 cap. 44 & 25* (pariter vt Theodoricus *lib.5 cap.3 & 4* de Apollinario eodem tempore agit) Nempe enim, quod oſtendunt illi, eodem tempore ſub Valente Imp. & Apollinarius hæreſin ſuam palàm defendere auſus eſt, & Nouatiani à Valente Imp. primùm exagitati, mox reſtituti, & in his Agelius Nouatianorum Epiſcopus, apud Valentem Imp. in gratia fuêre: teſte Socrate *lib.4 cap.9*: Sozomeno *lib.6 cap.24*, Arianóſque contra infeſtos habuêre. Socrates *dict.cap.9*, nouóſque adeò motus circa diem Paſcha excitauêre. Sic ſanè & Socrates ſub Valente, de Baſilio, Gregorio Nazianzeno, Gregorio Neocæſarienſe & de Nouatianis junctim agit *lib.4 cap.21,22,23*. Quod controuerſiam de die Paſchatis attinet, fidem facit quoque *canon 7 Synodi Laodicenæ in Phrygia*, de qua nos ſuprà, & Socrates *d.lib.4 cap.23*: & *lib.5 cap.20*: Sozomenus *lib.6 cap.24*. Hinc igitur & Philoſtorgius hic de Apollinario prolixè egerat, vt & de Nouato, rè altius quoque repetitâ, pariter vt Socrates & Sozomenus.

Quod

Quod *Apollinarium* attinet, præter ea quæ ſuperius de eius fide, doctrina, hæreſi, ſcriptíſque narrauit, hoc cap. ait, eum Epiſcopum fuiſſe. Id quòd Photius à Philoſtorgio precario dici ſiue indicat, ſiue addubitat, cùm ait, neſcire ſe vnde Philoſtorgius id deſumpſerit. Certe Socrates *lib.2 cap.36* : & Sozomenus *d.lib.6 cap.25 pag.389 in fin.* eum preſbyterum tantum vocant: eáque eſt τῶν ἐκκλησιῶν ἡγεμονία, de quâ Theodoretus quoque *lib.5 cap.4.* Et Hieronymus tamen quoque *lib. de ſcriptorib. Eccleſ.* idem tradit, quem & diſertè *Laodicenum Syriæ Epiſcopum* vocat. Eâmque ſententiam plerique hodie ſequuntur.

De *Nouato* verò ait Philoſtorgius, eum ex Phrygum gente deſcendiſſe. Id quod nemo alius ſcribit, omnes enim ex Africâ Nouatum prodiiſſe aiunt. Illud verum, quod Nouatiani nonnulli, vti iam dixi, hoc tempore ſub Valente Imp. nouos circa Paſchæ diem motus in Phrygiâ ciêre: de quo Socrates, *lib.4 cap.23* : *lib.5 cap.20 pag.649* : & Sozomenus *lib.6 cap.24.*

¶AD CAP. XVI. *De Valentiniani & Valentis patria.*

Valentiniani & Valentis Impp. patriam fuiſſe Cibalin ait Philoſtorgius : Quod & ipſum ſcribit Zoſimus *fine libri 3* : & Socrates *lib.4 cap.1* : & ex eo Nicephorus *lib.11 cap.1.* Sanè de Gratiano Sen. Valentiniani & Valentis patre, id ipſum ſcribit Ammianus Marcellinus, *lib.30 pag.457* : Victor alter, & poſt eum Paulus Diaconus, eum videlicet *apud Cibalas natum fuiſſe.* Porrò de patria hac Imperatorum Valentiniani & Valentis Philoſtorgium hîc ideò egiſſe puto, quòd diuiſo Imperio, decurſis

Thraciis & Pannoniis, & in his quoq; Naiſſo & Sirmio, Imperatores illi Cibalim quoque (Pannoniæ certe vrbem) venerint, vel ſaltem Valentinianus Sirmio digreſſus, pérque Emonam & Aquileiam Mediolanum pergens: Quomodo & Valentis, Sirmio videlicet digreſſi, itinerarium ex parte quoque memorat Philoſtorgius *lib. prox. cap.* 3. Intereà, neque illud hic omittere poſſum, quo loco Cibalis à Geographis ponitur, ibi iam in Itinerario Peutingeriano poni & bis quidem, *Ad labores*, proximéque ad eum locum, *Pontem hiulcæ*, nam ita ibi reſcribendum patet ex Zoſimo *lib.* 2 *pag.* 678, & ex Victore: vt proinde locus ille, *Ad labores*, idem mihi videatur cum Cibali: ita enim dictus tum videtur ob aſperrimum prælium ibi inter Conſtantinum M. & Licinium recenter habitum; vnde & poſt ardua dubiáque & *laboris* pleniſſima certamina Licinius fugere coactus fuit, neque tamen oppreſſus (quod Oroſius alioquin ſcripſit) páxq; mox inſecuta.

¶Ad Cap. XVII. *De ὁμοουσίου præconibus celeberrimis octo ſub Valente Imp.*

De præcipuis ὁμοουσίου præconibus & anteſignanis hac Valentis Imp. tempeſtate agit hoc capite Philoſtorgius: Ομοουσίου, inquam, quâ appellatione Philoſtorgius, ὁμοουσίου iuxta & ὁμοιουσίου hoſtis, & ὁμοιούσιον vt paſſim ita & hîc inuoluit. Octo igitur ὁμοουσίου anteſignanos recenſet. De ſingulis videamus.

Primus eſt *Theodorus* Heracleæ in Thraciâ Epiſcopus: de quo rurſum infrà *lib.* 9 *cap.* 10. Hic certe Theodorus (Hera-

(Heracleotes dictus, teſte Theodoreto *lib.2 cap.3 in fin.*) Arianus fuit, damnatúſque ideò in Synodo Sardicenſi: idémque poſteà ſub eodem Valente, Euzoio Epiſcopo Antiocheno mortuo ſuffectus fuit A.D.376: teſte Socrate *lib.4 cap.28* (vbi inuerſo nomine Dorotheus vocatur) & Sozomeno *lib.6 cap.7 in fin.* Hunc verò Theodoritus pariter *dict.cap.3* virum præter cæteros exquiſitâ doctrinâ fuiſſe ſcribit.

Secundus inter illuſtres ſub Valente Imp. ὁμοουσίου (vel potius ὁμοιουσίου) præcones memoratur hic à Philoſtorgio *Georgius* Alexandrinus, Laodiceæ in Syriâ Epiſcopus: Quem & genere à Philoſophis oriundum ait. Hic vero ille Georgius eſt, qui ex Arethuſæ preſbytero Epiſcopus Laodiceæ factus eſt ab Arianis poſt Theodotum, teſte Athanaſio *Oratione 1 contra Arianos:* quem idem *Apologia 2* Euſebianorum ſectæ principem vocat. Hic idem eſt, qui in Synodo Sardicenſi pariter damnatus, atque ideò inter præcipua Arianorum capita recenſetur in epiſtola concilij Sardicenſis apud Theodoretum *lib.2 cap.8.* Hic vnus fuit ex iis qui ὁμοουσίου vocem deteſtati ſunt, vt ſcribit Socrates *lib.1 cap.24*, & ὁμοιούσιον clare profeſſus eſt; vt exerte teſtatur Epiphanius *hæreſi Semi-Arianorum 73 pag. 845:* íſque adeò ἀνάγωγος, auctor, fuiſſe dicitur, vt formulæ de Filio Patri ſimili, adderetur *ſecundum Scripturas*, teſte Socrate *lib.2 cap.36 in fin.* Et inconſtanti tamen ac verſatili in doctrinâ animo hunc fuiſſe, modóque rectè de Filio ſenſiſſe ſicut in Synodo Seleucienſi profeſſus eſt, modò Arij opinioni adhæſiſſe ſcribit Socrates, *lib.2 cap.46.* Aë-

tium certe & Anomœos damnauit epiſt. ad Baſilium & Macedonem apud Sozomenum *lib.*4 *cap.*13. Res porrò inter eum & Apollinarium geſtas memorant Socrates & Sozomenus, quorum ille etiam narrat, ideò quoque dici Apollinarium à Georgio ſeceſſiſſe, quod à Seleucienſi fide, vbi ὁμοιούσιον ſtabilitum fuerat, Georgius ad Arianam fidem deflexiſſet. Hic idem denique vitam Euſebij Emiſeni conſcripſit, vnde nonnulla memorat Socrates, *lib.*2 *cap.*7.

Tertius inter præcipuos ὁμοουσίου, imò ὁμοιουσίου, cultores ſub Valente Imp. memoratur hic *Euſtathius* Sebaſtiæ Epiſcopus: Cui rei fidem quoque faciunt quæ de eo ſupra memorata ſunt, *lib.*3 *cap.*16 *&* 27: *lib.*4 *cap.*8 *&* 9, *&* 12: *lib.*5 *cap.*13. Certe, vt omittam alios, ex Baſilij quoque Cæſarienſis *epiſt.* 74 apparet, eum cum illis fuiſſe, qui ὁμοούσιον condemnabant: qui & ſæpe lapſus ſæpe receptus eſt. Et exertè *ſuprà lib.*4 *cap.*12 ſcribit Philoſtorgius, eum cum Baſilio Ancyræ anteſignanum in Synodo Cōſtantinopolitana à parte eorum qui ὁμοιούσιον prædicabant fuiſſe. Quod verò addit Philoſtorgius, Euſtathium hunc virum ſenem apud vulgus venerabilem, & perſuadendi peritum, extitiſſe, idem & Sozomenus, *lib.*3 *cap.*13 *pag.*282, τὸ δὲ ἦθος θαυμαστὸς, καὶ πείθειν ἱκανώτατος.

Quartus eſt *Baſilius*, Ancyræ videlicet. De hoc jam ſæpe ſuprà: ac nominatim ex *lib.*4 *cap.*6, 8, 11 *&* 12, liquet, eum aperte ὁμοιούσιον profeſſum: quod ipſum docet & Sozomenus, *lib.*6 *cap.*4: & Epiphanius, *hæreſi* 73, vbi clarè eum Semiarianis accenſet.

Quartus

Quintus eſt *Macedonius* Conſtantinopolitanus: quem etiam à Baſilio Ancyræ (de quo modò) ad ὁμοιούσιον adductum diſertè ſupra dixit *lib.4 cap.9*: ideóque & in Synodo Conſtantinopol. depoſitus, *lib.5 cap.1*.

Sextus inter homoouſiaſtas, imò homoiouſiaſtas ſub Valente celeberrimos ponitur hic *Eleuſius* Cyzicenus: quem exertè rurſum noſter ὁμοιούσιον prædicaſſe ſcribit, *lib.9 cap.13*.

Septimus *Marathonius* preſbyter Conſtantinop. nominatur. Is verò eſt de quo agunt Socrates, *lib.2 cap.35*, & Sozomenus *lib.4 cap.19 & 26*, quem quidam tradidêre erroris de Spiritu ſancto qui Macedonio tribuebatur, auctorem fuiſſe: vnde & *Marathoniani* nuncupati. Is etiam ex preſbytero vel diacono Conſtantinop. Epiſcopus Nicomediæ factus à Macedonio dicitur. De eodem verò junctim, pariter vt hîc, cum Eleuſio Cyziceno agunt Sozomenus, *lib.4 cap.19* (vbi ait eum cum Eleuſio enixè laboraſſe, vt ὁμοούσιον profitentes vexarentur) & vetus auctor apud Suidam *in voce* Ἐλεύσιος, vbi & de monaſteriis ab iis inſtitutis agitur.

Poſtremus inter præcipuos ὁμοουσίου (imò ὁμοιουσίου) ſub Valente præcones nominatur *Maximinus*, qui idem preſbyter Conſtantinopolitanus fuit, pariter vt Marathonius, cui hîc ſociatur. De eo verò nihil mihi aliunde compertum: niſi hic Maximus Cynicus ille ſit, qui tantum negotij poſteà Gregorio Nazianzeno faceſſiuit.

¶Ad Cap. XVIII. *Aëtij & Eunomij comparatio.*

Eunomij & *Aëtij* parallelon & comparationem hîc

inſtituit Philoſtorgius: quomodo & Baſilij, Gregorij & Apollinarij, ὁμοουσίων, imo, ὁμοιουσίων cultorum comparationem inſtituerat *ſupra cap. 11*: & quidem quoad vim dicendi, ſtylúmque. Igitur ait Philoſtorgius, Aëtium à ſe præferri Eunomio quoad vim demonſtratiuam εἰς μὲν ἰσχὺν ἀποδείξεων, & quoad facultatem occurrendi ad ſingula καὶ ἑτοιμότητα τῶν πρὸς ἕκαστα ἀπαντήσεων: nempe enim omnia confertim ſinéque arte ei in primore linguâ jacuiſſe videri, ἀτεχνῶς γὰρ ἐπὶ τῆς γλώττης ἄκρας αὐτῆς ἅπαντα δοκεῖν ἀθρόως κεῖσθαι: Contra Eunomium Aëtio præfert, quoad perſpicuitatem in docendo, & diſpoſitionem, & genus ad erudiendum maximè conuenientiſſimum, σαφηνείᾳ διδασκαλίας καὶ συμμετρείας, καὶ τῷ πρὸς τοὺς μανθανομένους μάλιστα ἁρμοδιωτάτῳ. Hæc ita Philoſtorgius de Aëtij & Eunomij dicendi genere: A quo prorſus abit quod ſupra dicitur, *lib. 6 cap. 2*, ex Photij vt mihi videtur ſententiâ. Omittere non poſſum adhuc, locum apud Suidam occurrere, qui proculdubio ex hoc ipſo Philoſtorgio deſumptus eſt, vbi Aëtius & Eunomius inter ſe pariter comparantur *in voce* Αὐξέντιος. Ibi ſcilicet dicitur, Aëtium ad principia tradenda præſtantiſſimum fuiſſe ἀρχὰς παραδοῦναι ἄριστος: Eunomium verò ad elaboranda ea quæ iam data erant, eáque perſpicuè ſimul & magnificè explicanda, τὰς δοθείσας (ἀρχὰς) ἐξεργάσασθαι, καὶ σαφῶς τε ἅμα καὶ μεγαλοπρεπῶς ἑρμηνεῦσαι παραπολὺ δυνατώτερος. atque ideò Eunomium poſtquam ad docendi munus promotus fuiſſet, ab Aëtio plerumque ſuo loco ad docendum miſſum, ad eos præcipuè qui perfectiorem doctrinam requirebant.

IN

IN LIBRVM NONVM.

¶Ad Cap. I. *De Aëtianorum & Eunomianorum miraculis.*

DE *Aëtianorum & Eunomianorum miraculis* eſt hoc caput: quo quidem Photius notat Philoſtorgium abſurdiſſima quæque de his effingere; &,vt ipſemet ait, nihil non effingendo, ſupra quam credibile,nullum ei abſurditatis ſenſum ſupereſſe: *καὶ ταῦτα κατὰ τὸ ἀπιθανώτατον ἀναπλάττοντι οὐδεμία παρ᾽ αὐτῷ αἴσθησις τῆς ἀτοπίας ἀνακυφίζεται.* Scilicet miraculorum vim vt Eunomianis ſuis (de Arianis iam alibi dixi) paſſim hoc opere Philoſtorgius tribuit: veluti Aëtio, *ſup.lib.5 cap.2:* Theophilo Indo, *lib.3 cap.4, & lib.4 cap.7:* & apud Photium *in Biblioth.num.40:* Agapeto Synadorum Ep. *lib.2 cap.8:* Ita expreſſo in id hoc capite tum alios ex Eunomianis feruidiſſimos,tum ſeptem nominatim ob miraculorum vim deprædicauit, miraculis eorum abſurdiſſimis confictis; puta 1 *Aëtij*, de quo dixi iam quoque *ſupra lib.2 cap.2.* 2 *Eunomij:* 3 *Leontij* Epiſcopi (Tripolitani ſcilicet) de quo Leontio,vide *ſup.lib.7 cap.6.* 4 *Candidi*,de quo Candido vide *ſupra lib.8 cap.2,4,6,7.* 5 *Arriani:* de quo Arriano vide *ſup.d.lib.8 cap 2,4,6,7.* 6 *Florentij:* de quo Florentio *ſupra lib.8 cap.2:* vide & *infra hoc ipſo lib.9 cap.4 & 6.*

7 Supereſt ſeptimus *Euagrius*, cuius nullo alio harũm eclogarum loco mentio fit. Hic vero ille Euagrius mihi videtur, qui Leſbi Mitylenes (quæ Lydiæ & Ioniæ, vbi Candidus & Arianus ab Aëtio & Eunomio præpoſiti fuêre, vicina) Epiſcopus fuit: Nam & in Leſbo Epiſcopum aliquem ab Aëtio & Eunomio ſub Iouiano conſtitutum ſuprà ſcripſit *lib.*8 *cap.*2, ibíque etiam Aëtio à Iuliano ager donatus fuit: *hoc ipſo lib.9 cap.4 infrà*: quò & Aëtius receſſit, cùm Eudoxium & Euzoium aduerſos ſibi ſentiret, *ibid.* Hic verò Euagrius in Synodo Seleucienſi ab orthodoxis depoſitus fuit: teſte Socrate, *lib.*2 *cap.*32 *pag.*603: idémque ſubſcriptus reperitur Semiarianorum fidei in eadem Synodo apud Epiphanium, *hæreſ* 73 *num.*26.

¶Ad Cap. II. *De Ianne & Iambre quædam.*

De *Ianne* & *Iambre* hiſtoriam (de qua alioquin D. Paulus *epiſt. ad Timoth.*2, *cap.*3 *verſ.*8) hîc proponit Philoſtorgius: In quâ id velut nouum excerpendo notat Photius, quod Philoſtorgius dicat: Primò eos vlceribus punitos: deinde, matrem quoque eorum morti à Moſe adjudicatam fuiſſe. Extat de hoc *Ianne* & *Iambre* liber apocryphus: De quo Origenes *tract.*35 *in Matth. Quod ait Paulus, ſicut Iannes & Iambres, &c. non inuenitur in publicis ſcripturis, ſed in libro ſecreto, qui ſupraſcribitur, Iannes & Iambres liber, vnde auſi ſunt quidam Epiſtolam ad Timotheum repellere, quaſi habentem in ſe textum alicuius ſecreti.* Quo loco Interpres *ſecretum* vertit, vbi Græca habebant vocem ἀποκρύφου. Et verò diſerte Ambroſius & Gelaſius eum Apocryphum aiunt.

¶Quo-

¶Quonam autem fine Philoſtorgius hanc de Ianne & Iambre hiſtoriam hîc inſeruerit videndum eſt. Duplex mihi conjectura, quæ & vtraque ſubſiſtere poſſit, ſub manum naſcitur: Prior, argumento capitis *ſupra proximi*, quo de miraculis Aëtianorum & Eunomianorum actum eſt: nempe hoc ſubjeciſſe videri poſſit Philoſtorgius, ad efferendam miraculorum ab his factorum vim, contra ad deprimendam eorum quæ Catholici memorabant: In Talmude quippe *tractatu de oblationibus*, dicuntur Iannes & Iambres (vbi Mamres legitur) fuiſſe Principes Magorum Pharaonis, multúmque reſtitiſſe Moſi, & ſtuduiſſe Moſes auctoritatem & miraculorum eius fidem infirmare, dum ſuis artibus eadem fingerent, quæ Moſes diuinâ virtute faciebat, ſed tandem impotentiam eorum contra diuinam virtutem enituiſſe, cum Aaronis virga in ſerpentem conuerſa, eorum virgas quæ ſerpentes videbantur, deglutiret, & ipſi in miraculo pediculorum cùm idem præſtare non poſſent, faterentur digitum Dei eſſe, qui id præſtitiſſet. Quinimò & Numenius Apamæus Pythagoricus vetuſtiſſimus ſcriptor libro 3 περὶ τἀγαθοῦ, referente Euſebio *lib. 9 de præparat. Euangel.* de hoc Ianne & Iambre egit: aítque, eos Ægyptios ἱερογραμματεῖς fuiſſe, claruiſſéque quo tempore Iudæi Ægypto ejecti ſunt, viróſque fuiſſe οὐδενὸς ἥττους μαγεῦσαι κριθέντας εἶναι: tandem, ab Ægyptiis delectos, qui Moyſi ſeſe opponerent, & diſſoluere diſſiparéq; potuiſſe grauiſſimas quáſque calamitates à Moyſe in Ægyptum inuectas. Sed & Plinius quoque *lib. 30 cap. 1*, de origine Magicæ agens, &

à quibus celebrata fuerit, Iamnis huius inter Iudæos. Magi meminit, ex veteri calumnia Moſem inter Magos recenſens: *Eſt & alia,* inquit, *Magices factio à Moſe & Iamne & Iotapę Iudæis pendens.* Iamnis quoque nomen apud Apuleium *Apolog.*2 corruptum iam à viris doctis reſtitutum eſt. Altera conjectura eſt, argumento duorum proximè ſequentium capitum 3 & 4, Philoſtorgium, Eudoxium & Euzoium qui ab Aëtio Eunomióque ſeceſſerant, Ianni & Iambri æquaſſe: qui ſcilicet Moyſi ἀντέστησαν, inquit D. Paulus, id eſt, qui in contrariam factionem coiêre. Id ſcilicet (quod ſemel monui *initio lib.*6) Philoſtorgio hoc opere inter alia maximè curæ cordíque fuit, vt demonſtraret, ſchiſmatis inter Aëtianos culpam, penes Eudoxium & Euzoium reſidere: cùm contra alij ſcriptores Eunomio id imputent, Socrates *lib.*4 *cap.*12 (qui eandem cauſam repetit à denegata Aëtij reſtitutione, & ab iiſdem Valentis temporibus) & Theodoretus *lib.*2 *cap.*29 (qui ab anteriore cauſa & tempore id repetit, nempe ab iis fermè quæ ſuprà occurrunt *lib.*7 *cap.*5,6) & Sozomenus *lib.*6 *cap.*26 *pag.*391 (ob eandem cauſam, nempe ob denegatam Aëtij reſtitutionem) Denique vt in huius Operis ingreſſu Philoſtorgius diſſidij in Eccleſia næuum ab Ario amoliri ſategit, ita & paſſim quoq; ab Eunomio, τὴν διάστασιν, vt vocat diſertè *cap. prox.*3 *in fin.* in Eudoxium & Euzoium retorquet: Quos & ideò infelicem exitum ſortitos indicatum voluit, ac nominatim *Eudoxium cap.*8 *inf.* quorum ille mox mortuus eſt A.D.370: hic, A.D.376. Hinc interim quoque liquet, *Iambres* rectè legi, non

Mam-

Mambres, vt vulgata habet apud Paulum & in Talmude. His omnibus addo, κηνοτάφιον, ſeu locum ſepulchri eorum Magicis artibus extructum creditum, poſterioribúſque ſœculis clarum fuiſſe, pluribúſque fabulis occaſionem præbuiſſe, vt docet Palladius *in hiſtoria Lauſiaca, in Macario Alexandrino.*

¶AD CAP. III. *De Eudoxij & Euzoij factis, dictiſq; aduerſus Aëtium & Eunomium.*

De *Eudoxij* & *Euzoij* quà factis quà dictis inter hæc Valentis Impér. initia aduerſus Aëtium & Eunomium agit hoc capite Philoſtorgius, eo fine vt perfidiam eorum magis magiſque arguat, & ſchiſmatis culpam penes illos collocet, quæ reuera penes hos ab aliis collocatur, nempe ideò ab Eudoxio Eunomius ſeceſſiſſe dicitur, quod Eudoxius magiſtrum ſuum Aëtium non reciperet. Hic verò primò temporis characteriſmus notandus venit: Nempe id tempus deſignat, quo Valens ex Illyrico Conſtantinopolim profectus eſt, poſtquam ſcilicet à Valentiniano fratre in Imperij ſocietatem adſcitus fuiſſet. Nempe Valens tum Sirmio (quæ Pannoniæ vrbs erat in Illyrico) de quo *ſupra lib.8 cap.8*, Conſtantinopolim profectus eſt A. D 364: teſte quoque Marcellino *lib.26 pag.339*, vbi ab eo data eſt fine eius anni *lex 1 Cod.Theod.ne quid publ.læt.* ibidémque anni 365 parte ſubſtitit. De quâ ipſa Valentis Conſtantinopoli morâ vide & Zoſimum *lib.4 pag.736*: & Socratem *lib 4 cap.2*.

Secundò, exprobrat Philoſtorgius Eudoxio Epiſcopo Conſtantinopolitano, quod promiſſionibus à ſe factis

Eunomio ſuper Aëtio reſtituendo, ne nunc quidem ſatisfeciſſet: quod iam quoque antea ipſi exprobrauit *ſup. lib.5 cap.3, lib.7 cap.5:* & *lib.8 cap.4* : Ne nunc quidem inquam, ſub Valente, qui alioquin & Conſtantinopoli conſtitutus erat, & Eudoxium in honore habebat, διὰ τιμῆς εἶχεν Εὐδόξιον (quod ipſum teſtatur & Sozomenus, *lib.6 cap.7 in fin.*) & cui omnia Valens in negotio religionis detulit, à quo etiam baptizatus eſt, vide Socratem *lib.4 cap.1,2*: Theodoretum, *lib.4 cap.12*: Sozomenum, *dict. lib.6 cap.7,8*: vt exemplo eſſe poteſt, id quod idem narrat à Valente factum hoc ipſo tempore aduerſus concilium Lampſacenum. Exprobrat & Euzoio Antiocheno Philoſtorgius, quod cùm tempus iam opportunum adeſſet, exequendi ea quæ in Synodo Antiochenâ in Aëtij & Aëtianorum gratiam ſub Iuliano procurauerat (de quo vide *ſupra lib.8 cap.6*) id tamen non feciſſet. Quid igitur? (quod iam tertium) horum loco & Eudoxium & Euzoium ad maledicendum Aëtio abreptos narrat. Ac primùm de Euzoio ait, eum ad maledicendum abreptum iis viris quibus in ſecundis olim poſitus ſteterat; nempe in Synodo Conſtantinopolitana ſub Conſtantio, de quo *lib.4 cap.12* : vbi tamen Euzoius hic ea in re non memoratur, verùm Maris, Eudoxius & Acacius. Quodnam verò maledicti genus iſtud fuit? Scilicet & in Aëtianos, & aduerſus Theophilum Indum : Illos ſcilicet Οινοβοσαὶ nominauit : hunc verò *Aethiopem*, per contumeliam. De *Theophili* equidem cognomine, Æthiopis inquam, non longe conjectura ducenda eſt: ex eo videl. quod

quod Theophilus hic ſub Conſtantio ad Axumitas Æthiopas profectus fuit: de quo *ſup.lib.3 cap.6.* Id quod & hîc ſatis à Philoſtorgio indicatur, cùm ait, ὥσπερ οὐκ εὐσεβείας καὶ πίστεως τῶν ἀγώνων ὄντων, ἀλλὰ χρωμάτων ἐκλογῆς καὶ γένους: *quaſi* verò *certamina Theophili non pietati adſcribenda eſſent, verùm coloris alicuius aut gentis delectui.* Verùm de nomine Aëtianis ab Euzoio tributo, obſcurior interpretatio eſt: Illud equidem certum mihi eſt, expanſis literis Ουρανοβόσας hîc legendum eſſe, quandoquidem in MSS. cum temone ſcriptum, Οῦνοβόσας. Sed quid Ουρανοβόσαις iſtis faciemus? Putet quis legendum, Ουρανοβάτας, vt alibi legimus αἰθροβάτας, νευροβάτας, καλοβάτας, χοινοβάτας: vt ita Aëtianos Euzoius οὐρανοβάτας dixerit, quaſi qui in cœlos ferrentur, & penetrarent, propter cœleſtium videlicet ſecretorum ſcientiam, quam ſibi vindicabant, & cognitionem Dei abſolutam, vel ob inſignem eorum faſtum, quomodo Baſilius *lib.1 aduer.Eunomium pag.6*, Eunomium inducit, quaſi πᾶσαν τὴν πολιτείαν εἰς οὐρανοὺς μεταθέντα: Et οὐρανοβάτας Eunomianos ſeu Aëtianos dixerit Euzoius, eodem ſenſu quo alias οὐρανοβάμονες dicuntur: quomodo & *lib.10 cap.1*: μετεωρολέσχαι iidem dicti videantur, veluti περὶ οὐρανοῦ φλυαροῦντες. Verùm alia mihi ſtat ſententia: nempe Ουρανοβόσκας hîc legendum putem: alluſione videlicet ad eorum Eccleſias factâ, vt ipſemet Philoſtorgius ait, ἐπ' ἐκκλησίας, inquit, εἰρωνευόμενος, ad Eccleſias eorum alludens: Quomodo & μετεωρολέσχας dixit *lib.10 cap.1* εἰς τὸ χαφάζειν, vel καγχάζειν ἐπ' ἐκκλησίας: vt ita οὐρανοβόσκας dixerit Euzoius Aëtianos per ironiam, quaſi paſcua cœleſtia

incolentes, habentes, quæ reuera abdita erant: pari ironiâ, quâ μετεωρολέσχαι. Certe eodem planè ſenſu, verùm citra ironiam iam, iidem Eunomiani *Troglodytæ* dicti vel *Trogluæ*, à ſecretis videlicet per domos conuentibus & cuniculis quos agitabant, teſte Theodoreto: Τρωγλοδύτης enim eſt, qui cauernas, cuniculos & ſpecus ſubit, & in his agitat, quíque latibula ſectatur. Sic igitur varia nomina olim Eunomianis indita: præter *Troglodytarum* & *Ouranóboſcon*, *Meteoroleſchon*, *Exoucontij* quoque iidem vel certe Ariani dicti, de quo *infrà lib.*10 *cap.*3. Eruere libet & nunc, è noſtris in Codicem Theodoſianum commentariis, nouum hactenus Eunomianorum nomen, quod hactenus latet in Theodoſij Magni *conſtitutione* 7. *Cod. Theod. de hæreticis*: vbi *Eunomiani ſpadones* dicuntur. *Eunomiani*, inquit, *ſpadones nec faciendi, nec adipiſcendi habeant licentiam teſtamenti: Quod circa omnes quos viuos lex inuenerit, volumus cuſtodire.* Ex hoc loco lectionéque, *Eunomiani ſpadones*, velut ſingulare quiddam Cujacius non vno loco inculcabat, *lib.*17 *obſeru.* 24: & *recitat. ad tit. Cod. qui teſtam. facere poſſunt*, vocatos à Theodoſio Eunomianos, ſpadones: eâque voce Theodoſium indicare voluiſſe, eam ipſam, quam qui de hæreticis ſcripſerunt Eunomianorum turpitudinem erubeſcunt in medium proferre, vt Theodoretus, additâ ratione honeſtiſſima, ἱκανὴ καὶ μόνη ἡ τοῦ μίσους ἀκοὴ μιᾶναι τὸν λογισμόν. Poterat Cujacius & Epiphanij verba in eandem ſententiam adducere, *in hæreſi Anomæorum* 76 *num.*4: καὶ αὐτὸς μὲν αἰδοῦμαι λέγειν ὅσαπερ ἐκεῖνος ἀκαθάρτως διηγήσατο: Verùm cùm de ſpadonatu Eunomianorum

YY rum

rum nemo veterum mentionem faciat, neque vllibi legam, Eunomianos ſibi virum exſecuiſſe, quod ſanè neque Baſilius, neque Nyſſenus qui aduerſus Eunomium ſcripsêre, neque Epiphanius omiſſuri fuiſſent, quomodo ſane idem Epiphanius cum de Valentinianis agit *hæreſi* 58, ſpadonatum eorum memorat: Contra lego apud Theodoretum & apud Epiphanium, Eunomianos adulterium inter crimina non duxiſſe; Epiphanij expreſſa hæc ſunt verba, τὸ δὲ σφάλλεσθαι ἔν τινι πορνείᾳ ἢ ἑτέρᾳ ἁμαρτίᾳ οὐδὲν εἶναι φασὶν, οὐδὲν γὰρ ζητεῖ θεὸς ἀλλὰ τὸ εἶναι ἐν ταύτῃ μόνῃ τῇ αὐτῶν νομιζομένῃ πίστει. Auguſtinus quoque *de hæreſibus cap.* 54. *Fertur etiam Eunomius vſque adeò fuiſſe bonis moribus inimicus, vt aſſeueraret, quod nihil cuiquam obeſſet quorumlibet perpetratio & perſeuerantia peccatorum, ſi huius quæ ab illo docebatur fides particeps eſſet.* Tantum ſcilicet abeſt vt Eunomius ſpadonatum ſuis indixerit. Dudum igitur eſt, cùm in ea Theodoſij M. conſtitutione vox illa *ſpadones* de mendo ſuſpecta mihi videri cœpit. Et ſanè, vt optima, ita elegantiſſima Codicis Theodoſiani editio Pariſienſis ad marginem illius legis ex MS. exhibet *Hiſpadones*, pro quo vulgata *ſpadones*, detracto *Hi*, quomodo & *Spania* alias pro *Hiſpania*: *ſtericæ* mulieres pro *hyſtericis*, aliaque his ſimilia. Ea verò lectio ad veram tandem deduxiſſe me videtur: Legam enim ibi *Hiſtapodes*. Eunomiani ſcilicet cùm & alias de baptiſmatis nominatim iteratione inter hæreticos cenſerentur, quod oſtendit Epiphanius *hæreſi Anomæorum* 76 *num. vlt. lex* 58 & 65 *Cod. Theod. de hæreticis*, *lex vlt. Cod. eod. ne ſanctum baptiſm.* & teſtatur Philoſtorgius noſter *lib.* 10 *c.* 4:

& Sozomenus *lib.6 c.26*: item quod vnâ tantum merſione baptiſma celebrarent, Philoſtorgio quoque teſte *dict. lib.10 cap.4*, vbi dcam plenius: illo ſanè vel maximè inter alia notabiles erant, quòd quos vel è Catholicis vel hæreticis, Arianis etiam, ad ſectam ſuam concedentes rebaptizarent, capite demerſo (*κατωκάρα* dicunt Græci) *pedibus ſurſum verſis*, & vt loquitur Prudentius, de Petri martyrio agens, *ſola verſi in cacumen*, vna immerſione baptizabant. Eius rei teſtis Epiphanius *d. hæreſi Anomæorum pag.* 76: (qui paucis annis ante eam Theodoſij M. legem ſcripſit) διαβεβαιώσαντο τίνες ὅτι κατὰ κεφαλῆς τοὺς ἀναβαπτιζομένους βαπτίζει τοὺς πόδας ἄνω καὶ τὴν κεφαλὴν κάτω, &c. Indicat & Theodoretus id ipſum, *lib.4 fabularum hæreticarum*: Tandem Zonaras & Balſamo *in can.1 Concil. Conſtantinopolit.* (quo Eunomiani damnantur) de Eunomio agens: ὃς καὶ τοὺς τῇ δόξῃ αὐτοῦ προσιθεμένους ἀνεβάπτιζε κατὰ κεφαλῆς αὐτοὺς καταδύων, καὶ ἄνω στρέφων τοὺς πόδας αὐτῶν, καὶ μίαν κατάδυσιν βαπτίζων ἐποίει. Inde igitur proculdubio Eunomiani *Hiſtapodes*: nempe quod pedes ſurſum ſtatuerent baptizandis (eadem formâ, quâ *antipodes*, *ſciapodes*, *ſaccopodes*, alia ſimiliter dicta) Deſumptâ voce è textrinâ vel nauticâ. Notum ſcilicet quid ibi ſit ἱςὸν ἱςοπέδη: imò & ἱςόποδες naues actuariæ, apud Gellium. Vt cœteros omittam, Gloſſæ Philoxeni & Cyrilli: ἱςόποδες, *pedes telæ*. Quinimò & textores ipſi iamdudum apud Romanos *Hiſtones* dicti, voce vſurpatâ Varroni *lib.1 de re ruſticâ*. Et verò res ipſa conuenit. Nam vt in texturâ primum eſt, telæ (id eſt inſtrumenti in quo texitur) pedes erigere, jugúmque iis imponere (quod Ouidius dixit,

telam

telam iugo iungere, Heſiodus ἱςὸν ςήσασθαι) ita primum iſtud fuit apud Eunomianos, eos quos in ſectam ſuam admitterent, baptizare, jugóq; quaſi jungere, pedibus ſurſum erectis, *capiteq́* adeò *ſiſtere*, vt Plautus loquitur, ſic vt pedes in ſublimi eſſent, caput verò demerſum: Quod cùm ſuſpendio fit, dicitur κάτω κάρα κρεμᾶσαι *capite deorſum ſuſpendi* in veteri martyrologio pridie Id. Maij. Hinc igitur mutuato vocabulo, *Eunomiani Hiſtapodes* dicti, quaſi diceres, *Pederectos*. Quæ cùm ita ſint, ceſſent porrò quæ Cujacius de ſpadonibus Eunomianis commentatus eſt: Vanum enim, Eunomianos virum ſibi exſecuiſſe: Vanus etiam eiuſdem conatus, *legem* 5 *Cod. Iuſtin. qui teſtam. fac. poſſ.* ad Eunomianos referre tentantis; vel eo quoque maximè vanus, quod Eunomiani, Conſtantio Imp. (cuius ea lex eſt) recentiores ſint. Si cui verò hæc noſtra de Eunomianis *Hiſtapodibus* ſententia & emendatio minus placet, alteram videat apud Doctiſſ. Petitum 2. *obſeruat.* 7. Verùm ad rem. Et hæc quidem de Euzoij ſcommatis aduerſus Aëtianos.

Sequitur Eudoxij maledictum: nempe inter alia Philoſtorgius ait, Eudoxium Aëtianos, non quidem ἀσεβεῖς *impios* vocaſſe, verùm λοιμοὺς *peſtes*: non *impios*, ne ſpecioſa eorum defectio videretur, quod omninò contendebant, ὅπερ θέλουσιν ἀκούειν, ἵνα μὴ δόξῃ εὐπρόσωπος αὐτῶν ἡ ἀπόστασις: cuius ſenſus hic eſt, Eudoxium Eunomianos non vocaſſe *impios*, quia ſi *impij* vocarentur, ipſemet Eudoxius defectionis argueretur, quandoquidem eadem cum Aëtio & Eunomio ſentiret: quare maluerit Eudoxius, eos

dij donatio in Bithyniâ ab eodem facta, epiſtola ipſius 46. Tertiò ait, Eunomium Chalcedonem conceſſiſſe, ibíque in horto quodam qui eius erat, proximúſque muris maritimis, moratum. De hoc Eunomij agro Chalcedone agitur rurſum *cap. prox.* 5 & 8 : in quo & Procopius antequam Imperium inuaderet ſeipſum occultauit, verùm inſcio domino, vt vult Philoſtorgius *dict. cap.* 5 & 8, quo tamen nomine Eunomius apud Valentem delatus fuit, quaſi eum ibi occultaſſet, *dict. cap.* 8. Et hæc quidem diſtinctè de vtriſque, de Aëtio inquam & Eunomio, eorúmque ſub Valente ex vrbe Conſtantinopolitana diſceſſu. ¶Addit Philoſtorgius, quod vtrique iam commune, Aëtium & Eunomium, poſteaquàm Conſtantinopoli migraſſent, ille Leſbum, hic Calcedonem, nullas eos Eccleſias rexiſſe, verùm ab Aëtianis ceu communes Rectores habitos, κοινοὺς αὐτοὺς οἱ ὁμόδοξοι πατέρας ἦγον καὶ ἡγεμόνας. Et de Eunomio ſpeciatim addit, eum ne ſacrum quidem miniſterium extra Cyzicum (cuius Epiſcopus factus fuerat : de quo *ſuprà lib* 5 *cap.* 3 : *lib.* 6 *cap.* 4) quamdiu ſuperſtes fuit, contigiſſe.

¶Ad Cap. V. *De Procopio Tyranno.*

De *Procopio* Tyranno eſt hoc caput, de quo & *cap. prox.* & 8 : & Themiſtius *Orat.* 9 : & Marcellinus *lib.* 26 *pag.* 343 : & Hieronymus, *Chronico* : Zoſimus *lib.* 4 *pag.* 736 : Socrates *lib.* 4 *cap.* 3 & 5 : Sozom *lib.* 6 *cap.* 8, vt omittam recentiores. Hâc parte verò Philoſtorgius varia narrat, partim cœteris communia, partim verò ſingularia.

Primò quidem, quod rationem *Temporis* attinet, ait Philoſtorgius, eo tempore Procopium Tyrannidem arripuiſſe, quo Valens Imp. expeditionem in Perſas mouit, & tertio quidem Imperij ſui anno. Quod ait, factum id, mota in Perſas à Valente expeditione, verum eſt, quod etiam alij dicunt: & in his Zoſimus quoque *lib.* 4 *pag.* 756: ſedenim factum id cùm Valens nondum in Syriâ conſtitutus eſſet, verùm antequam eò perueniret: Cæſareæ quippe Cappadociæ (quò alioquin antea Procopius ſub Iouiano ad priuatam vitam ſeſe receperat: teſte Zoſimo *lib.* 4 *pag.* 736) de eo nuncium accepit: vt proinde Socratis error ſit qui id factum ait Valente in Syria *conſtituto*: dicere enim debuit, Valente in Syriam *tendente*. Quod verò Philoſtorgius ait, factum id tertio Imperij Valentis anno, falſum eſt: Nam imò ſecundo Valentis anno Procopij tyrannis congruit, anno videl. 365, vt apertè produnt Socrates *lib.* 4 *cap.* 3: & Faſti Idaciani, Valentiniano & Valente coss. Marcellinus *lib.* 26 *pag.* 357: & docet quoque ſubſcriptio *legis* 5 *Cod. Theod. de ſuſceptoribus*: vnde & fine eiuſdem anni 365 Valens Bithyniam regreſſus, Chalcedonis oppugnationi à Procopio occupatæ adultâ hyeme inſtitit, teſtè Marcellino *lib.* 26 *pag.* 318, 319: quò pertinet & ſubſcriptio *legis* 14 *Cod. Th. de erogat. mil. ann.* quæ data eſt eodem anno 365 menſe Decembri. Denique Procopij Tyrannidis initium conſurgit ab anno Domini 365 menſe Iulio vel Auguſto, non verò 4 Kal. Octobr. quod malè præferunt Faſti Idaciani. Certe ex Themiſtij quoq; *Orat.* 9 *pag.* 206 colligere mihi

mihi videor, Procopium Tyrannidem occupaſſe ante cœptam Indictionem, id eſt, ante 24 diem menſis Septembris. Et Ammianus Marcellinus quoque tempus æſtivum deſignat, Valentiniano ſcilicet à Cæſareâ Cappadociæ profecturo, vt *vaporatis æſtibus* Ciliciæ iam lenitis ad Antiochiæ percurreret ſedes. Quare Baronij erratum eſt, qui Procopij tyrannidem refert ad A. D. 364 aduerſus omnem veterum fidem, imò contra id ipſum quod ait de Valentiniano tum Pariſios aduentante; id enim ipſum, quod pro argumento adſumit, congruit A. D. 365: vt apertè oſtendit *lex* 13. *Cod. Theod. de annonâ & tributis: lex* 3. *cod. Cod. de metallis: lex* 11. *de numerariis.* Ad Philoſtorgium redeamus. Ex ſuperioribus iam apparet liquidò, errare eum cùm Procopianæ Tyrannidis exortum tertio Valentis Imperij anno adſcribit. Verùm illud deprehendo & alibi Philoſtorgium liberalius Imperatorum quandoque annos computare: vide *& ſupra lib.* 2 *cap.* 17: *& lib.* 7 *cap. vlt.* Et hæc quidem de Temporis ratione.

Secundum huius tmematis caput eſt, de Procopij *Genere:* vbi ait, eum genere ſeu cognatione Iulianum Imp. contigiſſe: quod ipſum & cœteri ſcriptores memorant: Ammianus Marcellinus, *lib.* 26 *pag.* 341: Themiſtius *Orat.* 9 *pag.* 205: Zoſimus, *lib* 3 *pag.* 733: & *lib.* 4 *pag.* 736, &c.

Quemadmodum & in eo, quod tertium, Philoſtorgio cum aliis conuenit, quod ait, diuerſis ſermonibus Procopio aptatum ſub Iouiano imperium: vide & Zoſimum *lib.* 4 *pag.* 736. Addit in id quoque Marcellinus, *lib.* 26

*pag.*341 : illud etiam jactatum , Procopium in mandatis accepiſſe , vt ſi ſubſidia rei Romanæ languere ſenſiſſet, Imperatorem ipſe ſe prouideret ocyus nuncupari ; imò falſum rumorem diſperſum poſt Iuliani funus , Iulianum inter extremos anhelitus mandaſſe , placere ſibi, Procopio clauos ſummæ rei gerendæ committi. Addit & Zoſimus *lib.*4 *pag.*736 , Iulianum ei in Meſopotamiâ relicto conceſſiſſe vt amictum Imperatorium haberet propter cauſas omnibus aliis ignotas,quam veſtem Procopius poſtea Iouiano tradiderit , confeſſus quam ob cauſam eam accepiſſet.

Quarto & in eo Philoſtorgio conuenit cum Marcellino *lib.*26 *pag.*341 : & Zoſimo *lib.*4 *pag.*736 , cùm ait, Procopium ſub Iouiano , Meſopotamia relicta ad priuatam vitam & latibula cum magna penuria confugiſſe. Nam, quod primum attinet, Marcellinus quoque *dict. pag.*341 ſic ſcribit : *Hunc Iulianus Perſidem ingrediens , conſociato pari poteſtatis iure Sebaſtiano,in Meſopotamia cum manu militum reliquerat valida.* Et Zoſimus quoque ait, Iulianum Procopio parte copiarum credita mandaſſe vt cum Sebaſtiano per Adiabenen itinere facto ſibi per aliam viam in hoſtem Perſam eunti occurreret. Quod poſterius attinet, Marcellinus paria omninò cum Philoſtorgio hæc ſubjicit. *Et quia ſe quæri induſtria didicerat magna , vitans grauioris inuidiæ pondus,ad abdita longiuſq; remota diſceſſit,cumq; à Iouiano exploratius indagari latibula ſua ſentiret , & formæ vitæ fuiſſet iam pertæſum , quippe à celſiore ſtatu deiectus ad inferiora , etiam edendi penuria in locis ſquallentibus ſtringebatur , hominumq;*

egebat

egebat colloquiis, poſtremæ neceſſitatis impulſu, deuiis itineribus ad Chalcedonos agrum peruenit. Zoſimus hac parte rem aliter prorsùs memorat, quem vide *lib.*4 *pag.*736, 737. Atenim ea quoque parte, quod quintum, Philoſtorgio cum Marcellino conuenit, quod Procopium ait Chalcedonem profectum, in agro quodam delituiſſe: excepto quod Marcellinus eum agrum Strategij cuiuſdam fuiſſe ait, Philoſtorgius Eunomij, de quo infra rurſum *cap.*8: Marcellini verba ſunt: *Ad Chalcedonos agrum peruenit: vbi, quoniam & illud firmius viſum eſt receptaculum, apud fidiſſimum amicorum deliteſcebat, Strategium quendam ex Palatino milite Senatorem.* Et addit Philoſtorgius, Procopium in Eunomij agro Chalcedone diuertiſſe abſente Eunomio: Quod quidem addit, ideò, quia, vt iam dixi, eo nomine poſteà accuſatus fuit Eunomius, nempe quod Procopium in proprio agro occultaſſet Tyrannidem inuadentem, ſed falsò, vt idem ait *d.cap.*8.

Conuenit & in eo, quod ſextum, Ammiani Marcellini verbis quod ait, Procopium penuria fractum extremâ aleâ jactatâ, mox in vrbem progreſſum Imperium arripuiſſe. Nam & ita quoque Marcellinus: *Dimoto itaque longius Principe Procopius ærumnis diuturnis adtritus*, &c. *aleam periculorum omnium iecit abruptè.* Hiſtoriam porrò arrepti ſine ſanguine à Procopio Imperij Conſtantinopoli habes apud Marcellinum & Zoſimum. Et hæc quidem de arrepto à Procopio Imperio.

Nunc quæ deinceps ſecuta ſunt, committamus. Ait Philoſtorgius, Procopium prælio cum Valente congreſ-

à quibus celebrata fuerit, Iamnis huius inter Iudæos. Magi meminit, ex veteri calumnia Moſem inter Magos recenſens: *Eſt & alia*, inquit, *Magices factio à Moſe & Iamne & Iotape Iudæis pendens.* Iamnis quoque nomen apud Apuleium *Apolog.2* corruptum iam à viris doctis reſtitutum eſt. Altera conjectura eſt, argumento duorum proximè ſequentium capitum 3 & 4, Philoſtorgium, Eudoxium & Euzoium qui ab Aëtio Eunomióque ſeceſſerant, Ianni & Iambri æquaſſe: qui ſcilicet Moyſi ἀντέςησαν, inquit D. Paulus, id eſt, qui in contrariam factionem coiêre. Id ſcilicet (quod ſemel monui *initio lib.6*) Philoſtorgio hoc opere inter alia maximè curæ cordíque fuit, vt demonſtraret, ſchiſmatis inter Aëtianos culpam, penes Eudoxium & Euzoium reſidere: cùm contra alij ſcriptores Eunomio id imputent, Socrates *lib.4 cap.12* (qui eandem cauſam repetit à denegata Aëtij reſtitutione, & ab iiſdem Valentis temporibus) & Theodoretus *lib.2 cap.29* (qui ab anteriore cauſa & tempore id repetit, nempe ab iis fermè quæ ſuprà occurrunt *lib.7 cap.5,6*) & Sozomenus *lib.6 cap.26 pag.391* (ob eandem cauſam, nempe ob denegatam Aëtij reſtitutionem) Denique vt in huius Operis ingreſſu Philoſtorgius diſſidij in Eccleſia næuum ab Ario amoliri ſategit, ita & paſſim quoq; ab Eunomio, τὴν ἀπόςασιν, vt vocat diſertè *cap.prox.3 in fin.* in Eudoxium & Euzoium retorquet: Quos & ideò infelicem exitum ſortitos indicatum voluit, ac nominatim *Eudoxium cap.8 inf.* quorum ille mox mortuus eſt A.D.370: hic, A.D.376. Hinc interim quoque liquet, *Iambres* rectè legi, non

Mam-

Mambres, vt vulgata habet apud Paulum & in Talmude. His omnibus addo, κηνοτάφιον, ſeu locum ſepulchri eorum Magicis artibus extructum creditum, poſterioribúſque ſœculis clarum fuiſſe, pluribúſque fabulis occaſionem præbuiſſe, vt docet Palladius *in hiſtoria Lauſiaca, in Macario Alexandrino.*

¶AD CAP. III. *De Eudoxij & Euzoij factis, dictiſq; aduerſus Aëtium & Eunomium.*

De *Eudoxij* & *Euzoij* quà factis quà dictis inter hæc Valentis Impér. initia aduerſus Aëtium & Eunomium agit hoc capite Philoſtorgius, eo fine vt perfidiam eorum magis magiſque arguat, & ſchiſmatis culpam penes illos collocet, quæ reuera penes hos ab aliis collocatur, nempe ideò ab Eudoxio Eunomius ſeceſſiſſe dicitur, quod Eudoxius magiſtrum ſuum Aëtium non reciperet. Hic verò primò temporis characteriſmus notandus venit: Nempe id tempus deſignat, quo Valens ex Illyrico Conſtantinopolim profectus eſt, poſtquam ſcilicet à Valentiniano fratre in Imperij ſocietatem adſcitus fuiſſet. Nempe Valens tum Sirmio (quæ Panoniæ vrbs erat in Illyrico) de quo *ſupra lib.8 cap.8*, Conſtantinopolim profectus eſt A. D 364: teſte quoque Marcellino *lib.26 pag.339*, vbi ab eo data eſt fine eius anni *lex 1 Cod. Theod. ne quid publ. læt.* ibidémque anni 365 parte ſubſtitit. De quâ ipſa Valentis Conſtantinopoli morâ vide & Zoſimum *lib.4 pag.736*: & Socratem *lib 4 cap.2.*

Secundò, exprobrat Philoſtorgius Eudoxio Epiſcopo Conſtantinopolitano, quod promiſſionibus à ſe factis

Eunomio ſuper Aëtio reſtituendo, ne nunc quidem ſatisfeciſſet: quod iam quoque antea ipſi exprobrauit *ſup. lib.5 cap.3, lib.7 cap.5: & lib.8 cap.4* : Ne nunc quidem inquam, ſub Valente, qui alioquin & Conſtantinopoli conſtitutus erat, & Eudoxium in honore habebat, διὰ τιμῆς εἶχεν εὐδόξιον (quod ipſum teſtatur & Sozomenus, *lib.6 cap.7 in fin.*) & cui omnia Valens in negotio religionis detulit, à quo etiam baptizatus eſt, vide Socratem *lib.4 cap.1,2*: Theodoretum, *lib.4 cap.12*: Sozomenum, *dict. lib.6 cap.7,8*: vt exemplo eſſe poteſt, id quod idem narrat à Valente factum hoc ipſo tempore aduerſus concilium Lampſacenum. Exprobrat & Euzoio Antiocheno Philoſtorgius, quod cùm tempus iam opportunum adeſſet, exequendi ea quæ in Synodo Antiochenâ in Aëtij & Aëtianorum gratiam ſub Iuliano procurauerat (de quo vide *ſupra lib.8 cap.6*) id tamen non feciſſet. Quid igitur? (quod iam tertium) horum loco & Eudoxium & Euzoium ad maledicendum Aëtio abreptos narrat. Ac primùm de Euzoio ait, cum ad maledicendum abreptum iis viris quibus in ſecundis olim poſitus ſteterat; nempe in Synodo Conſtantinopolitana ſub Conſtantio, de quo *lib.4 cap.12* : vbi tamen Euzoius hic ea in re non memoratur, verùm Maris, Eudoxius & Acacius. Quodnam verò maledicti genus iſtud fuit? Scilicet & in Aëtianos, & aduerſus Theophilum Indum : Illos ſcilicet Οινοβοσοὶ nominauit : hunc verò *Aethiopem*, per contumeliam. De *Theophili* equidem cognomine, Æthiopis inquam, non longe conjectura ducenda eſt: ex eo videl. quod

quod Theophilus hic ſub Conſtantio ad Axumitas Æthiopas profectus fuit: de quo *ſup.lib.3 cap.6.* Id quod & hîc ſatis à Philoſtorgio indicatur, cùm ait, ὥσπερ οὐκ εὐσεβείας καὶ πίστεως τῶν ἀγώνων ὄντων, ἀλλὰ χρωμάτων ἐκλογῆς καὶ γένους: *quaſi* verò *certamina Theophili non pietati adſcribenda eſſent, verùm coloris alicuius aut gentis delectui.* Verùm de nomine Aëtianis ab Euzoio tributo, obſcurior interpretatio eſt: Illud equidem certum mihi eſt, expanſis literis Οὐρανοβόστας hîc legendum eſſe, quandoquidem in MSS. cum temone ſcriptum, Οὐ̃νοβόστας. Sed quid Οὐρανοβόσταις iſtis faciemus? Putet quis legendum, Οὐρανοβάτας, vt alibi legimus ἀεροβάτας, νευροβάτας, καλοβάτας, χοινοβάτας: vt ita Aëtianos Euzoius οὐρανοβάτας dixerit, quaſi qui in cœlos ferrentur, & penetrarent, propter cœleſtium videlicet ſecretorum ſcientiam, quam ſibi vindicabant, & cognitionem Dei abſolutam, vel ob inſignem eorum faſtum, quomodo Baſilius *lib.1 aduer.Eunomium pag.6*, Eunomium inducit, quaſi πᾶσαν τὴν πολιτείαν εἰς οὐρανοὺς μεταθέντα: Et οὐρανοβάτας Eunomianos ſeu Aëtianos dixerit Euzoius, eodem ſenſu quo alias οὐρανοβάμονες dicuntur: quomodo & *lib.10 cap.1*: μετεωρολέσχαι iidem dicti videantur, veluti περὶ οὐρανοῦ φλυαροῦντες. Verùm alia mihi ſtat ſententia: nempe Οὐρανοβόσκας hîc legendum putem: alluſione videlicet ad eorum Eccleſias factâ, vt ipſemet Philoſtorgius ait, ἐπ' ἐκκλησίας, inquit, εἰρωνευόμενος, ad Eccleſias eorum alludens: Quomodo & μετεωρολέσχας dixit *lib.10 cap.1* εἰς τὸ καφάζειν, vel καγχάζειν ἐπ' ἐκκλησίας: vt ita οὐρανοβόσκας dixerit Euzoius Aëtianos per ironiam, quaſi paſcua cœleſtia

incolentes, habentes, quæ reuera abdita erant: pari ironiâ, quâ μετεωρολέσχαι. Certe eodem planè ſenſu, verùm citra ironiam iam, iidem Eunomiani *Troglodytæ* dicti vel *Troglitæ*, à ſecretis videlicet per domos conuentibus & cuniculis quos agitabant, teſte Theodoreto: Τρωγλοδύτης enim eſt, qui cauernas, cuniculos & ſpecus ſubit, & in his agitat, quíque latibula ſectatur. Sic igitur varia nomina olim Eunomianis indita: præter *Troglodytarum* & *Ouranobοſcon*, *Meteoroleſchon*, *Exoucontij* quoque iidem vel certe Ariani dicti, de quo *infrà lib.*10 *cap.*3. Eruere libet & nunc, è noſtris in Codicem Theodoſianum commentariis, nouum hactenus Eunomianorum nomen, quod hactenus latet in Theodoſij Magni *conſtitutione* 7. *Cod. Theod. de hæreticis*: vbi *Eunomiani ſpadones* dicuntur. *Eunomiani*, inquit, *ſpadones nec faciendi, nec adipiſcendi habeant licentiam teſtamenti: Quod circa omnes quos viuos lex inuenerit, volumus cuſtodire.* Ex hoc loco lectionéque, *Eunomiani ſpadones*, velut ſingulare quiddam Cujacius non vno loco inculcabat, *lib.*17 *obſeru.* 24: & *recitat. ad tit. Cod. qui teſtam. facere poſſunt*, vocatos à Theodoſio Eunomianos, ſpadones: eâque voce Theodoſium indicare voluiſſe, eam ipſam, quam qui de hæreticis ſcripſerunt Eunomianorum turpitudinem erubeſcunt in medium proferre, vt Theodoretus, additâ ratione honeſtiſſima, ἱκανὴ καὶ μόνη ἡ τοῦ μίσους ἀκοὴ μιᾶναι τὸν λογισμόν. Poterat Cujacius & Epiphanij verba in eandem ſententiam adducere, *in hæreſi Anomæorum* 76 *num.*4: καὶ αὐτὸς μὲν αἰδοῦμαι λέγειν ὅσαπερ ἐκεῖνος ἀκαθάρτως διηγήσατο: Verùm cùm de ſpadonatu Eunomianorum

rum nemo veterum mentionem faciat, neque vllibi legam, Eunomianos ſibi virum exſecuiſſe, quod ſanè neque Baſilius, neque Nyſſenus qui aduerſus Eunomium ſcripsêre, neque Epiphanius omiſſuri fuiſſent, quomodo ſane idem Epiphanius cum de Valentinianis agit *hæreſi* 58, ſpadonatum eorum memorat: Contra lego apud Theodoretum & apud Epiphanium, Eunomianos adulterium inter crimina non duxiſſe; Epiphanij expreſſa hæc ſunt verba, τὸ δὲ σφάλλεσθαι ἔν τινι πορνείᾳ ἢ ἑτέρᾳ ἁμαρτίᾳ οὐδὲν εἶναι φασὶν, οὐδὲν γὰρ ζητεῖ Θεὸς ἀλλὰ τὸ εἶναι ἐν ταύτῃ μόνῃ τῇ αὐτῶν νομιζομένῃ πίστει. Auguſtinus quoque *de hæreſibus cap.* 54. *Fertur etiam Eunomius vſque adeò fuiſſe bonis moribus inimicus, vt aſſeueraret, quod nihil cuiquam obeſſet quorumlibet perpetratio & perſeuerantia peccatorum, ſi huius quæ ab illo docebatur fides particeps eſſet.* Tantum ſcilicet abeſt vt Eunomius ſpadonatum ſuis indixerit. Dudum igitur eſt, cùm in ea Theodoſij M. conſtitutione vox illa *ſpadones* de mendo ſuſpecta mihi videri cœpit. Et ſanè, vt optima, ita elegantiſſima Codicis Theodoſiani editio Pariſienſis ad marginem illius legis ex MS. exhibet *Hiſpadones*, pro quo vulgata *ſpadones*, detracto *Hi*, quomodo & *Spania* alias pro *Hiſpania*: *ſtericæ* mulieres pro *hyſtericis*, aliaque his ſimilia. Ea vero lectio ad veram tandem deduxiſſe me videtur: Legam enim ibi *Hiſtapodes*. Eunomiani ſcilicet cùm & alias de baptiſmatis nominatim iteratione inter hæreticos cenſerentur, quod oſtendit Epiphanius *hæreſi Anomæorum* 76 *num. vlt. lex* 58 *&* 65 *Cod. Theod. de hæreticis, lex vlt. Cod. eod. ne ſanctum baptiſm.* & teſtatur Philoſtorgius noſter *lib.* 10 *c.* 4:

& Sozomenus *lib.6 c.26*: item quod vnâ tantum merſione baptiſma celebrarent, Philoſtorgio quoque teſte *dict. lib.*.10 *cap*.4, vbi dcam plenius: illo ſanè vel maximè inter alia notabiles erant, quòd quos vel è Catholicis vel hæreticis, Arianis etiam, ad ſectam ſuam concedentes rebaptizarent, capite demerſo (κατωκάρα dicunt Græci) *pedibus ſurſum verſis*, & vt loquitur Prudentius, de Petri martyrio agens, *ſola verſi in cacumen*, vna immerſione baptizabant. Eius rei teſtis Epiphanius *d. hæreſi Anomæorum pag.* 76: (qui paucis annis ante eam Theodoſij M. legem ſcripſit) διαβεβαιώσαντο τινες ὅτι κατὰ κεφαλῆς τοὺς ἀναβαπτιζομένους βαπτίζει τοὺς πόδας ἄνω καὶ τὴν κεφαλὴν κάτω, &c. Indicat & Theodoretus id ipſum, *lib.4 fabularum hæreticarum*: Tandem Zonaras & Balſamo *in can.* 1 *Concil. Conſtantinopolit.* (quo Eunomiani damnantur) de Eunomio agens: ὃς καὶ τοὺς τῇ δόξῃ αὐτοῦ προσιθεμένους ἀνεβάπτιζε κατὰ κεφαλῆς αὐτοὺς καταδύων, καὶ ἄνω στρέφων τοὺς πόδας αὐτῶν, καὶ μίαν κατάδυσιν βαπτίζων ἐποίει. Inde igitur proculdubio Eunomiani *Hiſtapodes*: nempe quod pedes ſurſum ſtatuerent baptizandis (eadem formâ, quâ *antipodes*, *ſciapodes*, *ſaccopodes*, alia ſimiliter dicta) Deſumptâ voce è textrinâ vel nauticâ. Notum ſcilicet quid ibi ſit ἱστὸν ἱστοπέδη: imò & ἱστόποδες naues actuariæ, apud Gellium. Vt cœteros omittam, Gloſſæ Philoxeni & Cyrilli: ἱστόποδες, *pedes telæ*. Quinimò & textores ipſi iamdudum apud Romanos *Hiſtones* dicti, voce vſurpatâ Varroni *lib.*1 *de re ruſticâ*. Et verò res ipſa conuenit. Nam vt in texturâ primum eſt, telæ (id eſt inſtrumenti in quo texitur) pedes erigere, jugúmque iis imponere (quod Ouidius dixit,

telam

telam iugo iungere, Heſiodus ἱςὸν ςήσασθαι) ita primum iſtud fuit apud Eunomianos, eos quos in ſectam ſuam admitterent, baptizare, jugóq; quaſi jungere, pedibus ſurſum erectis, *capiteq;* adeò *ſiſtere*, vt Plautus loquitur, ſic vt pedes in ſublimi eſſent, caput verò demerſum: Quod cùm ſuſpendio fit, dicitur κάτω κάρα κρεμᾶσθαι *capite deorſum ſuſpendi* in veteri martyrologio pridie Id. Maij. Hinc igitur mutuato vocabulo, *Eunomiani Hiſtapodes* dicti, quaſi diceres, *Pederectos*. Quæ cùm ita ſint, ceſſent porrò quæ Cujacius de ſpadonibus Eunomianis commentatus eſt: Vanum enim, Eunomianos virum ſibi exſecuiſſe: Vanus etiam eiuſdem conatus, *legem 5 Cod. Iuſtin. qui teſtam. fac. poſſ.* ad Eunomianos referre tentantis; vel eo quoque maximè vanus, quod Eunomiani, Conſtantio Imp. (cuius ea lex eſt) recentiores ſint. Si cui verò hæc noſtra de Eunomianis *Hiſtapodibus* ſententia & emendatio minus placet, alteram videat apud Doctiſſ. Petitum *2. obſeruat. 7.* Verùm ad rem. Et hæc quidem de Euzoij ſcommatis aduerſus Aëtianos.

Sequitur Eudoxij maledictum: nempe inter alia Philoſtorgius ait, Eudoxium Aëtianos, non quidem ἀσεβεῖς *impios* vocaſſe, verùm λοιμοὺς *peſtes*: non *impios*, ne ſpecioſa eorum defectio videretur, quod omninò contendebant, ὅπερ θέλουσιν ἀκούειν, ἵνα μὴ δόξῃ εὐπρεπὴς αὐτῶν ἡ ἀπόστασις: cuius ſenſus hic eſt, Eudoxium Eunomianos non vocaſſe *impios*, quia ſi *impij* vocarentur, ipſemet Eudoxius defectionis argueretur, quandoquidem eadem cum Aëtio & Eunomio ſentiret: quare maluerit Eudoxius, eos

dij donatio in Bithyniâ ab eodem facta, epiſtola ipſius 46. Tertiò ait, Eunomium Chalcedonem conceſſiſſe, ibíque in horto quodam qui eius erat, proximúſque muris maritimis, moratum. De hoc Eunomij agro Chalcedone agitur rurſum *cap. prox. 5 & 8* : in quo & Procopius antequam Imperium inuaderet ſeipſum occultauit, verùm inſcio domino, vt vult Philoſtorgius *dict. cap. 5 & 8*, quo tamen nomine Eunomius apud Valentem delatus fuit, quaſi eum ibi occultaſſet, *dict. cap. 8.* Et hæc quidem diſtinctè de vtriſque, de Aëtio inquam & Eunomio, eorúmque ſub Valente ex vrbe Conſtantinopolitana diſceſſu. ¶ Addit Philoſtorgius, quod vtrique iam commune, Aëtium & Eunomium, poſteaquàm Conſtantinopoli migraſſent, ille Leſbum, hic Calcedonem, nullas eos Eccleſias rexiſſe, verùm ab Aëtianis ceu communes Rectores habitos, *κοινοὺς αὐτοὺς οἱ ὁμόδοξοι πατέρας ἦγον καὶ ἡγεμόνας.* Et de Eunomio ſpeciatim addit, eum ne ſacrum quidem miniſterium extra Cyzicum (cuius Epiſcopus factus fuerat : de quo *ſuprà lib 5 cap. 3 : lib. 6 cap. 4*) quamdiu ſuperſtes fuit, contigiſſe.

¶ AD CAP. V. *De Procopio Tyranno.*

De *Procopio* Tyranno eſt hoc caput, de quo & *cap. prox. & 8* : & Themiſtius *Orat. 9* : & Marcellinus *lib. 26 pag. 343* : & Hieronymus, *Chronico* : Zoſimus *. lib 4 pag. 736* : Socrates *lib. 4 cap. 3 & 5* : Sozom *lib. 6 cap. 8*, vt omittam recentiores. Hâc parte verò Philoſtorgius varia narrat, partim cœteris communia, partim verò ſingularia.

Primò quidem, quod rationem *Temporis* attinet, ait Philoſtorgius, eo tempore Procopium Tyrannidem arripuiſſe, quo Valens Imp. expeditionem in Perſas mouit, & tertio quidem Imperij ſui anno. Quod ait, factum id, mota in Perſas à Valente expeditione, verum eſt, quod etiam alij dicunt: & in his Zoſimus quoque *lib.*4 *pag* 756: ſedenim factum id cùm Valens nondum in Syriâ conſtitutus eſſet, verùm antequam eò perueniret: Cæſareæ quippe Cappadociæ (quò alioquin antea Procopius ſub Iouiano ad priuatam vitam ſeſe receperat: teſte Zoſimo *lib.*4 *pag.*736) de eo nuncium accepit: vt proinde Socratis error ſit qui id factum ait Valente in Syria *conſtituto*: dicere enim debuit, Valente in Syriam *tendente*. Quod verò Philoſtorgius ait, factum id tertio Imperij Valentis anno, falſum eſt: Nam imò ſecundo Valentis anno Procopij tyrannis congruit, anno videl. 365, vt apertè produnt Socrates *lib.*4 *cap.*3: & Faſti Idaciani, Valentiniano & Valente COSS. Marcellinus *lib.*26 *pag.*357: & docet quoque ſubſcriptio *legis* 5 *Cod.Theod. de ſuſceptoribus*: vnde & fine eiuſdem anni 365 Valens Bithyniam regreſſus, Chalcedonis oppugnationi à Procopio occupatæ adultâ hyeme inſtitit, teſte Marcellino *lib.* 26 *pag.*318,319: quò pertinet & ſubſcriptio *legis* 14 *Cod.Th. de erogat. mil. ann.* quæ data eſt eodem anno 365 menſe Decembri. Denique Procopij Tyrannidis initium conſurgit ab anno Domini 365 menſe Iulio vel Auguſto, non verò 4 Kal. Octobr. quod malè præferunt Faſti Idaciani. Certe ex Themiſtij quoq; *Orat.*9 *pag.*206 colligere mihi

mihi videor, Procopium Tyrannidem occupaſſe ante cœptam Indictionem, id eſt, ante 24 diem menſis Septembris. Et Ammianus Marcellinus quoque tempus æſtivum deſignat, Valentiniano ſcilicet à Cæſareâ Cappadociæ profecturo, vt *vaporatis æſtibus* Ciliciæ iam lenitis ad Antiochiæ percurreret ſedes. Quare Baronij erratum eſt, qui Procopij tyrannidem refert ad A. D. 364 aduerſus omnem veterum fidem, imò contra id ipſum quod ait de Valentiniano tum Pariſios aduentante; id enim ipſum, quod pro argumento adſumit, congruit A. D. 365: vt apertè oſtendit *lex* 13. *Cod. Theod. de annonâ & tributis: lex* 3. *eod. Cod. de metallis: lex* 11. *de numerariis.* Ad Philoſtorgium redeamus. Ex ſuperioribus iam apparet liquidò, errare eum cùm Procopianæ Tyrannidis exortum tertio Valentis Imperij anno adſcribit. Verùm illud deprehendo & alibi Philoſtorgium liberalius Imperatorum quandoque annos computare: vide *& ſupra lib.* 2 *cap.* 17: *& lib.* 7 *cap. vlt.* Et hæc quidem de Temporis ratione.

Secundum huius tmematis caput eſt, de Procopij *Genere:* vbi ait, eum genere ſeu cognatione Iulianum Imp. contigiſſe: quod ipſum & cœteri ſcriptores memorant: Ammianus Marcellinus, *lib.* 26 *pag.* 341: Themiſtius *Orat.* 9 *pag.* 205: Zoſimus, *lib* 3 *pag.* 733: & *lib.* 4 *pag.* 736, &c.

Quemadmodum & in eo, quod tertium, Philoſtorgio cum aliis conuenit, quod ait, diuerſis ſermonibus Procopio aptatum ſub Iouiano imperium: vide & Zoſimum *lib.* 4 *pag.* 736. Addit in id quoque Marcellinus, *lib.* 26

egebat colloquiis, poſtremæ neceſſitatis impulſu, deuiis itineribus ad Chalcedonos agrum peruenit. Zoſimus hac parte rem aliter prorsùs memorat, quem vide *lib.4 pag.736,737.* Atenim ea quoque parte, quod quintum, Philoſtorgio cum Marcellino conuenit, quod Procopium ait Chalcedonem profectum, in agro quodam delituiſſe: excepto quod Marcellinus eum agrum Strategij cuiuſdam fuiſſe ait, Philoſtorgius Eunomij, de quo infra rurſum *cap.8*: Marcellini verba ſunt: *Ad Chalcedonos agrum peruenit: vbi, quoniam & illud firmius viſum eſt receptaculum, apud fidiſſimum amicorum delitescebat, Strategium quendam ex Palatino milite Senatorem.* Et addit Philoſtorgius, Procopium in Eunomij agro Chalcedone diuertiſſe abſente Eunomio: Quod quidem addit, ideò, quia, vt iam dixi, eo nomine poſteà accuſatus fuit Eunomius, nempe quod Procopium in proprio agro occultaſſet Tyrannidem inuadentem, ſed falsò, vt idem ait *d.cap.8.*

Conuenit & in eo, quod ſextum, Ammiani Marcellini verbis quod ait, Procopium penuria fractum extremâ aleâ jactatâ, mox in vrbem progreſſum Imperium arripuiſſe. Nam & ita quoque Marcellinus: *Dimoto itaque longius Principe Procopius ærumnis diuturnis adtritus,* &c. *aleam periculorum omnium iecit abruptè.* Hiſtoriam porrò arrepti ſine ſanguine à Procopio Imperij Conſtantinopoli habes apud Marcellinum & Zoſimum. Et hæc quidem de arrepto à Procopio Imperio.

Nunc quæ deinceps ſecuta ſunt, committamus. Ait Philoſtorgius, Procopium prælio cum Valente congreſ-

ſum, proditione Ducum ſuorum Gomarij & Agelij fuſum. Id ipſum ſcribit & Marcellinus, *lib.26, pag.327,328*: & Zoſimus, *lib.4 pag.739* (apud quem malè aditum Ἀπλωνος, quod tamen Interpres retinuit, pro Ἀγίλωνος) & Socrates *lib.4 cap 5.* Ait ſecundo Philoſtorgius, Procopium proditione ſuorum fuſum Nicæam fugiſſe, ibíque agnitum à Florentio vrbis curatore captum & ad Valentem perductum. Meminit quoque in hac ipſa hiſtoriâ Florentij Marcellinus *dict. lib.26 pag.252, 253*: ſed non quod Niceæ vrbis curator fuerit: neque quod Procopius Niceæ captus fuerit: Nam imò & Marcellinus & cœteri, veluti Zoſimus *lib.4 pag.739*: Socrates *lib.4 cap.5*: Sozomenus *lib.6 cap.8*: Chronicon Alexandrinum (vbi Σκολίας, pro Νακολίας malè expreſſum retinet quoque Interpres) Procopium apud Nacoliam Phrygiæ oppidum captum referunt. Illud equidem Marcellinus quoque de Florentio *pag.352,353* narrat, Procopium à Florentio & Barchalba Tribuno, qui eum fugientem ſequebantur, arctius vinctum & ad caſtra Imperatoris ductum. In illo igitur ſaltem Philoſtorgio conuenit cum Marcellino, quod Procopium ait à Gomario & Agilone proditum, à Florentio verò traditum. Ait tertiò Philoſtorgius, Procopium capite plexum: quod etiam Marcellinus ait *lib.26 pag.352 in fin.* At Socrates *lib.4 cap.5*: Sozomenus *lib.6 cap.8*: & poſt hos Zonaras & Cedrenus aiunt, eum alligatum ad duas arbores, in contrarium nitentibus iis in duo diſtractum, διχοτομηθέντα.

Poſtremo loco ait Philoſtorgius, Procopium ſex men-

menſibus imperaſſe. Certe Faſti Idaciani cæſum aiunt A.D.366. VI Kalen. Iun. Chronicon Alexandrinum XII Kal. Iul. Quare ſi rectè computes, decem fere menſes Procopius Imperio incubuerit. Philoſtorgius ait, ſex menſibus, quia ſcilicet credidit is, Procopium tertio Valentis ânno tyrannidem arripuiſſe, quo certè cæſus fuit. Si verum dicerent Faſti Idaciani, qui dicunt eum 4 *Kal. Octobris* Tyrannidem occupaſſe, tum octo vel nouem menſes tyrannidem tenuerit. Verùm ſuprà probauimus, menſe Iulio vel Auguſto A.D.365 id factum.

Superioribus omnibus ſubjicit Philoſtorgius exitum Florentij proditoris. Certe & ipſe Marcellinus *lib.*26 *pag.*353 Florentium & Barcholbam pari indignationis impetu quo Procopius confeſtim interfectum refert ſimul & queritur. Addit inſuper Philoſtorgius, eum igni crematum, & quidem ab exercitu, ob veterem iram, quod ſcilicet Nicæam curans pro Procopio videlicet multos malo affecerat velut Valenti fauentes. Quæ vnus Philoſtorgius habet.

¶AD CAP. VI. *De Eunomij & Aëtij rebus ſub Procopio.*

De *Eunomij* & *Aëtij* rebus ſub Procopio tyranno eſt hoc caput. Ait primum Philoſtorgius, Eunomium apud Procopium Legationem Cyzici conſtitutum obiiſſe pro iis qui velut Valenti fauentes vinculis continebantur, liberationémque his procuraſſe. Quod Cyzicum attinet, de eâ certe à Procopio occupata agit Marcellinus quoque, *lib.*26 *pag.*349, 350: & Zoſimus, *lib.*4 *pag.*738. Quod

veniam ibi à Procopio datam attinet, Marcellinus equidem in genere ſcribit *dict.pag.*350, *Cyzico reſerata Procopium ad eam properè feſtinaſſe*, VENIA *vniuerſis qui repugnauère donatis, Serenianum ſolum iniectis vinculis duci iuſſiſſe Nicæam.* De Eunomio hac in re, eiúſque legatione, nemo quidquam dicit præter Philoſtorgium, qui hæc ad Eunomij ſui commendationem adjecit. Et hæc de Eunomio ſub Procopio Tyranno.

De *Aëtio* narrat, quomodo ſub Procopio in inſula (Leſbo ſcilicet, de quo *ſuprà cap.*4) agens imminenti iudicio, tanquam Valenti fauens liberatus fuerit: cuius rei nulla alibi mentio occurrit. Secundò ait, Aëtium ita liberatum (è Leſbo inſula ſeu Mitylene) adſumptis qui ſecum erant, Conſtantinopolim profectum, ibíque cum Eunomio & Florentio (quem Conſtantinopoli diſcedentes Aëtius & Eunomius inter initia Imperij ibi reliquiſſe ſupra *cap.*4 dicitur) vixiſſe.

Tandem ait, Aëtium Conſtantinopoli non multo poſt obiiſſe, Eunomiúmque ei extrema officia præſtitiſſe: quæ nuſpiam alibi occurrunt. Quæ tamen omnia obſeruanda ſunt: quandoquidem ſcriptores alij de Aëtio vltra Iuliani, à quo ab exilio is reuocatus fuit, tempora nihil memorant, neque quidquam de eius morte narrant.

¶AD CAP. VII. *De Aëtio Conſtantinopoli pulſo, & Eudoxij ad hæc neglectu.*

Pergit Philoſtorgius in iis narrandis, quæ *Eudoxius* Epiſcopus Conſtantinopolitanus ſub Valente quoque cùm

cùm aduerſus Aëtium fierent, diſſimulauit, neglexítque; eo ſemper fine quem aperui *initio lib.6*, & in *Prolegomenis*. Narrat igitur, quod cùm Aëtius à clero Conſtantinopolitano vrbe pelli iuſſus fuiſſet abſente Eudoxio, Aëtiúſque Chalcedonem profectus id quod acciderat Eudoxio ſcripſiſſet, Eudoxius his necquicquam commotus fuerit. Quod & ipſum à nullo prætereà memoratur. Temporis tantum ratio hic obſeruanda, ſimùl & ſtabilienda. Ait Philoſtorgius, factum id, Valentē, & Eudoxio cum eo Marcianopoli agente. Id verò congruit Anno Domini 367: quo certè duobúſque proximis Valens Gothico bello illigatus Marcianopoli fermè egit, quod docet quoque caput proximum, & ſubſcriptio *legis 1. Cod Theod. ſi Curialis relictâ ciuit.* & *legis 1. eod. Cod. de equorum collat.* Vbi & porrò quoque conſtitit A.D. 368 & 369: de quo vide Ammianum Marcellinum, *lib. 27 pag. 365, & 366*: & Zoſimum *lib. 4 pag. 741.* Triennium enim iſtud bellum Gothicum durauit.

¶AD CAP. VIII. *De Eunomio in exilium pulſo, & Eudoxio ei aduerſo*, &c.

De *Eunomio* ſub Valente Imp. in exilium pulſo, mox & eodem ab exilio reuocato: déque *Eudoxio* ei porrò aduerſo, eiuſdémque Eudoxij morte eſt hoc caput: vbi ſingula illuſtrari merentur: in quibus idem ſemper ſcopus Philoſtorgio propoſitus eſt, nempe vt oſtendat quàm aduerſus Eunomio Eudoxius fuerit.

Primò quidem ait, Eunomium delatum falſo in proprio agro Procopium Tyrannidem inuadentem occul-

taſſe (de quo iam *cap.* 5) atque ideò ægrè mortem euitaſſe, ínq; exilium miſſum, εἰς τὴν Μαυρουσίδα γῆν (ſi locus hic bene habet) ab Auxonio Præfecto Prætorio. De hac verò Eunomij accuſatione, periculo & exilio, nulla apud alios mentio. *Auxonij* certe huius Præfecti Prætorio, Orientis videlicet, per A. D. 368, 369, 370., multa mentio tùm in conſtitutionibus Valentis, quæ ad eum per id triennium datæ occurrunt in Codice Theodoſiano, tùm apud Eunapium, *in vita Maximi*, *p.* 109: & Zoſimum, *lib.* 4 *pag.* 741, qui aiunt, à Valente Auxonium hunc in locum Salluſtij P P. & quidem Martianopoli exiſtente, ſuffectum: vnde iam huius narrationis æra liquido firmari poteſt.

Secundò ait, Eunomium in tranſitu cùm in exilium abduceretur, Murſam Illyrici vrbem perueniſſe, ibíque à Valente Murſæ Epiſcopo humaniter exceptum fuiſſe: mox & Valente Epiſc. vnà cum Domnino Marcianopolitano Epiſc. ad Valentem Imp. profecto, ab exilio reuocatum. Quæ & ipſa etſi à nullo præterea memorentur, plurima tamen habent tum ſingularia tum quæ ad temporum rationem ſtabiliendam apprimè faciunt. Primò quod *Murſam* attinet, clara hæc vrbs fuit Illyrici, vt hic dicitur, ſeu Pannoniæ (quæ Illyrici prouincia erat) vt Zoſimus *lib.* 2 *pag.* 693: & vt omittam alia, illuſtris quoque ea Magnentij tyranni ad eam profligatione, de quo Zoſimus *dict. lib.* 2: meminit & Marcellinus. Ac vt eo nomine illuſtris Murſa fuit, ita (quod ſecundo hîc obſeruandum) illuſtris Valente hoc Epiſcopo Murſenſi Ariano:

Ariano, infenſiſſimo Athanaſij hoſte. De quo cùm multa occurrant paſſim ſub Conſtantio, illud de eo modò nunc notandum eſt, eum eodem hoc tempore A.D. 36? in Occidente damnatum, Damaſo Epiſcopatum Romanum gerente, vt diſcere licet ex Athanaſio *ad Epictetum Epiſc. Corinthium*: qui intereà, vt ex hoc Philoſtorgij loco diſcimus, in magna apud Valentem Imp. gratia erat.

Tertiò obſeruetur *Domninus* Marcianopoleos ſub Valente Epiſcopus: cuius nulla alibi mentio extat. Quem tamen gratia apud Valentem Imp. valuiſſe hinc diſcimus: procul dubio familiaritate contractâ ex Valentis Imp. mora Marcianopoli, de qua *ſuperiore cap.* 7.

Quartò ait Philoſtorgius, Valentem Imp. cùm ab exilio Eunomium reuocaſſet, cum Eunomio cupiuiſſe congredi, verùm Eudoxium id artibus quibuſdam impediuiſſe. Quod ſemper eodem fine à Philoſtorgio dicitur, de quo plene ſemel *initio lib.* 6 diximus.

Eòdem verò tacitè pertinet, quod de Eudoxij iſtius Epiſc. Conſtantinopolitani morte ſubjicit. Nempe ait, eum Nicæam profectum Epiſcopi ordinandi gratia, in Eugenij Epiſc. mortui locum, antequam negotio finem imponeret, obiiſſe: vbi multa notanda veniunt.

Primò, Nicæni Epiſcopi ordinationem ad Epiſcopum Conſtantinopolitanum ſpectaſſe: Nempe enim Bithynia diœceſi eius (quæ Patriarchalis poſtea dicta fuit) ſuberat, quod aliunde clarum.

Secundò notandus *Eugenius* Epiſc. Nicænus, cuius hîc mentio fit. Eiuſdem meminit & Socrates, *lib.* 4 *cap.* 7:

quem vnum fuiſſe ait ex Epiſcopis 30 Antiochiæ congregatis, qui aduerſus Athanaſium literas ſcripsêre. Hic idem videtur, qui Synodo Sardicenſi ſubſcriptus apud Athanaſium *Apol.2 pag.596.* Porrò ad Valentis Imp. tempora eum perueniſſe hinc diſcimus.

Tertiò obſeruandum tempus, quo Eudoxius ſub Valente Imp. mortuus dicitur, eíque ſubſtitutus Demophilus. Socrates diſerte, *lib.4 cap.13*, eum obiiſſe ait Valentiniano & Valente 3. COSS. id eſt, A.D.370: Quod ſanè ipſum ſeries horum capitum fermè ingerit. Quod verò annos Epiſcopatus eius attinet, variant Socrates *dict.loco:* & Sozomenus, *lib.6 cap.13*: Ille Eudoxium ſediſſe annos 10 ait: ſed malè: at rectè Sozomenus, vndecim: factus enim Epiſcopus A.D.360: vide *ſup.lib.5 cap.1*: mortuus vero A.D.370. Porrò, *Demophilum* Berœenſem facit, ſeu Berroeam patriam eius fuiſſe, & hîc, & *cap.12 inf.* & Nicephorus *cap.8.* *Berrœa* autem hæc eſt quæ ad Theſſalonicam, cuius etiam, præter Acta Apoſtolorum, alióſque, mentio fit in Itiner. *Peutinger.* Vnde *infrà cap.14* Theſſalonica Demophili patria dicitur. Apud Theodoretum verò, *lib.2 cap.16*, *Berrœa Thraciæ* dicitur, vt & in Concil. Chalced. *Act.4*, vbi de Sebaſtiano Berrœæ Epiſc. Situm eius quoque intelligere licet ex his quæ ſcribit Iornandes *de rebus Geticis*, vbi de Decio Imp. De Demophilo porrò hoc in ſedem Conſtantinopolitanam loco Eudoxij ab Arianis tranſlato, mox plura *cap.10.* vide & Socratem *lib.4 cap.13*: Sozomenum *lib.6 cap.13*: & Athanaſij vitam *apud Photium pag.1450.*

¶AD

¶Ad Cap. IX. *De Philoſtorgij ſcriptoris huius parentibus, iiſq; Eunomianis.*

De *Philoſtorgij*, huiuſce hiſtoriæ ſcriptoris, auo materno, matre, patréque, iiſque Eunomianis omnibus, eſt hoc caput: de quo in *Prolegomenis* affatim.

Quod Philoſtorgij genus maternum attinet, *Boriſſi* Anyſium presbyterũ avum ſuum maternum conſtitiſſe ait: Boriſſi inquam, quem ait vicum eſſe Cappadociæ ſecundæ. Huius certe vici meminit & Stephanus, Βόρυζα πόλις Ποντική· τὸ ἐθνικὸν Βορυζαῖος. Cur autem hoc loco hæc Philoſtorgius interjicit? Nempe, quia is hoc tempore natus eſt A. D. 369: & exinde viceſimum ætatis annum egiſſe ſeſe A. D. 388 prodit, *lib.* 10 *cap.* 6: de quo rurſum in *Prolegomenis.*

¶Quod avum maternum ipſum attinet, ait eum Preſbyterũ fuiſſe, & quatuor filios habuiſſe, filiam verò vnicam. Nempe hac adhuc tempeſtate alicubi, & quidem in Cappadociâ, preſbyteri vxorati fuêre, liberóſque ſuſcepêre: quod etiam teſtatur Epiphanius, *hæreſi Catharorum* 50, *num.* 4 (etſi id ipſe improbet) & Hieronymus *epiſt. ad Demetriadem: & lib.* 1 *aduerſus Iouinianum.*

¶Ad Cap. X. *De Demophili ordinatione in Epiſcopatu Conſtantinopolitano.*

De *Demophili* ordinatione in Epiſcopatu Conſtantinopolitano (de quo iam *ſup. cap.* 8 *in fin.*) tria ſingularia hîc narrat Philoſtorgius: Quæ antequàm aggredimur, illud præmonendum, à Philoſtorgio hunc Demophilum vbique traduci, proſcindi eò quod in Eunomium & Euno-

mianos iniquior fuerat: quod oſtendunt ea quoque quæ hîc ex parte narrat, & deinceps *cap.*13, 14, 19 *infrà hoc ipſo libro.* Hîc primò notandum, quod ait Demophilum iſtum ordinatum fuiſſe à *Theodoro Epiſc. Heraclea.* Quod & ipſum notat, vt exinde ordinationem Demophili traducat, nam & hunc Theodorum ſiue Dorotheum (nam ita promiſcuè vocatur) velut inter celeberrimos ὁμουσίου præcones numerat, mox & proſcindit: vide *ſupr. lib.*8 *cap.*17, *& inf.cap.*13,14,19: *lib.*10 *cap.*1. Illud interim verum, quod ſecundò addit, Epiſcopi Conſtantinopolitani ordinandi ius ad Epiſcopum Heracleæ ſpectaſſe, ἐδόκει γὰρ τὸ προνόμιον αὐτὸν ἔχειν τῆς τοιαύτης ἱερουργικῆς ἐνεργείας. Quod vt alij quoque teſtantur plures, ita Socrates quoque *lib.*3 *cap.*3 (vbi tamen ei ſociat hac in re Nicomedienſem Epiſcopum) Glycas Annal.6. vide & Nicephorum Gregoram, *lib.*6 *cap.*1 *pag.*117. Tertiò notat Philoſtorgius, in Demophili ordinatione acclamatum à populo ἀνάξιος, loco Ἄξιος. Fuit hæc ſcilicet ſolemnis olim acclamantis populi formula in ordinando Epiſcopo, Ἄξιος: Quod diſcere eſt quoque ex Politia Patrum *apud Photium pag.* 1413, vbi de Alexandri ordinatione in ſede Conſtantinopolitana agitur: καὶ ὁ λαὸς μιᾷ φωνῇ σὺν αὐτῷ βασιλεῖ ἐπὶ πλείους ὥρας ἐβόα, τὸ ΑΞΙΟΣ. Quod quidem cur Philoſtorgius hic narret iam initio dixi.

¶AD CAP. XI. *De Eunomio in exilium miſſo à Modeſto P P.*

De *Eunomio* à Modeſto Præfecto Prætorio in exilium miſſo agit hîc Philoſtorgius: Vbi ſequentia notanda veniunt,

veniunt, tum de Modeſto, tum & de exilio Eunomij. Primò quidem de Modeſto ait, eum *Præfectum* (Prætorio ſcilicet) fuiſſe: de quo frequens mentio apud Marcellinum *lib.*29 *pag.* 412 in geſtis anni 370: *lib.*30 *pag.* 448. in anno 374. & in Valentis Imp. conſtitutionibus quæ ad eum datæ occurrunt Codice Theodoſiano per A.D.370 371, 372, 373: apud Zoſimum *lib.*4 *pag.*742, 743. Meminit eius & Gregorius *in monodiâ Baſilij*: Extant & Baſilij ad eundem epiſtolæ ſex, puta 274, 275, 276, 277, 278, 279: vt & Libanij ad eum epiſtolæ quinque, *lib.*3 *epiſt.* 100, 102, 259, 261, 301: de eodem vide & Socratem, *lib.*4 *cap.*13 *&* 14, qui perſecutionem eius in Catholicos memorat: pariter vt Philoſtorgius (quod ſecundum hîc obſeruandum) perſecutionem eius in Eunomium perſtringit, quem diſertè erga eum malè affectum fuiſſe ait, ἀπεχθῶς εἴχων πρὸς Εὐνόμιον. Tertiò obſeruandum, quod ait Philoſtorgius, eum poſt Auxonium (de quo *ſuprà cap.*8) Præfectum Prætorio conſtitutum: quod vt temporum ratio ſatis oſtendit, ita diſertè pariter teſtatur Zoſimus *lib.*4 *p.*742: πλευτήσαντος δὲ τοῦ τῆς αὐλῆς ἐπάρχου, Μοδέςῳ ταύτην παραδίδωσι τὴν ἀρχήν: vbi Auxonium apertè indicat, de quo paulò ante egerat *ſuperiore pag.* 741. Et hæc quidem de Modeſto PP.

¶ De irrogato exilio Eunomio à Modeſto PP. duo obſeruat Philoſtorgius. Primò cauſam, vel potius ex Philoſtorgij ſententiâ, prætextum, hunc videlicet, quòd Eunomius Eccleſias vrbéſque turbaret: Deinde & locum exilij, in Axiam ſcilicet inſulam: vbi forte Ναξιωῦ,

vel Ναξίαν reponendum: quæ Naxus inter Cyclades fuit & Ναξιοῦς quoque dicta v. Stephanum: Niſi Axij fluuij in Macedoniâ inſulam aliquam nobis hîc fingamus.

¶Ad Cap. XII. *De Cæſarea Cappadociæ, eiuſq; cognomento.*

De *Cæſareâ Cappadociæ*, eiúſq; cognomento eſt hoc cap. Ait Philoſtorgius, eam initio *Mazam* vocatam fuiſſe, & quidem (quod ſecundum) à Moſoch Cappadocum gentis principe: tandem (quod tertium) per productionem *Mazacam* dictam. Sic & Sozom. *lib.*5 *c.*4, Μάζα κατὰ τὸ πρῶτον ὀνομαζομένη. Et Ioſephus quoque, *lib.*1 *cap.*7, principem gentis Μέσχον (fortè Μόσχον) vocat, vnde Philoſtorgius proculdubio iſtud habet. De Cæſarea Mazaca vide ſimiliter Itinerarium Peutinger. & Marcellinum *lib.*20 *p.*184. Stephanum, &c. Cur autem hæc Philoſtorgius de Cæſareâ hic interfatur? Proculdubio, quia hoc tempore A.D.369. Baſilius Cæſareæ Cappadociæ à Synodo ibi collectâ, non ſine tumultu, & aduerſante quoque prouinciæ Rectore, Epiſcopus ordinatus fuit. Imò hoc ipſo quoque tempore, anno proximo 370, Valens Imp. ibidem conſtitit cum Modeſto PP. (de quo *ſuper. cap.*11) & vterque ibidem cum Baſilio congreſſus eſt, quò conſtantiam eius ſi pote frangerent: vide Theodoretum *lib.*4 *cap.*17: & Sozomenum *lib.*6 *cap.*15: Socratem *lib.*4 *cap.*21.

¶Ad Cap. XIII. *De Cyziceno Epiſcopatu*, &c.

De *Cyziceno* Epiſcopatu, & Cyzicenorum obnunciatione ſeu prouocatione aduerſus Aëtium & Eunomium, & ὁμοιουσίῳ apud eos prædicato eſt hoc caput.

Ait

Ait Philoſtorgius, Cyzicenum Epiſcopatum, ab eo tempore quo Eunomius Cyzicum ſub Conſtantio Imp. reliquit (de quo *ſupr.lib.6 cap.*3) vacantem fuiſſe: & ſic per decennium integrum: Cyzicum enim dereliquit Eunomius ſub extremis Conſtantij annis A. D. 361: nos verò hîc nunc verſamur in geſtis A. D. 370.

Secundò ait Philoſtorgius, Demophilum Epiſc. Conſtantinopolitanum cum Dorotheo (qui idem & Theodorus) Heracleæ videlicet in Thracia Epiſc. (de quo *cap. 9 huius libri, & cap. prox. inf.*) cúmque aliis, tentaſſe Epiſcopum Cyzicenis dare, verùm fruſtrà, renitentibus videlicet Cyzicenis, eò quod illi ὁμοιούσιον ex *Eleuſii* ſententia tuebantur, & ne quid immutaretur poſtulabant. De hoc Eleuſio Epiſc. Cyzicenò, & ὁμοιουσίῳ ab eo prædicato, iam *ſuprà dict. lib.6 cap.*3, & *lib.*8 *cap.*17: de eodem & Sozomenus *lib.5 cap.*14, qui eum ſub Iuliano Epiſc. Cyzicenum fuiſſe, & à Iuliano Cyzico pulſum ſcribit. Socrates porrò *lib.*4 *cap.*7, vt & Sozomenus *lib.6 cap.*8, & Suidas, referunt, ſub *Valente* Eleuſium Epiſcopum Cyzicenum fuiſſe, ínque abdicati tum locum quod ad ὁμοιούσιον rediiſſet, Eunomium ſuffectum, ſed enim Cyzicenos alteri Epiſcopo ſeſe ſubjicere noluiſſe, eíque porrò paruiſſe & ὁμοιούσιον conſeruaſſe, Eunomióq; vrbem ingreſſo, Eccleſiâ extra vrbis mœnia ædificatâ ante ciuitatem conuentus peregiſſe. Ex quibus interim locis quoque illud ſaltem elucet, verum eſſe illud quod Philoſtorgius ait, ſub Valente Cyzicenos Epiſcopum alium renuiſſe, ínque ὁμοιουσίῳ perſtitiſſe.

Addit Philoſtorgius, πρόκλησιν, id eſt, *Obnunciationem* ſeu *Prouocationem* à Cyzicenis, Demophilo iiſque qui cum eo erant, oblatam : quâ non tantum poſtulatum, τὸ ἀμετάθετον, id eſt, ne quid in fide immutaretur aduerſus ὁμοιούσιον, verùm etiam Aëtius Eunomiúſque anathemati ſubjecti fuêre, Eunomiúmque, Ἀνόμοιον publicis ſermonibus ſcriptíſque proſcripsêre (quod hîc tacitè ſuggillat Philoſtorgius, vt & *ſuprà lib.6 cap.1*) eorúmq; fidem, ſed & eos pariter qui eorum doctrinam reciperent eidem anathemati ſubjecêre. Hæc inquam Philoſtorgius: At Sozomenus, *lib.7 cap.6*, illud hactenùs memorat, Eunomio cum clericis ſuis ſub Valente controuerſiam Cyzici interceſſiſſe, & ideò diſceſſione facta, in Bithyniâ è regione Conſtantinopoleos priuatum egiſſe.

Tandem ait Philoſtorgius, nullum alium Epiſcopum Cyzicenos accipere voluiſſe, verùm ipſoſmet ſibi Epiſcopum ordinaſſe, clarè ὁμοούσιον (pro ὁμοιουσίῳ) profitentem. Quod etiam nullibi prætereà memoratur. Certe, Cyziceni poſteà id velut αὐτοκέφαλοι fecêre: teſte Socrate, *lib.7 cap.28*, vbi ait, mortuo Epiſc. Cyziceno, Siſinnium Epiſc. Conſtantinopolitanum ordinaſſe Proclum Epiſc. Cyzicenum, verùm Cyzicenos Dalmatium monachum Epiſcopum ordinaſſe (quod ad A. D. 426 referendum eſt) neglectâ lege quæ jubebat ne quis Epiſcopus deſignaretur abſque ſententiâ Epiſcopi Conſtantinopolitani, hoc obtentu quod priuilegium iſtud ſoli Attico tributum fuiſſet qui fuit Epiſc. Conſtantinopolitanus ab A. D. 406: vt teſtatur Socrates *lib.6 cap.18*.

¶AD

¶Ad Cap. XIV. *De Dorotheo Epiſcopo Antiocheno facto, deq; eo & de Demophilo iudicium.*

De *Dorotheo* Epiſc. Antiocheno facto poſt mortem Euzoij agit hoc capite Philoſtorgius: qui & ſuum de eo déque Demophilo judicium fert. Ait igitur, poſt mortem Euzoij Epiſc. Antiocheni, *Dorotheum* (qui idem & Theodorus inuerſo nomine promiſcuè) ex Heracleæ Thraciæ Epiſc. Antiochenum Epiſc. factum. Mortem Euzoij refert Socrates *lib.4 cap.28 in fin.* ad A. D. 376, cui non reſpondet horum capitum ſeries quæ adhuc intra annum 373 verſatur. De Dorotheo ſuffecto Euzoio idem Socrates *d.loco* qui Dorotheum vocat, pariter vt Philoſtorgius, & Sozomenus *lib.6 cap.36 in fin.* qui Theodorum vocat. Hunc verò Dorotheum diſcerpit Philóſtorgius, dicens, eum ſuperbiſſimum fuiſſe. Hactenùs de Dorotheo.

Nunc de *Demophilo* Epiſc. Conſtantinopolit. de quo tria dicit Philoſtorgius. Primùm de doctrinâ eius & conceptibus ſcribit, eum ad miſcenda & confundenda omnia, ac maximè dogmata Eccleſiæ, idoneum & intemperantiſſimum fuiſſe: Ad cuius rei fidem ait, eum aliquando cùm Conſtantinopoli ſermonem haberet, dixiſſe, *Corpus Filij compulſum in diuinitatem in incertum maximè receſſiſſe, quomodo lactis Sextarius in vniuerſum corpus maris iactatus.* Hùc pertinet omninò geminus locus apud Suidam *in voce* Δημόφιλος, qui forte ex Philoſtorgio deſcriptus eſt, vbi ſimile judicium de Demophili τοῦ ἐν λόγοις συρφετοῦ occurrit, ſimiliáque eius portenta ληρώδη, referun-

tur, imò altera quoque ſimilitudo eius memoratur, ceræ inquam igni admotæ. Secundò, patriam Demophili fuiſſe ait Theſſalonicam, eundémque genere non ignobili fuiſſe: ſupra Berrœam patriam eius dixit *cap.*8: vt & *infr.cap.*19: quod eòdem redire ſuprà oſtendi. Tandem ſubjicit (pro ſcopo ſibi propoſito) Demophilum hunc Eunomianis infeſtiſſimum fuiſſe, & vt ipſe Rhetoricatur, πολὺς ἔῤῥει ταῖς κακώσεσιν: quomodo & ſupra *lib.*3 *cap.*17 de Athanaſio πολὺς ἦν ἐπὶ τῷ ὁμοουσίῳ ῥέων.

¶Ad Cap. XV. *De Diuinatione quadam ſub Valente.*

De *Diuinatione* quadam, & Mathematicorum tractatum ſub Valente famoſiſſimo, cuius occaſione diræ quæſtiones exercitæ, eſt hoc caput: de quo plenè Marcellinus, *lib.*29: Zoſimus, *lib.*4 *pag.*742, 743: Socrates, *lib.*4 *cap.* 15: Sozomenus, *lib.*6 *cap.*35. Quò etiam refero *legem* 8. *Cod. Th. de malef. & math.* quæ data eſt ad Modeſtum PP. Ad quem verò annum id referendum? Philoſtorgij ſeries indicare videtur, ante Valentiniani Iun. mortem id factum (quæ ſanè incidit in A. D. 375) Certe id referendum intra A. D. 373, quandoquidem Modeſtus vltimum Præfecturæ ſuæ annum tùm egit, qui huic crimini eruendo vindicandóque incubuit, teſte Marcellino, *lib.*29 *pag.*385: & Zoſimo *lib.*4 *pag.*743. Contrà non referendum id ad *Valentinianum* & *Valentem* Coss. id eſt, A. D. 365: qui tamen Conſulatus legi illi ſubſcriptus: non ad *Valentinianum* & *Valentem* 2 Coss. id eſt, A. D 368: quandoquidem nonniſi ann. 370 Modeſtus PP. factus in locum Auxonij,

de

de quo *cap.11 ſup.* Quare referendum id omninò, ſimùl & lex illa, vel ad *Valentinianum* & *Valentem* 3 COSS. id eſt, A.D.370, vel ad *Valentinianum* & *Valentem* 4 COSS. id eſt, A.D.373. Quod poſtremum quis præferat: Marcellinus enim inter alia huius narrationis ait, Modeſtum PP. tunc formidine ſucceſſoris agitatum in dies. Verùm de hoc plenius & accuratius ad *dict.l.8.* De Theodoro, de quo *ſub fin. capitis* vide ſimiliter Marcellinum *dict. lib.29 pag.384, 386, 388, 389*: de eodem eſt & Chryſoſtomi locus *epiſt. ad Iuniorem viduam.*

¶AD CAP. XVI. *De Valentiniani Imp. morte*, &c.

De *Valentiniani* Imper. morte, eiúſque liberis, déque *Valentiniano Iun.* filio eius Imperatore facto (A.D.375) Quæ etſi vulgata pleraque ſint, multa tamen adhuc ſingularia continent.

Primò ait, duodecim annos Valentinianum imperaſſe: Rectè, ab anno videlicet 364, ad ann. 375: centum diebus minus, vt exactè computat Marcellinus, *lib.30.* Malè Socrates *lib.4.cap.26*: & Sozomenus, *lib.6 cap.36*, qui aiunt, tredecim eum annis imperaſſe.

Secundò ait, Valentinianum præter Gratianum quem Imperij hæredem reliquit (de quo iam *ſuprà lib.8 cap.8 in fin.*) reliquiſſe inſuper duos liberos, Gallam videlicet filiam & Valentinianum Iun. De Galla vide quoque *infrà lib.10 cap.7.* Tertiò ait, Valentinianum Iun. tum quatuor natum annos fuiſſe, quod idem ſcribit Marcellinus, *lib.30 extremo*, Victor alter & Zonaras. Zoſimus

quoque *lib.5 pag.745* vix quinquennem fuiſſe ſcribit. De quo adhuc aliquid *infrà lib.11 cap.1*: Quartò ait, Valentinianum Iun. tum à Iuſtina matre, tum à Pannonico exercitu Imperatorem factum. Rectè: at malè Socrates, *lib.4 cap.26*: & ex eo Nicephorus *lib.11 cap.33*, qui ab Italico exercitu factum ait: ſed & illud malè, quod *Acincum*, vbi id peractum, Italiæ vrbem facit, quæ Pannoniæ vrbs erat, in qua Pannonia haud procùl Bregetione videlicet vrbe Valentinianus pater mortuus fuerat. Simili errore, quo Sozomenus *lib.6 cap.36*, Valentinianum mortuum ait in Galliâ: Simili rurſùm errore, quo *Murocinctam* villam, vbi tùm Valentinianus Iun. erat, in Galliâ ponit Ortelius, quæ in Pannoniâ fuit.

Quintò ait, Gratianum, factam inſcio ſeſe Valentiniani Iun. fratris ſui inaugurationem improbaſſe, & nihilominus tamen fratrem Imperatorem habere voluiſſe, eíque patris munus exhibuiſſe. Cui adfinia quædam Marcellinus quoque *libro 30 extremo* ſcribit. *Et licet cùm hæc agerentur, Gratianum indignè laturum exiſtimarent abſque ſui permiſſu Principem alium inſtitutum, poſtea metus ſollicitudine diſcuſsâ vixere ſecurius, quod ille, vt erat beneficus & peritus, *conſanguineum pietate nimia dilexit & educauit.* Vtrumque Imperatorem & Valentem patruum & Gratianum fratrem id ægrè tuliſſe, ſed tamen Imperatorem fuiſſe, aiunt Socrates, *lib.4 cap.26*: & Sozomenus *lib.6 cap.36*. Illud vnus Philoſtorgius habet, Gratianum ideò quoſdam qui id aggreſſi fuerant, puniuiſſe. Quare hæc inter alias Philoſtorgij in Gratianum calumnia eſt, in quem cæteroquin

roquin iniquior fuit: vide *& infr. lib.*10 *cap.*5. Idque ideò, quia Gratianus Catholicus & Orthodoxus erat, vt Photius *ibid.* conjicit, exemplo patris Valentiniani: quò pertinet quod ſuprà Philoſtorgius dicebat, *lib.*8 *cap.*8, Gratianum à patre ad ſuum morem exercitum, εἰς τὸν ἑαυτοῦ συνήθει τρόπον.

¶AD CAP. XVII. *De Scythis & Valentis aduerſus eos expeditione, mortéque*, &c.

De *Scytharum* (ſeu Gothorum) qui ab Hunnis pulſi fuerant, ſub Valente in Romanum ſolum tranſitu, déque iiſdem mox aduerſus Romanos rebellantibus: & de Valentis Imp. aduerſus eos expeditione, mortéque: tandem de Theodoſio Imperatore facto à Gratiano, conſentientia ferme cœteris ſcriptoribus etiam Eccleſiaſticis, tradit hoc capite Philoſtorgius. Ammianus Marcellinus quoque late exequitur Gothica illa & Valentis mortem *lib.*31: Eunapius Sardianus, *in excerptis legat.* Socrates, *lib.*4 *cap.*27,28: Sozomenus, *lib.*6 *cap.*36: Zoſimus, *lib.*4 *pag.*748,749,750,751. Sublegenda tantum quædam hîc nobis ſunt.

Primùm ait Philoſtorgius, Hunnos olim *Neuros* appellatos, quod exſcribit & Nicephorus *lib.*11 *cap.* 18. Neurorum horum mentio apud Plinium, *lib* 4 *cap.*12: & Marcellinum *dict. lib.*31 *pag.*468, & *lib.*22 *pag.*274: Zoſimus quoque *lib.*4 *pag.*748, eos βασιλείους Σκύθας nuncupat.

Secundò ait, Valentem Antiochia Conſtantinopolim profectum aduerſus Scythas: De hoc verò Valentis Imp. Antiochiâ Conſtantinopolim aduentu Marcelli-

nus quoque, *lib.*31 *pag.*488: Socrates, *lib.*4 *cap.*28 31: Zoſimus, *lib.*4 *pag.*748, 749: Idacij Conſularia. Eò porrò venit Valens A.D. 378, 3. Kal. Iunij, ibíque duodecim tantum diebus moratus, 3 Idus Iunij in Gothos mouit Socrates *dict.cap.*31.

Tertiò, quod de Valente occiſo & incenſo vnà cum tugurio vbi fœnum continebatur, hic dicitur, exſcribit Nicephorus *lib.*11 *cap.*12 *pag.*115. Hæc verò vna ex opinionibus fuit ſuper morte Valentis, quam ſequitur & Marcellinus *lib.*31 *pag.*462, qui *agreſtem caſam* vocat, Oroſius *lib.*7 *cap.*11: Zoſimus, *lib.*4 *pag.*750 *in fin.* & *pag.*757. Memorant Hiſtoriæ Eccleſ. ſcriptores, Socrates *dict.lib.*4 *cap.* 31 *ſeu vlt.* qui κώμην tantum vocat: Sozomenus *lib.*6 *cap.vlt.* qui δωμάτιον ἢ πύργον nominat: Chryſoſtomus *in ep. ad iuniorem viduam* & *homilia* 15 *ad Philippenſes.* Ἀχυρῶνα quoque vocat Cedrenus, Cyrus Monachus. Latius vt dixi κώμην vocat Socrates *lib.*4 *cap.vlt.* Eunapius *in vita Maximi pag.* 113 in genere ait, quod Valens ξένον τινα ἀφανισθῆναι τρόπον, ὡς οὐδ' ὀστέον εἰς ἀναίρεσιν εὑρεθῆν. ¶ Addit Philoſtorgius, tugurium incendiſſe Scythas, nihil de Valente ſuſpicantes: quod Marcellinus quoque ſcribit *dict.lib.*31: & Zoſimus *lib.*4 *pag.*751. Atenim aliter rem narrant Socrates, *lib.*4 *cap.vlt.* & Sozomenus *lib.*6 *cap.vlt.*

Tandem addit, hoc facto Scythas Thraciam omnem deprædatos, Fritigerno duce: de quo Zoſimus *lib.*4 *pag.*751: Socrates *lib.*5 *cap.*1: Faſti Idaciani A.D. 378, qui aiunt ad portas vſque vrbis Conſtantinopolitanæ. De *Fritigerno* hoc Marcellinus, *dict.lib.*31: Socrates, *lib.*4 *cap.*27: & Sozome-

zomenus, *lib. 6 cap. 36.* Hæc verò cauſa fuit, cur Gratianus in Thracias profectus Orientem Danubiíque limitem ordinarit, Theodoſiúmque in Imperium adſciuerit: vide vel Auſonium *in gratiarum actione ad Gratianum:* Pacatum *Panegyr. ad Theodoſium cap.* 11: de qua nunc

Narrationem de *Theodoſio* in Imperium adſcito à Gratiano exſcribit Nicephorus *lib.* 12 *cap.* 1 *pag.* 223: & conſentiunt fermè cœteri ſcriptores omnes: Niſi quod Zoſimus *lib* 4 *pag.* 751 ſcribit, Gratianum non admodum mœſto patrui cœdem animo tuliſſe, eò quod ſimultates quædam inter eos intercederent: cùm contra Philoſtorgius hîc ſcribat, luxiſſe patruum, ἐκόψατο μὲν τὸν (ita repone) θεῖον.

¶Ad Cap. XVIII. *De Eunomianis ſub Theodoſio M. Imp.*

Ad *Eunomianam* ſub Theodoſij M. Imp. initia hiſtoriam pertinet hoc caput: Narratione, cuius nullum alibi veſtigium extat. Ait primùm, Eunomianos Theodulo è Chæratopis mortuo Palæſtinæ Epiſc. (à parte, ſcilicet Eunomianorum) Carterium, mox & Ioannem ſubſtituiſſe: de Theodulo iam *ſuprà, lib.* 7 *cap.* 6: *lib.* 8 *cap.* 2. Quod Carterium attinet, alius ab hoc eſt is, de quo Socrates *lib.* 6 *cap.* 3: Sozomenus *lib.* 8 *cap.* 2. Verùm de Carteriis plura nos in *Prolegomenis.* Secundò ait, Eunomium poſt Ioannem hunc Epiſc. creatum, vnà cum eo & Arriano, & Euphronio ex vrbe Conſtantinopolitana in Orientem profectum. De Ariano *ſupra lib.* 8 *cap.* 2, 4, 6, 7: Euphronij nulla alibi mentio mihi nunc occurrit. Hinc

ſaltem diſcimus, eum Eunomianum fuiſſe. Tertio ait, Eunomium cum illis quos dixi triplici fine in Orientem profectum: puta vt Iulianum è Cilicia educerent, vt Theophilum Indum Antiochiæ ſecum adſciſcerent, denique vt cœtera Orientis diſponerent. *Iulianus* verò hic ille eſt, qui ſub Iouiano Imp. ab Aëtio & Eunomio Ciliciæ præpoſitus fuerat, *lib.*8 *cap.*2 *ſupra:* vbi fuiſſe eum adhuc inter initia Imperij Theodoſij Magni, hoc loco docemur. De *Theophilo* Indo *ſupra* paſſim: Hic ſub Iouiano Imper. ab Aëtio & Eunomio Antiochiæ præpoſitus fuerat, *ſupr.lib.*8 *cap.*2: vbi hoc adhuc tempore inter initia Imperij Theodoſij fuiſſe eum hic locus docet. Hoc interim etiam loco docemur, quibus viris potiſſimùm eo tempore Eunomiani ſubnixi fuerint: Eunomio ſcilicet ipſo, Ioanne, Ariano, Euphronio, Iuliano, Theophilo Indo. Docemur & hoc loco, quibus locis Eunomiana hæreſis ſub Theodoſio M. conſtiterit, nempe præter vrbem Conſtantinopolitanam, in *Oriente*, per *Palæſtinam* (cuius Epiſc. Ioannes) per *Lyciam & Ioniam* (cuius Epiſc. Arianus) per *Syriam Cælen* Antiochiæ (cuius Epiſc. Theophilus Indus) per *Ciliciam* (cuius Epiſc. Iulianus) & ſic per diœceſim & Comitiuam Orientis: quod etiam docet Theodoſij M. conſtitutio data inter hæc ipſius initia ann. 381, ad Clicherium Comitem Orientis *l.*8. *Cod.Theod. de hæreticis.* Illud addamus, proculdubio Eunomium ex vrbe Conſtantinopolitana nunc migraſſe (quod Philoſtorgius diſſimulat) quod Eunomiani vrbe à Theodoſio pulſi fuêre: de quo *cap.prox.* Porrò & illud adjiciendum, eſſe

eſſe hoc caput de Eunomianis ſacerdotibus creatis, inter initia Theodoſij Magni: quod mox A.D.383, fieri prohibitum *l.12.Cod.Theod.de hæreticis.*

¶AD CAP. XIX. *De Theodoſii M. victoria de Scythis.*

De *Theodoſii* M. victoria de *Scythis* (id eſt, Gothis) eiuſdémque Conſtantinopolim reditu, redditíſque ab eo Eccleſiis ὁμοούσιον profitentibus, Arrianis contra & Eunomianis pulſis: ac nominatim Demophilo Epiſc. Conſtantinopolit. Hypatio Niceæ Epiſc. Dorotheo Antiochenſi: Hæc quatuor ſcil. huius capitis membra ſunt.

Primò ſcilicet ait Philoſtorgius, Theodoſium Imp. ſtatim vt Imperium cepit, Sirmium (ad bellum Gothicum ſcilicet) profectum fuiſſe. Quod erroneum eſt. Nam imò Theodoſius Sirmij Imperator factus fuerat à Gratiano: Socrates, *lib.5 cap.2*: Sozomenus, *lib.7 cap.2*: Theodoretus, *lib.5 cap.5 & 6*: Sidonius Apollinaris, *carm.5 verſ.* 110: Chronicon Alexand. Marcellinus *Chronico*, Farrago Alexandr. Conſularia Idaciana, &c. At idem in Macedonia iam conſtitutus Theſſalonicæ Gothos deuicit. Illud rectè Philoſtorgius cum cœteris, quod Theodoſij de Gothis victoriam ad id tempus refert, quo Theodoſius iam Imper. erat. Malè enim Theodoretus, qui *lib.5 cap.5*, ante eius Imperium id factum memorat.

Secundò ait Philoſtorgius, Theodoſium poſt victoriam de Gothis Conſtantinopolim veniſſe: id quod certe factum menſe Nouembri A. D.380: vide Zoſimum *lib.4 pag.757 bis*: Socratem *lib.5 cap.6,7*: Idacium, & Faſtos

Idacianos, & ſubſcriptiones *l.3.Cod.Theod.de exhib.reis. l.6.* de *cuſtod.reor. l.3.Cod. Iuſtin. de litigioſis,*

Tertium huius capitis membrum eſt, de reſtitutis Eccleſiis homoouſiaſtis: de quo, præter conſenſum cœterorum ſcriptorum, eſt quoque expreſſa Theodoſij *lex 2 & 3 Cod.Theod. de fide Catholica*: cuius meminit & Sozomenus *lib.7 cap.9*: & Facundus, *lib.4 pag.162,163*: & *lib.11 cap.3.* Idque factum ait Philoſtorgius, ſtatim vt Theodoſius parta de Gothis victoria Conſtantinopolim venit: In quo conſentiunt pariter Socrates, *lib.5 cap.7 extr.* Sozomenus, *lib.7 cap.5*: Marcellinus, *Chronico*, qui ſcribunt, Theodoſium Conſtantinopoli conſtitutum, menſe Decembri A.D.380, Eccleſiam Arianis ereptam Catholicis reſtituiſſe.

Quarto capite ait Philoſtorgius, & poſt eum Nicephorus, *lib.12 cap.8*: Arianos & Eunomianos à Theodoſio Imp. vrbe Conſtantinopolitana pulſos, poſt reſtitutas Eccleſias iis qui ὁμούσιον profitebantur: & Epiſcopos tres præcipuos ſedibus ſuis ejectos, Demophilum ſcilicet Conſtantinopolitanum, de quo Sozomenus quoque *lib.7 cap.5*: qui Berrœam patriam ſuam conceſſit (de quo *ſup. cap.8*) quod & Nicephorus habet *lib.12 cap.8*: Hypatium item Niceæ Epiſc. Hic verò proculdubio Hypatius eſt Anomœus (ac propterea in exilium aliquãdo relegatus) familiaris Eudoxij & Eunomij, vt teſtatur Epiphanius, *hæreſi Semi_Arianorum 73, num. vlt.* Hicque idem videtur, cuius ordinationi Eudoxius immortuus eſt: de quo Eudoxij caſu *ſup.cap.8.* Huius verò Hypatij patriam fuiſſe

Cyrum

Cyrum Syriæ ſcribit Philoſtorgius, quò & profectus eſt Nicæa fugatus: *Cyrum* inquam, malè enim apud Nicephorum *dict. lib.* 12 *cap.* 8 Τόῤῥν, expreſſum. *Cyrum* porrò hanc Syriæ vrbem à Iudæis olim extructam in memoriam Cyri qui eos captiuitate dimiſerat, ſcribit Procopius *lib.* 2 *de ædific. Iuſt.* At Gennadius ab ipſomet Cyro conditam tradit. ¶Porrò cum gemino *pp* apud alios hæc vox exprimitur, apud Ptolemæum & Stephanum, & in Itinerario Peutingeriano *Cyrro*, & in Antonini *Cyrrho*: à quâ & prouincia *Cyrreſtica*. Ab Antiochia porrò ea bidui ſpatio diſtabat: teſte Theodoreto, *in hiſtor. Sanctorum*. Et hæc de Demophilo & Hypatio. Tertium Dorotheum (qui & aliàs Theodorus) & verò ita diſertè vocatur in hac ipſa narratione à Nicephoro, *lib.* 12 *cap.* 8 Epiſc. Antiochenum nominat Philoſtorgius inter eos qui à Theodoſio poſt reſtitutas homoouſiaſtis Eccleſias ſedibus ſuis pulſi fuêre: de quo *ſup. lib.* 8 *cap.* 17: & hoc ipſo *libro cap.* 10, 13, 14: & de eius expulſione nominatim rurſum *infrà lib.* 10 *cap.* 1: de Thraciâ patriâ eius, quò fugatum eum conceſſiſſe ait Philoſtorgius, *ſupra hoc ipſo libro cap.* 10, 14.

IN LIBRVM DECIMVM.

¶Ad Cap. I. *De Eunomianorum communione poſtulata à presbyteris Antiochenis*, &c.

De *Arianorum* & *Eunomianorum* ſtatu, & diſſenſione ſub Theodoſio M. circa & poſt id tempus, quo à Theodoſio Eccleſiæ homoouſiaſtis reſtitutæ, ipsíque Ariani & Eunomiani vrbe Conſtantinopol. pulſi, præcipuíque eorum Epiſcopi fugati fuêre (de quo *cap. vlt. libri ſuperioris*) ad Eunomij mortem vſque, agit hoc libro Philoſtorgius: Hæc inquam huiuſce libri decimi epocha ſimùl & materies eſt. In hoc verò argumento verſans Philoſtorgius, oſtendit pluribus, quo animo Eunomiani ipſi inter ſe, quo item Ariani & Eunomiani inter ſe hac tempeſtate fuerint, quo denique ipſimet Ariani inter ſe; quò ſanè pertinent quatuor priora huiuſce libri capita. Quibus addendum & ſextum, de Eunomij exilio: vbi iam Eunomianorum in hac Epitomâ hiſtoria deſinit: niſi quod duo adhuc infra occurrunt: prius *lib. 11 cap. 5* ſub Arcadio Imp. vbi agitur de Eunomij corpore Tyanam tranſlato, libríſq; eius aboleri iuſſis: alterum ſub Theodoſio Iun. *lib. 12 cap. 9*, vbi de Luciano nouæ cuiuſdam inter Eunomianos ſectæ auctore. Ergo de Arianorum & Eunomianorum

norum inter ſe diſſenſione, imò & de Eunomianorum ipſorum inter ſe diſſidio, ſub Theodoſio M. circa A. D. 380, 381, 382, 383 agit hîc Philoſtorgius : pariter vt hoc ipſo tempore Ambroſius ad Gratianum *de fide lib.1 cap.* 4: Socrates, *lib.5 cap.10 pag.684* (ibi ἰδιχορόουν) & Sozomenus, *lib.7 cap.12*, &c. Cœterùm de Arianis & Eunomianis tantum hîc agit Philoſtorgius, ſeu hanc de iis hoc loco narrationem ingreditur, etſi aliæ quoque hæreſes à Theodoſio M. proſcriptæ fuerint, tùm quia hos ille ſectæ ſuæ Duces habuit (de quo in *Prolegomenis* plenè, & mox quoque aliquid *cap.prox.2*) tùm quia præcipuæ inter alias hæ duæ hoc corpore ſectæ fuêre, quos & Patres Secundæ Synodi Oecumenicæ Conſtantinopolitanæ perſtrinxêre hoc ipſo anno in quo nunc verſamur 381: *can 1. & 7. Concil. Conſtantinop.* Quibus ſimiliter & Theodoſius M. bellum indixit eo ipſo anno Dom. 381, quos ideò cum Fotinianis ſolos nominat conſtitutione ſuâ quâ cœtus hæreticorum prohibuit, Orthodoxis viceuerſa fidem Nicænam tenentibus Eccleſias toto orbe reddi iuſſit, propoſito quoque in id fidei Nicænæ ſymbolo: Ea verò conſtitutio eſt *lex 6. Cod. Theod. de hæreticis*: Codice autem Iuſtin. *lex 2. Cod. de ſummâ Trinit. & fid. Cathol. Nicenæ,* inquit, *fidei dudùm à maioribus traditæ, & diuinæ religionis teſtimonio atque adſertione firmatæ, obſeruantia ſemper manſura teneatur: Fotinianæ labis contaminatio, Ariani ſacrilegij venenum, Eunomiæ* (Eunomianæ) *perfidiæ crimen, & nefanda, monſtruoſis nominibus auctorum, prodigia ſectarum ab ipſo etiam aboleantur auditu.* Vide & *l.8. eod. Cod. Theod. de hæreticis.* Quin-

imò & A.D.383 exagitatæ hæ hæreſes: Eo ſcilicet anno (menſe Iunio) noua Synodus Conſtantinopoli habita, conuocatis ad eam hæreſeon anteſignanis, tum maximè vigentium, τῶν ἀκμαζουσῶν τότε αἱρέσεων, eo fine vt paci Eccleſiarum tandem conſuleretur: Et verò Arianorum, Eunomianorum & Macedonianorum anteſignani eò venêre, & in his Eunomius ipſe, irrito tamen conatu: de quo Socrates, *lib.5 cap.*10: Sozomenus, *lib.*7 *cap.*12: Quarè & iidem hoc ipſo anno 383 exagitati à Theodoſio M. *l.*11,12.*Cod.Theod.de hæreticis:*mox & A.D.384.& Eunomius ipſe, de quo *cap.6 in fin.* Hæ igitur cauſæ, cur Philoſtorgius hoc loco in hanc prolixiorem de Arianis & Eunomianis, eorúmque variis inter ſe ſententiis, narrationem ingreſſus ſit.

De primo nunc huiuſce libri capite videndum eſt: Eo ait Philoſtorgius, Eunomianorum communionem poſtulatam à preſbyteris Antiochenis Dorothei, poſteaquam is Antiochiâ fugatus fuerat: eam verò ab Eunomianis admiſſam, ſub eâ conditione, ſi interdictum aduerſus Aëtium reuocaretur: ſubjicítque mox, quæ exinde contigerint. Quæ omnia exſcribit & Nicephorus *lib.* 12 *cap.*8 *pag.*235,236, Philoſtorgij tamen nomine, vt alias fermè, diſſimulato. Ea verò rurſùm à Philoſtorgio propoſita, vt penes Dorotheum eiúſque preſbyteros ſchiſmatis cauſam collocaret, ab Eunomio verò ſeu Eunomianis ſubmoueret, de quo Philoſtorgij ſcopo in *Prolegomenis*, & *initio lib.6.* Narrat verò, vt ſpecialius id ediſſeram, Dorotheo Epiſc. Antiochiâ pulſo (de quo *lib.9 cap. vlt.*)

vlt.) qui ὁμοιούσιον profitebatur (de quo *lib.*8 *cap.*17) preſbyteros eius duos Aſterium & Criſpinum collecto Antiochiç ſuorum numero, & in his quoque nonnullis vicinarum vrbium Epiſcopis (vbi interim Synodus hæc Antiochena notanda) ad Eunomium & Eunomianos ſcripſiſſe, communionem eorum poſtulantes: Eunomianos verò (qui ἀνόμοιον profitebantur) reſpondiſſe, paratos ſeſe eos recipere ſi interdictum aduerſus Aëtium eiúſque ſcripta reuocarent, non aliter: Intelligebant verò illi Aëtij condemnationem quæ facta fuerat ſub Conſtantio in Synodo Conſtantinopolitana, de qua *ſuprà lib.*5 *cap.*1: &c. (vbi ὅμοιον ſecundum Scripturas Filium pronunciatum fuerat) quæque ſub Iuliano reuocata fuerat decreto in Synodo Antiochena ab Euzoio habita *ſup. lib.*7 *cap.*6: verum decretum executus is non fuerat ſub Valente, *lib.*8 *cap.*3, vt neque Dorotheus, qui ei ſucceſſerat. Et nunc igitur Dorotheo pulſo id vrgent Eunomiani, & ſub ea conditione communionem ſuam Dorothei preſbyteris poſtulantibus promittunt. Addita tamen altera adhuc conditione, vt vitæ ſcilicet purgationem inſtituerent, διαχάθαρσιν ἀπήτουν τοῦ βίου: eò quod contaminati eſſent nonnullis haud puræ conuerſationis actibus, συνεφύοντο γὰρ καί ποτ' οὐ καθαρεῖς διαιτήμασιν: pro quo Nicephorus, καὶ γάρ πως ἔν ποτ' οὐ καθαρεῖς διαιτήμασι προσεπεφύεσαν. verùm addit, Dorothei preſbyteros illos conditionem hanc reſpuiſſe: Imò eos Eunomium diſcerpſiſſe, Eunomianoſque μετεωρολέσχας paſſim vocaſſe, eò quod talia ſibi proponere ſuſtinuiſſent, plenos item ſtultitiâ & peruer-

ſitate. Μετεωρολέσχαι, cùm de perſonis agitur, ſunt apud Suidam, οἱ περὶ οὐρανοῦ φλυαρεσχοῦντες φιλόσοφοι : quæ vox occurrit & apud Platonem & Plutarchum. Certè & aliis cognominibus & ſcommatis Eunomiani perfuſi, de quibus *ſupr.lib.9 cap.3.* Et rationem huius ἐπωνύμου reddidiſſe videtur Philoſtorgius verbis illis quæ mutila exhibet MS. εἰς τὸ κα..ζειν ἐπ' ἐκκλησίας vbi reponam εἰς τὸ καφάζειν, vel καγχάζειν ἐπ' ἐκκλησίαις, id eſt, *vt deridentes eorum Eccleſias* (niſi malimus καχίζειν, quod habet Nicephorus) Nempe ad Eunomianorum Eccleſias alluſêre, eáſque irriſêre & decachinnati ſunt (vt Tertullianus loqueretur) id enim eſt καφάζειν vel καγχάζειν : eadem ratione, quâ Eunomianos eoſdem Euzoius pariter Antiochenus οὐρανοβόσκας vocauit, ſimili videlicet cachinno vel ſarcaſmo, ἐπ' ἐκκλησίας εἰρωνευόμενος *dict.lib.9 cap.3 ſup.* Nempe videntur Eunomianorum Eccleſiæ in abditis locis fuiſſe : vnde per ironiam οὐρανοβόσκαι & ipſi dicti fuerunt, & eorum Eccleſiæ, quaſi *cæli paſcua*, cùm contra terreſtria maximè abditáq; loca eſſent : ſimili igitur ratione & Eunomiani μετεωρολέσχαι dicti, & eorum Eccleſiæ μετεωρολέσχαι, ἀπὸ τοῦ μετεώρου καὶ λέσχαι, quæ loca ſunt in quæ ad ſermocinandum coitur, teſtibus veteribus Scholiaſtis & Gloſſographis. Certè tertium *Troglytarum* ſeu *Troglodytarum* nomen, quod Eunomianis pariter inditum, eòdem omninò pertinet, quaſi in abditis locis agitantium : de quo dixi ad *d. lib.9. cap.3.*

¶AD CAP. II. *De tribus Arÿ hypotheſibus quas Philoſtorgius reprehendit.*

De tri-

De tribus *Arij* hypotheſibus, quas in eo reprehendit Philoſtorgius, vna cum iis quæ definita à Synodo Ariminenſi & Conſtantinopolitana, à qua etiam Aëtius damnatus fuit, eſt hoc caput. Eo fine ſcilicet vt indicet quam diuerſa inter ſe Ariani & Eunomiani ſentirent, de quo fine initjo huius libri. Nempe, etſi Arius ἀρχηγὸς eſſet, quod hic à Photio vt puto dicitur, etiam Eunomianorum (fuit enim hic ſurculus Arij) attamen Eunomius & Eunomiani, nonnullas Arij hypotheſes damnabant, atque adeò & Philoſtorgius ipſe: non quidem, quo ad *Filium* attinet, quo ſanè nomine eum Philoſtorgius ὑπερθειάζει, (vt dicitur *ſup. lib. 2 cap. 3*) verùm, quoad *Dei naturam*: & quidem in tribus. Primò, quòd Arius dixerit, Deum vniuerſorum πολυμερῆ καὶ πολυσύνθετον eſſe: Secundò, quod dixerit, Deum quantus eſt comprehendi non poſſe, verùm in quantum vis cuiúſque ad percipiendum eum ſeſe extendit: de quo iam *ſup. d. lib. 2 cap* 3. Tandem, quod docuerit, Deum neque οὐσίαν neque ὑπόστασιν, neque aliud quidquam quod nominatur, eſſe: Addítque & id ipſum quoque definitum fuiſſe in Synodo Ariminenſi & Conſtantinopolitanâ. Rectè Philoſtorgius: in Ariminenſi quippe Synodo οὐσίας nomen primò rejectum, mox in Conſtantinopolitana, vbi alioquin Ariminenſis fides probata fuit, additum, vt ne ὑποστάσεως quoque nomen de Deo diceretur, vt teſtatur ipſamet Synodi illius confeſſio apud Athanaſium *de Synodis pag. 698*, & ex eâ Athanaſius *pag. 697*, & *epiſt. ad Africanos pag. 719 in fin.*: & apud Socratem *lib. 2 cap. 32 pag. 604*: v. & *cap. 33*: & Sozo-

menus *lib.4 cap.23 in princ.* Et verò hoc eſt quod veteres teſtantur, Ariminenſi fidei in Conſtantinopolitana aliquid additum fuiſſe. Athanaſius *de Synodis*: Socrates & Sôzomenus *dictis locis*. Hæc inquam illa προσθήκη eſt: προσθέντες, inquit Sozomenus, ἐπὶ θεῷ τῷ λοιποῦ οὐσίαν ἢ ὑπόστασιν ὀνομάζειν μηδόλως. Addit Philoſtorgius, Conſtantinopolitanam Synodum definiuiſſe, vnigeniti generationem omnibus incognitiſſimam eſſe, τὴν μονογενοῦς γέννησιν ἀγνωστάτην πᾶσιν. Et verò in Confeſſione fidei Conſtantinopolitanæ id expreſſum: nam vbi dictum, *Filium ſimilem Patri ſecundùm Scripturas*, ſubjicitur immediatè: *cuius generationem nemo nouit niſi ſolus Pater qui illum genuit*: apud Athanaſium *de Synodis pag.697*: Socratem, *lib.2 cap.32 pag.604*. Quæ pia alioquin ſententia eſt: inde Athanaſij illud inter alia *de humana natura pag.468*: γεννηθεὶς ἀῤῥήτως, ἀφράστως, ἀκαταλήπτως. In Synodi quoque Sirmienſis formula, quæ Latinè primùm ab Arianis conſcripta fuerat, ſimilia ſuperioribus omnibus occurrunt, apud Athanaſium *de Synodis pag.695, 696*: & Socratem, *lib.2 cap.25 pag.583*.

¶Ad Cap. III. *De Arianorum in tres ſectas diuiſione.*

De *Arianorum* in tres ſectas diuiſione hoc capite agit Philoſtorgius: nempe, vt id ita opponat iis qui Eunomianis objiciebant, quòd in diuerſas ſectas abiiſſent, & quidem ſub Theodoſio Magno: de quo Socrates peculiari in id *cap.23 lib.5*: & Sozomenus *lib.7 cap.17*. Ait igitur Philoſtorgius, etſi Ariani omnes ὁμοιότητα *ſimilitudinem vnigeniti cum Patre* ex æquo tenerent, contra quam Eunomiani,

miani, qui ἀνόμοιον tuebantur, attamen diuerſimodè hanc ſimilitudinem expreſſiſſe: Quoſdam enim, Filium *ſecundum præſcientiam* ſimilem, ſed ἑκάτερον dixiſſe, καὶ τὸ προγινώσκειν ἑκάτερον ἔφασαν: ἑκάτερον, id eſt, *alterum*, & ſic poſterius extitiſſe: ſcilicet aiebant, Filium, cum natura nullam præter cœteros prærogatiuam haberet, vt pote natura ſua τρεπτὸς (de quo *ſupr. lib. 8 cap.* 3) propter ſingularem tamen curam & exercitationem in malum non inclinantem à Deo idcircò electũ, quod prænouiſſet eum neutiquam hãc prærogatiuam aſpernaturum: προγνώσει καὶ προθεωρίᾳ περὶ αὐτοῦ εἰδότα: καὶ πρόγνωσιν ſeu προγνωστικῶς: de quo Alexander Epiſc. Alexandrinus in epiſt. apud Theodoretum, *lib. 1 cap. 4 pag. 5, 6*: Athanaſius, *diſput. 1 contra Arianos pag.* 124: & formula Arianorum ann. 344 apud eundem Athanaſium, *de Synodis pag. 691 in fin.* & Sirmienſis aduerſus Photinum à Marco Arethuſio ſcripta apud eundem Athanaſium *de Synodis pag.* 693: & Socratem, *lib. 2 cap. 25 pag. 582, b*: vbi tamen ea ſententia ab Arianis damnatur.

Secundam Arianorum (qui ex æquo omnes ſimilem Patri Filium ſtatuebant) ſectam & ſententiam hanc, priori contrariam, memorat Philoſtorgius: nempe, quòd *Filius ſecundum naturam Deus eſſet*, κατὰ τὴν φύσιν θεὸς, non verò ſecundum præſcientiam. Tertiam tandem hanc memorat, ὅτι ἐκ μὴ ὄντων ἑκάτερος αὐτῶν πέφυκε δημιουργεῖν, ἑκάτερος, id eſt, alter (ſeu poſterior) productus ſit ad creandum. Cuius Arianorum ſententiæ, de Filio videlicet ἐξ οὐκ ὄντων generato ſeu creato, innumera apud veteres teſtimonia occurrunt. Inde certè Ariani ἐξουκόντιοι dicti;

teſtis vel Athanaſius *de Synodis pag.698*: & Socrates, *lib.2 cap.35.* De his accipiendus & auctor Chronici Alexandrini, Auſonio & Olybrio coss. ἐπὶ τούτων τῶν ὑπάτων Θεοδόσιος ὁ βασιλεὺς ἔδωκε τὰς ἐκκλησίας τοῖς ὀρθοδόξοις πανταχοῦ ποιήσας σακράν, καὶ δείξας ἐξ αὐτῶν τοὺς λεγομένους ἀριθμοὺς (γρ. Ἀρειανοὺς, vel αἱρετικοὺς) Ἐξωκιονίτας: vbi Interpres neſcio quos Numeros (militares puto vel Palatinos) ſomniat. Meminit horum Ἐξωκιονιτῶν Arianorum idem auctor duobus prætereà locis: Primum *anno Leonis* 10: vbi ait, Leonem acerrimè perſecutum Arianos Exocionitas: διωγμὸν μέγαν ἐποίησε τοῖς τοῦ δόγματος τῶν Ἀρειανῶν Ἐξωκιονιτῶν: Deinde, *anno Leonis* 11, vbi ait, Atalarichum, poſt Theodoricum Romanorum Regem Arianum fuiſſe Exacionitam: ἦν δὲ Ἀρειανὸς τῷ δόγματι, ὅ ἐστιν Ἐξωκιονίτης: vbi Interpres rurſum neſcio quos *henoticonitas* ſuſpicatur. Theophanes quoque & Cedrenus de Iuſtiniano, ὁ βασιλεὺς Ἰουστινιανὸς ἀπέσπασε πάσας τὰς ἐκκλησίας τῶν αἱρετικῶν, καὶ ἐπέδωκεν αὐτοὺς τοῖς ὀρθοδόξοις δίχα τῶν Ἐξωκιονιτῶν Ἀρειανῶν. Theodoriti verò error eſt, qui *hæreticarum fabularum, lib.4, cap.de Arianis & Eunomianis, Exaconitas* dictos prodit à loco in quo ſolebant conuenire. Et ita quidem Philoſtorgius hîc tres diuerſas Arianorum ſententias exprimit. Cuius verba ita emendanda, partim verò & vertenda ſunt: οἱ μὲν γὰρ κατὰ τὸ προγινώσκειν ἑκάτερον ἔφασαν: οἱ δὲ, τὸ τὴν φύσιν θεόν: ἄλλοι δὲ, ὅτι ἐκ μὴ ὄντων ἑκάτερος αὐτὸς πέφυκε δημιουργεῖν. Id eſt, *Quidam enim* [Filium ſcil.] *ſecundum præſcientiam, alterum ſeu poſterius extitiſſe dixerunt: alij verò, ſecundum naturam Deum eſſe: alij denique quod ex non entibus alter ſeu poſterius productus ſit ad creationem.* Has verò tres Aria-

Arianorum in ſpeciem diuerſas ſententias ait Philoſtorgius, etſi differre videantur in vnum tamen conuenire & conſpirare, nempe quod Filium Patri ὁμοιούσιον prædicét. Quomodo & Ambroſius, *de fide* ad Gratianum *lib.1 cap.4* de Eunomio Ario & Aëtio: *Sed quem potiſſimum legam? Eunomiumne, an Arium vel Aëtium eius magiſtros? Plura enim nomina, ſed vna perfidia: impietate non diſſonans, communione diſcordans: non diſſimilis fraude, ſed cogitatione diſcreta: Cur enim ſecum nolint conuenire non intelligo*, &c. De diuerſis alioquin Arianorum ſententiis Epiphanius *hæreſi Semarianorum 73*: Socrates, *lib.5 cap.20,22*: Sozomenus, *lib.7 cap.17*, quas tamen aliter explicant. Epiphanius quoque Arianorum τρία τάγματα ponit, καὶ λέγει τὸ τῶν Ἀρειανῶν σύστημα, ſeu τάξις διῃρέθη, εἰς τρία τάγματα.

Et hæc quidem de diuerſis diuiſiſque Arianorum inter ſe opinionibus & ſententiis, quas Philoſtorgius his exprobrat: Qui & alteram aduerſus eoſdem criminationem ſubjicit: ait ſcilicet, Arianos, poſtquam in varias diuerſáſque ſemel ſententias iuêre, in aliam quoque turpitudinem prolapſos: nam & ſacerdotia apud eos pretio vendita, & corporis voluptatibus eos indulſiſſe. Quod ordinationum nundinationem attinet, iam olim quoque Athanaſius id de Arianis prædicauit, *epiſt. ad Orthodoxos*: & *epiſt. ad Solitariam vitam agentes*: vnde & ſacerdotum ordinationes ab Arianis factas Eunomiani non admisêre, de quo *cap. prox.* De ordinationibus alioquin in genere per pecunias factis, & aduerſus eas, vide quæ Photius noſter *in Nomocanone tit.1. cap.24.* & ibi Balſamo-

nem. Quod corporis voluptates attinet, quibus Philoſtorgius Arianos indulſiſſe ait, ſimùl & exprobrat, id de edendi potandíque vſu & ſimilibus accipiendum : non verò de muliebribus : Nam vt jejunia Eunomiani commendauêre, atque adeò & Philoſtorgius ipſe, de quo in *Prol gom.* ita iidem Eunomiani muliebribus voluptatibus cum maximè indulsêre : de quo *ſupr. lib.*8 *cap.*3 : vbi de Theodoſio Lydiæ Epiſcopo.

¶Ad Cap. IV. *De Eunomianorum ab Arianis auerſatione, & de eorum baptiſmate.*

De *Eunomianorum* ab Arianis auerſatione, eorundémque baptiſmate eſt hoc caput. Ait Philoſtorgius, Eunomianos à prædictis tribus Arianorum hæreſibus ſeſe ſecreuiſſe, id eſt, cum his non communicaſſe, cum his non conueniſſe. Id verò ipſum teſtatur quoque Ambroſius ad Gratianum *de fide lib.*1 *cap.*4 hoc ipſo fermè tempore ſcribens. In tantum verò Eunomianos ab Arianis diſcordaſſe ait Philoſtorgius, vt neque ordinationes neque baptiſma Arianorum admiſerint: ordinationes ſcilicet, quia (quod ſuperiore capite dixit) ſacerdotia pretio apud hos venderentur : Baptiſmum itidem Arianorum non admiſere Eunomiani, quod vtique magnum auerſi cumprimis animi argumentum ſemper extitit, vt & cæteroquin hæreticorum maximorum Baptiſma pro nullo habitum. Sedenim Eunomiani ideò ſpeciatim Arianum baptiſma auerſati, quòd illi non ritu tantùm verum & ſenſu quoque circa baptiſmum plurimùm diſcordarent. Etenim Ariani & repetitam merſionem vſur-

vſurpauere, & in Patre & Filio & Spiritu ſancto, & ſic in Trinitatis myſterium, verbotenus ſaltem, baptiſma celebrauere, teſte Athanaſio, *contra Arianos Orat.3 pag.219*: & ad Serapionem *quod Spiritus ſanctus non ſit creatura pag.367*: & ſic τελείωσις eorum in ſpeciem haud aliter atque apud Catholicos peracta. Contra Eunomiani, qui (quod Philoſtorgius hic ait) non trinâ merſione in Trinitatis videlicet myſterium baptizabant, verùm vnica tantum in mortem Domini: vbi tria iam obſeruanda veniunt. Primò, quòd Eunomiani Arianorum baptiſma non admiſerint. Hinc adeò & Catholicos & Arianos quoque ad ſe accedentes rebaptizabant, quod exertè teſtatur Epiphanius *hæreſi Anomæorum 76 num.vlt.* Sozomenus, *lib. 6 cap.26 pag 391, b, c, d*: vide & *l.58. in princ. & in fin. C. Theod. de hæreticis* (quæ data eſt A. D. 415) & *l.65. dict. tit.* & *l. vlt. eod. Cod. ne ſanctum baptiſma.* Secundò obſeruandum, merſionem, & trinam quidem, in baptiſmo olim legitimam fuiſſe, imò ab Arianis quoque in ſpeciem retentam, ſiue in Trinitatis myſterium, ſiue ad triduanæ Saluatoris ſepulturæ ſimilitudinem: de quo more paſſiua iam obſeruatio eſt. Videndus ſaltem hoc ipſo tempore Baſilius, *de Spiritu ſancto cap.27*: Ambroſius, *de ſacramentis, lib.2 cap.7.* Atenim, quod tertio loco notandum, non ita Eunomiani: hi quippe vnicâ ſeu ſimplâ merſione baptiſma peregêre: quod iuxta Philoſtorgium docet quoque canon Conſtantinopolitanus, qui hoc ipſo tempore conditus, ordine *ſeptimus*: Εὐνομιανοὺς μέντοι τοὺς εἰς μίαν κατάδυσιν βαπτιζομένους, &c. & Sozomenus *lib.6 cap.26*: & *lib.7*

*cap.*17 : & Theodoretus, *lib.* 4 *hæreticarum fabularum*, *cap. de Eunomio & Aëtio:* & Nicephorus, *lib.*12 *cap.*11 *&* 30 *pag.*284. In quibus Sozomenus notat ex multorum ſententia & opinione hanc vnicam merſionem non Eunomio ipſi, verùm diſcipulis eius Theophronio & Eutychio adſcribi. Epiphanius certe, etſi de Eunomio agat, & ritus cuiuſdam ſeu habitus Corporis ab Eunomianis in baptiſmo ſeruati meminerit (puta in caput merſionis, pedibus ſurſum verſis, de quo iam *ſupra lib.*9 *cap.*3) attamen de hac vnicâ Eunomianorum merſione nihil. Vt probabilis proinde eorum ſententia videatur, qui non Eunomio, verùm diſcipulis eius hunc morem adſcribunt. Cæterùm, quod quarto loco notandum, vnicæ huius immerſionis in baptiſmo rationem hanc reddebant Eunomiani, quod etiam Sozomenus ſcribit, *lib.*6 *cap.*26 : & Theodoretus *dict. lib.*4 *cap. de Eunomio* (repetito loco ex epiſt. ad Romanos *cap.*6 *verſ.*3 : v. & *ad Galatas* 3) quod in mortem Domini baptizarentur ſeu baptiſmus conferretur, at enim Dominum nonniſi ſemel mortem pro nobis ſuſtinuiſſe, non bis terve. Baſilius quoque *de Spiritu ſancto* huius ſententiæ meminit *cap.*12 : cuius titulus *πρὸς τοὺς λέγοντας ἐξαρκεῖν καὶ μόνον τὸ εἰς τὸν κύριον βάπτισμα.* Hanc igitur ſimplæ merſionis in baptiſmate rationem reddebant Eunomiani, cùm trinam Catholici iis quas dixi rationibus tuerentur. Et verò hanc rationem, nempe quod in mortem Domini baptiſma celebretur, memorat quoque canon, qui vulgo Apoſtolorum 50, quo Epiſcopi vel presbyteri qui ſimplam merſionem vſurparint ſacerdotali ho-

tali honori ſpoliare jubentur: *Si quis*, inquit, *Epiſcopus aut presbyter non trinam merſionem vnius myſterij celebret, ſed ſemel mergat in baptiſmate, quod dari videtur in Domini morte, deponatur.* Ad quem locum quoque Zonaras & Balſamon videndi, qui tamen turbide hæc explicant. Et vnica tamen quoque merſio poſteà in Hiſpania probata ſuis rationibus à Gregorio M. *Epiſt. ad Leandrum*, *epiſt.* 41: & in Synodo *Toletanâ*, 4. *c.* 5: vide & Valafridum Strabonem, *lib. de rebus Eccleſ. cap.* 26.

¶AD CAP. V. *De Arcadio facto Impér. & Gratiani Imp. cæde*, &c.

De *Arcadio* Imperatore facto, & *Gratiani* cœde, Philoſtorgiíque in Gratianum conuitiis, eſt hoc caput. Quod ait Philoſtorgius, Arcadium Imp. à Theodoſio patre Imperatorem factum valde juuenem (quod certè factum A. D. 383) Item quod ait, non multo poſt (nempe eodem anno 385) Gratianum Imperatorem in Galliis Maximi Tyranni factione cœſum, id omne aliunde notiſſimum eſt. Hîc illud obſerua, quòd τὰς ἄνω Γαλατίας vocat Gallias; *ſuperior Galatiam*, pro Galliâ, ita fermè Græci, vel etiam Galliæ occiduæ eidem Philoſtorgio apud Nicetam *lib.* 5 *theſ. orthod. fid. cap.* 7: apud Socratem μικρὰ Γαλατία, *lib.* 5 *cap.* 24: Sic & ſupra, Galatia olim, nunc Galliæ *lib.* 11 *cap.* 5. Sequuntur Philoſtorgij in Gratianum Imp. calumniæ & conuicia: ait Photius, Philoſtorgium multas calumnias aduerſus Gratianum fingere; in tantum, vt Neroni eum comparet: non alia ratione quàm, vt Photius conjicit, quod Orthodoxus eſſet Gratianus,

non Arianus aut Eunomianus : id quod ſupra quoque Philoſtorgius ſatis indicauit *lib.*8 *cap.*8, cùm notaret, Valentinianum Gratianum filium ad ſuum morem (ritúmque) exercuiſſe : εἰς τὸν ἑαυτοῦ συνήθειαν τρόπον. Eò pertinet & quod ſuprà fingebat de nonnullis à Gratiano punitis ob Valentiniani Iun. fratris inaugurationem *lib. 9 cap.* 16. Hinc iam illa conuitia de quibus *hoc cap.* & inter cætera, Gratiani cum Nerone comparatio. Iniqui ſcilicet in Gratianum fuere hæretici, quibus ipſe Gratianus odium indixerat : ac nominatim Eunomianis, vt docet Socrates, *lib.*5 *cap.*2 : Sozomenus, *lib.*7 *cap.*1 : & ex iis Ioannes Antiochenſis, *in excerptis Valeſianis* : & Suidas, *in voce* Γρατιανός. Neque aliter quoque Gentiles, & in his Zoſimus, *lib.*4 *pag.*760, 761 : & Ammianus Marcellinus, qui & *lib.*31 eum cum Commodo Imp. comparat: quomodo Philoſtorgius hîc eum Neroni æquat. ¶ Cur autem Philoſtorgius Gratianum *Neroni* nominatim comparauit? Nempe ideò, vt mihi videtur, quod ſicut Nero abjectis Reipublicæ curis ad muſicæ agitandíque ſtudium abreptus fuit, ita & Gratianus quoque dicatur, omiſſa Reipub. curâ nihil aliud die noctúque egiſſe, quàm ſpiculis meditari, ſummæque voluptatis diuinæque artis crediddiſſe, ferire deſtinata, vt ſcribit Victor alter.

¶ Ad Cap. VI. *De Exilio Eunomio ab Imp. Theodoſio M. irrogato, & eiuſdem elogium.*

De *exilio*, *Eunomio* à Theodoſio M. irrogato, eſt hoc caput : vbi & Eunomij elogium Philoſtorgius addit: quorum pleraque exſcribit Nicephorus, *lib.*12 *cap.*29, tacito,

tacito, vt alias fermè Philoſtorgij nomine. De ipſo Eunomij exilio videndus & Socrates, *lib.5 cap.20 in princ.* & Sozomenus, *lib.7 cap.17.* ¶Quod verò *cauſam* exilij attinet, ait Philoſtorgius, irrogatum id Eunomio à Theodoſio Magno, quòd reperiſſet is quoſdam è cubiculo ſuo Eunomij doctrinam ſequentes: qua cauſa & hos Palatio expulerit, & Eunomio ſimùl exilium indixerit. Socrátes verò, *lib.5 cap.20*: & Sozomenus, *lib.7 cap.17*, ſpecialiores cauſas has adferunt: nempe, quod Eunomius priuatos conuentus Conſtantinopoli agitaret, quódque libros edidiſſet: item, quod multos (hæc cauſa iam Philoſtorgianæ proxima) in ſententiam ſuam traduceret, καὶ πολλοὺς ἔπειθεν ὁμοίως φρονεῖν, vel, ὡς ταῖς διδασκαλίαις πολλοὺς λυμαινόμενον. ¶Quod *æram* exilij iſtius attinet, referendum id ad A.D. 383 vel 384, vt vel ſeries Philoſtorgianæ narrationis ſuadet: & argumentum quoque in id præbent *lex 12. & 13. Cod. Theod. de hæreticis*, quæ per eos annos datæ ſunt. ¶ *Circumſtantias* alias nunc exilij iſtius, quas Philoſtorgius memorat, expendamus. Prima circumſtantia eſt, quod Eunomius eo tempore cùm in exilium mitteretur, Chalcedone agebat, quod & hinc Nicephorus habet, *lib.12 cap.29*: Nempe enim, Conſtantinopoli paulò ante pulſus Eunomius Chalcedonem conceſſerat, vbi eum agros habuiſſe ſuprà docuit idem Philoſtorgius, *lib.9 cap.4 & 5*: Socrates & Sozomenus, & ex iis Nicephorus aiunt, eum Conſtantinopoli tum moratum, ἐν προαστείοις διατρίβοντα.

Secunda circunſtantia eſt de *loco* exilij Eunomij:

Nempe ait Philoſtorgius, Eunomium Halmyrida in exilium pulſum: eúmque Myſiæ ad Iſtrum locum fuiſſe: quod etiam hinc habet Nicephorus, *lib.12 cap.29.* Apud Plinium certe, *lib.4 cap.12*, Halmyris lacus memoratur, qui ex primo Iſtri fluminis ſeu Danubij alueo Peuce ſupra Iſtropolim gignitur: Illud verò ipſum eſt, quod Itinerarium Antonini *Salmoruden* (quomodo id hodie expreſſum) vocat, locátque in Scythia, inter Nouiodunum, *Iſtropolim & Tomos.* Forte etiam quæ hoc ipſo ſitu in Itinerario Peutingeriano *Salſouia*, pro *Halmyria.* Hanc verò Halmyriden hoc tempore à Barbaris captam ait Philoſtorgius, qui congelato Iſtro tranſcenderant. Quod ego accipiam de Grothungis: de quibus vide Zoſimum, *lib.4 pag.762*: Idacium Chronico, & in *Conſularium*: & Marcellinum *Chronic.* vel forte etiam de Barbaris illis, qui circa *Tomos* nominatim locati erant: de quorum motibus, & Gerontij aduerſus eos factis, idem Zoſimus *dict.pag.764.* Et hæc de primo iſto nunc Eunomij exilio. Quid deinceps ſecutum narrat idem Philoſtorgius.

Primò ait, Eunomium capta Halmyrida Cæſaream Cappadociæ fugatum, ibíque Cæſarienſium odium incurriſſe, quod contra Baſilium ſcripſiſſet, quod & ipſum hinc habet Nicephorus *lib.12 cap.29*: de Eunomij certe libris aduerſus Baſilium iam *ſuprà lib.8 cap.12.* Iſta verò narratione Philoſtorgius genuinum in Baſilium figit.

Secundo ait (quod & Nicephorus habet) Eunomium Cæſarea Cappadociæ in proprios agros, qui Dacoroëni voca-

vocabantur fugatum : de quibus agris rurſùm *lib.11 cap.5.* Cappadociæ verò & ipſi Dacoroëni agri hi fuêre, vt ex collatione quoq; huius loci cum altero *lib.6 cap.3 in fin.* colligitur, vbi vide nonnulla quæ ibi dixi. Et verò nominatim id tradit Sozomenus, *lib 7 cap.17*, qui & ſitum eius ad montem Argæum ponit : Καὶ μὴν δὴ αὕτη Καππαδόκων Δακόρα, κώμη δὲ ὀνομαζομένη νομοῦ τῆς πρὸς τῷ Ἀργαίῳ Καισαρείας: Nempe ait, *Dacoram in Cappadocia fuiſſe in regione Cæſareæ Cappadociæ ad Argæum ſitæ.* Quod etiam ex Sozomeno habet Nicephorus *dict.lib.12 cap.39 :* qui alioquin Philoſtorgium hîc exſcribit. Ibidem, verò, Dacoræ inquam, non multò poſt mortuus Eunomius, de quo *inf.cap.5 lib.11.* Ergo in proprios agros fugatus Eunomius: quomodo certè Theodoſius M. A.D. 383 Eunomianorum quoque profeſſores ac miniſtros perquiſitos ab omnibus vrbibus ac locis expelli à cœtibus, *& ad proprias vnde oriundi erant terras redire iuſſit, ne quis eorum aut commeandi ad quælibet alia loca, aut emigrandi ad vrbes haberet poteſtatem*, *l.12. Cod.Th. de hæreticis.* Quod huic loco apprime conuenit.

¶ Et hæc de Eunomij exilio, & per occaſionem de patria Eunomij. Subjicit verò Philoſtorgius hac eadem occaſione, tria ad Eunomij commendationem. Primò narrat, ſeſe Conſtantinopolim proficiſcentem hoc tempore Eunomium Dacoræ in Cappadocia vidiſſe, cùm viceſimum ætatis annum ageret; quod vtique congruit Anno Domini 388 : vt ex iis quæ dicta ſunt *ſupr. cap.9* intelligi poteſt, & de quo in *Prolegomenis* plenius. De ſua interim Conſtantinopoli mora iam *ſupra*

*lib.*3 *cap.*11. Secundo Eunomium elogio proſequitur, quod exſcribit Nicephorus *dict.lib.*12 *cap* 29(authore iam ſuo Philoſtorgio, τῆς ἐκκλησιαστικῆς, hîc laudato, quem & σαφῶς φιλομαθεῖν ait) quo eum ὑπερθειάζει, id eſt, diuinis laudibus effert; inter hæc quoque characterem corporis ipſius exhibeas. Et initio quidem, prudentiam & virtutem eius incomparabilem ἀπαράβλητον (pro quo Nicephorus ἀπαράμιλλον) effert: mox & perſonæ eius formam membráque venuſtatis plena deprædicat: & quæ deinceps ſequuntur. *Libros* tandem eius ἀποθειάζει: de quibus ſuprà iam quoque *lib.*8 *cap.*12, & *infrà lib.*11 *cap.*5. Cœteris verò omnibus præfert eius epiſtolas, διαφέρειν τῶν ἄλλων ἔτι μᾶλλον λέγει τὰς ἐπιστολάς. Quod quidem Photius velut ex Philoſtorgij ſenſu, ac non & ſuo, excerpendo refert. Ille enim iam aliud de his (quas ad quadraginta legiſſe ſeſe ait) iudicium fert, *in Bibliotheca num.*138 *in fin.* Ait enim, Eunomium in Epiſtolis eundem dicendi characterem affectaſſe, quem in aliis: in vniuerſum verò, Epiſtolarum characterem legémq; nunquam audiuiſſe, neque in iis ſeſe exercuiſſe, verùm ludibrio ſeſe expoſuiſſe, εἰς τὸ στηλιτευθῆναι διέπεσεν.

¶Ad Cap. VII. *De Placidiæ morte, & de Galla altera vxore à Theodoſio ducta.*

De *Placidiæ* Theodoſij Imp. vxoris morte, alteráque coniuge *Gallâ* ab eo ducta, concinentia aliis ſcribit hoc capite Philoſtorgius: *Placidiam* porrò vocat, quæ aliis reuerà *Placilla* vel *Flaccilla.* *Gallam* verò alteram vxorem Theodoſij rectè facit cum aliis: in quibus & Zoſimus,

*lib.*4 *pag.* 768, 769: quam auctor Chronici Alexandrini perperam primam facit A. D. 385. *Arianam* verò eam facit Philoſtorgius (quod alibi non reperio) Certe nata ea Valentiniano ex Iuſtina (quod hic quoque dicitur) quæ Ariana erat, quod aliunde notum eſt. Atenim Flaccilla orthodoxa fuit; quod ſcribit etiam auctor Chronici Alexandrini.

¶AD CAP. VIII. *De Theodoſii M. aduerſus Maximum expeditione*, &c.

De *Theodoſii* M. aduerſus Maximum Tyrannum expeditione, Theodoſiíque victoriâ, & Tyranni nece eſt hoc caput. In quibus narrandis conſcientia fermè cum cæteris ſcribit, cum Socrate videlicet, *lib.*5 *cap.*12: Theodoreto, *lib* 5 *cap.*12: Sozomeno, *lib.*7 *cap.*13 Singularia tantum quædam in hac narratione ſectemur.

Primò ait, Theodoſium Theſſalonicæ conſtitutum cum Valentiniano Iun. expeditionem illam mouiſſe: cum Valentiniano, inquam, qui eò profectus fuerat, quod eius Imperio quoque Maximus inhiaret: quod Zoſimus quoque ſcribit, *lib.* 4 *pag.* 766, 767: Socrates, *lib.*5 *cap.*11 *in fin.* Theodoretus, *lib.*5 *cap.*12: Sozomenus, *lib.*7 *cap.*13 *in fin.* De hac verò Theſſalonicæ morâ fidem quoque faciunt ann. 388 menſe Martio & April. conſtitutiones nonnullæ.

Secundò ait, Theodoſium & Valentinianum miſiſſe aduerſus Maximum quatuor Duces ſeu Magiſtros militum, Timaſium videlicet, Richomerem, Promotum & Arbogaſtem: De Timaſio & Promoto conſentit Zoſi-

mus,*lib.*4 *pag.*769: vt & de Arbogaſte,qui aduerſus filium Maximi miſſus fuit, *pag.*770: At de Richomere nihil in hac hiſtoria, de quo ipſo alioquin, & quidem mox, idem Zoſimus,*lib.*4 *pag.*775,776: aliíque,etiam Libanius, *de vita ſua pag.*67.

Tertiò ait, Maximum quinque annis Tyrannidem tenuiſſe, quod etiam Pacatus *in Panegyrico ad Theodoſium* teſtatur *cap.*24. Rectè: Maximus enim imperium obtinuit A. D. 383 cæſo Gratiano 8.Kal.Septemb. cæſus autem Maximus A.D.388,5.Kalen.Auguſti,vel,vt alij referunt, 5.Kal.Septemb.

¶AD CAP. IX. *De Theodoſii M. Romam aduentu,*&c.

De Theodoſij M. poſt deuictum Maximum Tyrannum *Romam aduentu*: déque Aſtro quodam Xiphoeide portentoſo tùm viſo eſt hoc caput: Quod quidem exſcribit Nicephorus, *lib.*11,*cap.*37,*pag.*306,307. Quod prius attiect,de Theodoſij M. inquam,Romam aduentu poſt victoriam de Maximo, id verum eſt: de quo & fidem faciunt Pacatus, *ſub finem Panegyrici*: Claudianus, *in 6. conſulatum Honorij*: Prudentius,*lib.*1 *aduerſ.Symmachum*: Socrates,*lib.*5 *cap.*14: Sozomenus, *lib.*7. *cap.*14. Marcellinus, Idacius *in Chronicis*; & Chronici Alexandrini auctor.Imò & de hac quoque Theodoſij tum Romæ mora fidem faciunt aliquot conſtitutiones Codicis Theodoſiani A.D. 389, Timaſio & Promoto Coss. per menſem Iunium (quo ſcilicet Theodoſius Romam introiuit, teſte Marcellino, *in Chronico*, & Idacianis Faſtis) Iuliúmque & Auguſtum: puta *lex* 18.*de hæreticis*: *l.*25.*de operibus publicis*: *l.*49. *de appel*

de appellationibus : lex 9. de annonis ciuicis : lex 2. de feriis : l. vn. de mancipibus : lex 11 de maleficis : l. 5. 6. de ſuariis : l. 5. de aquæductu. Quod poſterius verò attinet, de Aſtro μαχαιροφόρῳ, ſeu, vt Nicephorus potius vocandum cenſet, Xiphocide, tùm viſo (de quo & duobus præterea locis idem Philoſtorgius agit, *infrà cap.* 11 : & *lib.* 11 *cap.* 7) temporis characteriſmum hunc apponit : nempe, viſum id Theodoſio Imp. Roma digreſſuro, ἐξελαύνειν αὐτῆς μέλλοντος τοῦ βασιλέως : Hinc igitur menſe Auguſto viſum id ſtatuere licet. Quod annum certe attinet, clarum quoque id ex Marcellini Chronico : qui id ad eoſdem COSS. Timaſium & Promotum refert, pariter vt Faſti Idaciani & Chronicon Alexandrinum. Malè Proſper Aquitanicus id refert ad A. D. 391 (qui nobis 390) Et hæc de temporis ratione. Quod ipſum aſtrum attinet, ortum eius, ſpeciem, motum, finémque accuratè deſcribit Philoſtorgius (& ex eo Nicephorus) qui & Interpretationem eius addit : ait ſcilicet, aſtrum iſtud magnorum malorum orbi præſagium fuiſſe ; quod & ipſum inculcat, *lib.* 11 *cap.* 7. Duraſſe tandem aſtrum iſtud ait, quadraginta dies. Atenim Marcellinus, *Chronico*, ſcribit, viceſimo ſexto die id diſparuiſſe. Proſper verò, per triginta dies apparuiſſe. Quo quidem, vt & aliis compluribus ſimilibus hoc opere obſeruationibus & interpretationibus, Philoſtorgius ſeſe Aſtrologiæ operatum fuiſſe oſtendit : de quo *in Prolegomenis.* ¶ His verò ſubjicit idem, & alia multa paradoxa & prodigia eodem tempore viſa fuiſſe : Marcellinus certe Chronico quoque ait, grandinem per id

tempus crepitantem per continuum biduum pro pluuia cecidiſſe, pecorúmque arborúmque perniciem extitiſſe.

¶Ad Cap. X. *de Philoſtorgij ſcriptis aduerſus Porphyrium.*

Aduerſus *Porphyrium* ſe quoque pro Chriſtianis ſcripſiſſe Philoſtorgius indicat *hoc cap.* Ἀγῶνας ſcilicet καταθέσθαι eſt opera edere, labores procudere. Quod ſi ita eſt, quartus hic iam ſcriptor addatur ad tres alios qui antea aduerſus Porphyrium ſcripsêre, Methodium, Euſebium, Apollinarium, de quibus *lib.* 8 *cap.* 14 *ſupra.* His adde & eos qui ſcriptis ſuis ſparſim datis occaſionibus Porphyrium refellunt, veluti Hieronymum, Auguſtinum, Cyrillum. Ac vt de Porphyrio, Porphyriíque ſcriptis nonnulla adhuc addam, narrat apud Socratem *lib.* 6 *cap.* 6, Conſtantinus, ſe imperante iam impia Porphyrij ſcripta ἀφανισθῆναι abolita. Imò & illud adde, quod eadem epiſtola idem memorat, & Athanaſius *epiſt. ad Solitar. vit. ag.* & Theodoſius Iun. quoque refert *l. vlt. Cod. Theod. de hæreticis*, Arianos à Conſtantino ob impietatis ſimilitudinem Porphyrianis æquatos, Porphyrianóſque nuncupatos. Cuius comparationis nominíſque Arianis tributi hæc mihi ratio videtur, quod, ſicut Porphyrius libris ſuis 15 Chriſtianam religionem bello potiſſimùm ſacris Scripturis indicto eas impetiiſſet (in eo enim præcipuus Porphyrij labor verſatus, vt ſacræ Scripturæ auctoritatem, Chriſtianæ religionis fundamentum, labefactaret, euerteret) verbáque captaſſet, ita & Ariani quoque, qui

& ipſi

& ipſi impiiſſimè ſacrarum Scripturarum auctoritatem, ſophiſticè verò vim ſenſúmq;, λέξεων θηρηταί, λεξιθηρευῶντες ſcriptis ſuis meris λογομαχίαις, eludebant: de quo non vno loco Athanaſius: & inter alios de Ario Epiphanius *hæreſi 69. num. 27.* In ipſa certe Conſtantini epiſtola hæc ratio in genere redditur: ἵν' ὧν τοὺς τρόπους μεμίμηνται, τούτων ἔχωσι καὶ τὴν προσηγορίαν. A nonnemine hæc comparationis nominíſque à Conſtantino Arianis tributi ratio redditur: nempe, illud Imperatori propoſitum fuiſſe, vt publico edicto eandem probroſi nominis infamiam Ario eiúſque ſectatoribus inureret, quâ Porphyrium flagrare videbat, & vt pari exemplo, quo Porphyrij libros extinxerat, impia eorum ſcripta ſupprimeret. Quod minus ſatisfacit: exertè enim ob morum conuenientiam id nominis Arianis tributum in ipſa epiſtolâ dicitur.

¶Ad Cap. XI. *De Portentis aliis hoc tempore viſis, &c.*

Sicuti de *Portentis* ſeu *Prodigiis* τέρασι aliis paſſim in hiſtoriâ ſuâ Philoſtorgium egiſſe obſeruat Photius huius *capitis fine*, cui rei fidem fecit quoque *cap. 9. ſup.* ita & duo nunc hoc capite narrat, quæ eodem tempore quo aſtrum Xiphoeides, de quo *dict. cap. 9.* ſub Theodoſio M. viſa fuerunt, & quidem poſt victoriam de Maximo Tyranno, Theodoſiiq; Romam aduentum: Quod quidem caput etiam exſcribit fermè Nicephorus *lib. 13 cap. 17 pag.* 307, 308, in nonnullis contractius. Duos igitur homines natos narrat; quorum vnus in Syriâ, ingenti magnitudine naturam humanam excedente, quinque cubitorum,

palmo etiam addito fuerit, pedibus tamen non correſpondentibus ad tantam proceritatem, & intortis etiam varíſque: huic verò nomen fuiſſe *Antonio*, vixiſſéque eum ad vigintiquinque annos vſque: Alter verò tantâ breuitate fuerit, vt perdice minor eſſet; & vt Philoſtorgius rhetoricatur, ὥς τι μηδ' ἀχαρίστους τοὺς ἐν τοῖς κλωβοῖς πέρδικας ἐκμιμεῖσθαι, καὶ συναθύρειν αὐτῷ ἦν ἐκείνους: pro quo Nicephorus, ὡς παραπλήσιον εἶναι πέρδιξι, καὶ μηδ' ἀχάριστον ἐν κλωβῷ τὴν ἐκείνου εἶναι προσομιλίαν, πρὸς ἔριν κινούμενος καὶ συναθύρων ἐκείνῳ. Addítque Philoſtorgius, quod παραδοξότερον, homini iſti quamlibet breuiſſimo, judicium incorruptum fuiſſe; ὅτι καὶ φρόνησις ἦν αὐτῷ ἀθεράπευτος οὐδὲν ὑπὸ τῆς βραχύτητος καταβλαπτομένη: item, neque voce neque ſermonibus rudem fuiſſe: tandem, hunc haud multo minus quam ſuperiorem vixiſſe. Quod vocem κλωβοῖς attinet, putet quis reponendum κλοιοῖς, id eſt, vinculis, vel κλυβοῖς: quomodo κλυβάτις herba, quæ *perdicium* vocatur. Verum, quòd etiam Nicephorus oſtendit, reponendum hîc κλωβοῖς. Epigramma vetus apud Suidam, habet, κλωβοὺς ἀμφιρρῶγας caueas auium, circum vndiquaque ruptas. Interpreti verò Nicephori hic aqua hæſit, cum *globum*, hominum ſcilicet, interpretatus eſt, aliúmq; prorſus & alienum huic loco ſenſum affinxit: ita ſcilicet: Neque ingratum ſpectaculum erat, ſi cum illo in globo (hominum ſcilicet) conuerſaretur, & ad contentionem excitatus colluderet. Verùm neque Nicephorus ipſe Philoſtorgium ſatis expreſſiſſe videtur.

¶ AD

¶Ad Cap. XII. *De Ieiunij lege quarta & ſexta feria: déque Eudoxio quodam ieiunatore.*

De *Ieiunij* lege, quæ quarta Feriâ & in Paraſceue obſeruabatur, déque Eudoxio quodam inſigni jejunatore, eſt hoc caput, ſui fine mutilum. Ait Philoſtorgius, Quartæ feriæ & paraſceues jejunium non in ſola carnium abſtinentia conſiſtere, verùm κανονίζεσθαι, canone definitum, ſeu κατὰ διάταξιν eſſe, vt ne quid alimenti omninò ad veſperam vſque ſumatur. De ſemijejunio in veteri Eccleſiâ ſtatis ſeu ſolemnibus duobus ſeptimanæ diebus, quarta videlicet feria & paraſceue, id eſt, Mercurij & Veneris diebus, quibus ad veſperam, id eſt, ad nonam vſque jejunabatur, paſſiua iam obſeruatio eſt: de quo Ignatius *ad Philippenſes*, Clemens Alexandr. agens περὶ τοῦ ἀληθῶς γνωστικοῦ, Tertullianus, *de ieiunio, cap.* 2, 10, 14: Epiphanius, *hæreſi Arianorum* 75, *num.* 3: & *Compendio doctrinæ Chriſtianæ*: Prudentius, *in agone Fructuoſi*: Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, *epiſt. ad Caſulanum*: Cyrillus Alexandrinus, *fine libri* 10 *in Leuiticum*: Petrus Alexandrinus *cap.* 15: Canon qui vulgo Apoſtolorum 69: Socrates, *lib.* 5 *cap.* 21 *pag.* 697: & *lib.* 7 *cap.* 22: aliíque plures & poſteriores: Quibus deinceps addatur & hic Philoſtorgij locus. Iejunium porrò iſtud, initio quidem non ſub lege præcepti erat, ſeu κατὰ διάταξιν, verùm ex arbitrio & poteſtate munus iſtud obibatur, vt apud Tertullianum *de ieiunio cap.* 2. Catholici aiunt: Etſi authoritatem eius Epiphanius, *in expoſitione fidei, num.* 22, ad Apoſtolos referat (quod tamen Socrates negat, *lib.* 5 *cap.* 21) Et Petrus Alexandri-

nus ſecundum traditionem præceptum id refert. A paſſiuitate ſcilicet ad neceſſitatem res hæc traducta : vnde & Philoſtorgius quoque κανονίζεσθαι ait : & mox rurſum κατὰ διάταξιν : Nempe generalem Eccleſiæ Chriſtianæ obſeruantiam indicans verbis κανονίζεσθαι & διατάξεως : Cùm alioquin alia jejunia pro locorum diuerſitate vel pro arbitrio cuiúſque variarent : veluti jejunium Sabbathi Romæ , & ſi quibus aliis in locis , teſte Auguſtino, refragantibus quamlibet aliis. Alioquin , quod Auguſtinus dixit, *epiſt.86*, quibus diebus non oporteat jejunare , & quibus oporteat , PRÆCEPTO Domini vel Apoſtolorum non inuenitur definitum. Idémque *epiſt.* 118 , *in rebus huiuſmodi quidquam negant eſſe vel Scripturæ ſanctæ auctoritate definitum, vel vniuerſæ Eccleſiæ traditione determinatum.* Vnde & ab Apollonio reprehenditur Montanus,velut ὁ νηστείας νομοθετήσας, referente Euſebio *lib.* 5 *cap.*17. Et Socrates exerte, *lib.*5 *cap.*21, καὶ ἐπειδὴ οὐδεὶς περὶ τούτου ἔγγραφον ἔχει δεῖξαι παράγγελμα, δῆλον ὡς καὶ περὶ τούτου τῇ ἑκάστου γνώμῃ καὶ προαιρέσει ἐπέτρεψαν οἱ Ἀπόστολοι, ἵνα ἕκαστος μὴ φόβῳ μηδὲ ἐξ ἀνάγκης τὸ ἀγαθὸν κατεργάζοιτο. Et hæc de ipſomet quartæ feriæ & paraſceues jejunio. ¶Quod temporis rationem modúmque attinet , jejunatum iis diebus ad veſperam vſque μέχρι τῆς ἑσπέρας teſtatur hîc Philoſtorgius , id eſt ad horam nonam vſque , ſeu ſupremam diei, eóque vſque jejunia iſta producta : teſtis quoque Tertullianus *dict.cap.*2 , quem vide & *cap.*10, Epiphanius & Prudentius *dictis locis* : & Socrat. *lib.*5 *cap.*21 : & *lib.*5 *c.*22 : vnde & ſemijejunia dicta : de quibus iam *in Tertull. libros ad Nationes.*

¶Nunc

¶ Nunc de *forma* jejunii iſtius, quod hîc præcipuum. Ait igitur Philoſtorgius, jejunium iſtud quartæ feriæ & paraſceues non in ſola carnium abſtinentia, & ſic non in ciborum delectu & eduliorum exceptione, quod *portionale* jejunium eſt, vt loquitur Tertullianus, conſiſtere, quomodo alioquin jejunia alia nonnulla à multis ſponte vel in commune ab vniuerſa Eccleſia in vſu ſiccorum, ſeu ξηροφαγίᾳ carniúmque abſtinentia tranſacta, verùm vt ne quid omninò cibi capiatur. Quædam certe jejunia, in Xerophagiis tantùm conſiſtebant : ſed & Quadrageſimale quoque jejunium variè obſeruatum, apud nonnullos carnis & vini abſtinentia : videndus, præter Socratem, *dict. loco*: Theophilus Alexandrinus, *lib. 3 Paſchal.* Gregorius Nyſſenus *Orat. de amandis pauperibus*: Atenim jejunium quartæ feriæ & paraſceues in totali abſtinentia, non portionali jejunio ſine exceptione eduliorum conſtare vult Philoſtorgius. Quod verum puto in veteri Eccleſia : quandoquidem hæc ſemijejunia tantum erant paucarum horarum, & vnius atque alterius diei, ídque interuallati : non vt in Paſchali vel Quadrageſimali, vbi plures dies & continui jejuniis tranſacti. Et Balſamo tamen quoque jejunium quartæ & ſextæ feriæ de ξηροφαγίας tantum lege interpretatur *ad dict. canonem 69*: *καὶ ἐν ταύταις γὰρ παρομοίως τῇ ἁγίᾳ τεσσαρακοστῇ ξηροφαγεῖν ὡρίσθημεν.* Et ita proculdubio Photij & Balſamonis æuo obſeruatum : quæ cauſa eſt cur Photius iſtud ex Philoſtorgio excerpere, atque adeò notare voluerit. De jejunio hoc alioquin quartæ ſextæque feriæ in Occidente

eodem tempore quo Photius viuebat, Rhabanus Maurus, *lib.2 cap.18, de inſtitut. clericor.* & *canon* 34 Moguntinus, vbi à carne abſtineri iubetur. Et hæc quidem de quartæ ſextæque feriæ ſemijejuniorum lege formáque.

Subjicit his Philoſtorgius exemplum ὑπερασκητοῦ jejunatoris cuiuſdam ſummi, exemplum, cui *Eudoxio* nomen erat, quíque Philoſtorgij συναιρεσιώτης erat, de Arij ſcilicet Eunomiíque grege: denique qui presbyter erat: Qui forte Eudoxius ille eſt, de quo *infr. lib. 12 cap. 9*, qui Eunomianæ ſynagogæ præfuit Conſtantinopoli ſub Theodoſio iun. cuiúſque ſucceſſor fuit Lucianus. Hunc verò Eudoxium ait, non modò per dies memoriam Dominicæ paſſionis præferentes iuxta præceptum κατὰ διάταξιν jejunaſſe, verùm etiam reliquo omni tempore idem jejunium obſeruaſſe, ſi benè capio Philoſtorgii mentem, cuius verba hîc intercidiſſe dolendum eſt. Sic & Epiphanius, *in expoſitione fidei, num. 22.* pietati ſtudentes, ἀσκηταὶ διὰ παντὸς, ſolis Dominicis & Pentecoſtes diebus exceptis, jejunia ſibi indicere ſcribit. Porrò per dies *memoriam Dominicæ paſſionis præferentes*, quibúſque jejunium præceptum erat, clarè intelligit Philoſtorgius dies quartæ ſextæque feriæ, τῆς τετράδος καὶ τῆς παρασκευῆς, de quibus ſuprà: Inde enim ſemijejuniorum per eos dies inducendi obſeruandíque ratio: nempe quod hi memoriam Dominicæ paſſionis præferrent, & vt hic dicitur, διὰ μνήμην τοῦ Κυριακοῦ πάθους. In conſtitutionibus certe quoque quæ Apoſtolicæ inſcribuntur, *lib. 7 cap. 24*, causa cur τετράδι, id eſt, quarta feria jejunandum ſit, hæc redditur,

quòd

quòd *in eâ contra Dominum iudicium prodiit, cùm Iudas promiſit pecunia accepta eum tradere* : quibus conſentit & Petrus Alexandrinus, *canone* 15 : Epiphanij pariter, *in expoſitione fidei, num.* 22. ratio eſt, quod Saluator noſter quarta feriâ comprehenſus fuerit. De paraſceue ſeu προσαββάτῳ & feria ſexta nullum dubium, quin eo jejunium obſeruatum, quod eo die pro nobis Saluator noſter paſſus in crucem ſublatus eſt, vt diſertè Epiphanius, *dicto loco*: vide & Petrum Alexandrinum, & prædictas conſtitutiones, *cap.* 24. Sozomenus quoque, in eodem cum Philoſtorgio argumento verſans, *lib.* 7 *cap.* 19 : ἐν τῇ ἡμέρᾳ προσαββάτου, ἐπεὶ εὐλαβῶς ἄγαν ὁ λαὸς νηστεύει ἐπὶ ἀναμνήσει τοῦ σωτηρίου πάθους. Et hæc quidem vera ænigmata fuerunt iſtorum jejuniorum. ¶Cur autem in hunc de jejunii lege, déque Eudoxio ſummo jejunatore ſermonem Philoſtorgius hoc loco ſub Theodoſio M. ingreſſus eſt? Eadem videlicet occaſione, quâ hoc ipſo tempore, immediatè ante narrationem de cœde Valentiniani Iun. ſcriptores alii Eccleſiaſtici, Socrates, *lib.* 5 *cap.* 21 : & Sozomenus, *dict. cap.* 19. *lib.* 7, varios Eccleſiarum ritus, & quidem circa jejunii functionem & obſeruantiam memorant, Nouatianorum occaſione, qui hoc tempore in Nouatianos & Sabbatianos receſſerunt, vt iidem teſtantur : à Sabbatio qui Iudaico more & tempore Paſcha celebrabant, αὐτὸς κατ' ἑαυτὸν προλαμβάνων ἐνήστευε, ait Socrates, φθάνων ὡς ἔθος ἐνήστευε, ait Sozomenus. Sed & νηστευτικὸν iſtum Eudoxium Philoſtorgius opponere voluit illis, & monachis quidem quos partium ſuarum memorant, & tanquam νηστευτικοὺς

cœteri ſcriptores commendant. ¶ Illud intereà hinc diſcimus, Philoſtorgium jejuniorum obſeruationi fauiſſe: cùm alioquin Epiphanius ſcribat, *hæreſi Anomæorum 76, num.4*, Anomœis nullam jejuniorum rationem ſeu curam fuiſſe.

Lacunam quæ hîc occurrit fine capitis quod attinet, eſt ea biennii integri, à Theodoſii magni videlicet Romam aduentu, mox & eâ diſceſſu A.D. 389, ad Valentiniani Iun. cœdem vſque: cuius hiſtoriæ pars aliqua ſupereſt, quam in librum vndecimum conjecimus: Hoc ſcilicet ſpatio, proculdubio libri decimi finis, & initium vndecimi continebatur: Quo etiam ſpatio de *Eunomij morte* Philoſtorgium egiſſe neceſſe eſt: quandoquidem de extremo eius exilio ſeceſſúque in proprios agros A.D. 388 ſuprà egit, *libro hoc ipſo cap.6*: Libro verò proximo *cap.5* circa A.D. 396 de cadauere eius ex Cæſarii PP. præcepto Tyanam tranſlato: præſertim cùm Sozomenus dicat, *lib.7 cap.17*, Eunomium haud multo poſt exilium tempore deceſſiſſe.

IN LI-

IN LIBRVM VNDECIMVM.

¶Ad Cap. I. *De Valentiniani Iun. cæde.*

DE *Valentiniani* Iun. cœde, quæ congruit anno Domini 392, eſt hoc caput, ſui initio mutilum, quod Nicephorus exſcripſit, tacito, vt aliàs fermè, Philoſtorgij nomine, *lib.* 12 *cap.* 38 : vbi cùm Philoſtorgius conſentientia ferè cœteris ſcriptoribus narret, Zoſimo, inquam, *lib.* 4 *pag.* 774, &c. Rufino, *lib.* 2 *cap.* 31 : Socrate, *lib.* 5 *cap.* 24 : Theodoreto, *lib.* 5 *cap.* 24 : Sozomeno, *lib.* 7 *cap.* 22, plura tamen adhuc ſingularia habet, & quidem de hoc Valentiniano Iun. Imperatore : quibus inſiſtere iuuat. Primò ait, Valentinianum Iun. venationi ferarúmque ludis & muneribus, quibus leones & vrſi exhibentur, maximoperè delectatum ; in tantum, vt eundem vitæ, Imperii & ludorum iſtorum numerum ſubducat, αὐτὸ (f. αὐτὸς) δὲ τοῦ ζῆν καὶ τῆς ἀρχῆς, καὶ τὸν ἐπὶ τοῖς θηρείοις ἄθλων εἰκοσὸν ἐπὶ ἡλικίαις δευτέρου ἔτος ἀπεφθάρη. Id verò ei exprobratum aliquando, verùm ab eodem emendatum, ſcribit Ambroſius, *Oratione in eius funere : Ferebatur primò ludis Circenſibus delectari : ſic iſtud abſterſit, vt ne ſolemnibus quidem Principum natalibus vel Imperialis honoris gratia ; Circenſes putaret eſſe celebrandos. Aiebant aliqui ferarum eum venationibus occupari, atque*

ab actibus publicis intentionem eius abduci, omnes feras vno momento iuſſit interfici.

Secundo loco *Aetatis* eius & *Imperij* annos computat: Nempe dicere videtur Philoſtorgius Valentinianum Iun. viceſimo & ætatis & Imperij anno cœſum: quod etiam Nicephorus hinc proculdubio habet *lib.*12 *cap.*38 *in fin.* In quo vtroque peccat. Nam quoad annos Imperij attinet, Ambroſius *Oratione de eius obitu pag.* 12, Ioſiæ exemplo, octodecim tantum computat. *Metuo ne & tu nobis aliquâ offenſione ſis raptus, vt octauodecimo regni tui anno imminentis mali acerbitatem quaſi iuſtus euaderes.* Recte, tot enim ſunt conſulatus ab A.D.375, quo Imp. factus eſt (de quo *ſup.lib.*9 *cap.*16) ad annum 392, quo interfectus eſt, non quidem quod anni octodecim ſint abſoluti, verùm quia totidem ſunt Conſulatus, ac proinde totidem Imperii anni. Quare non erat quod Baronius mendum irrepſiſſe putaret apud Ambroſium in *ann.*392, *num.*9. Quod ætatis annos attinet, quadrimum fuiſſe ſupra dixit *lib.*9 *cap.*16, cum Imperator factus fuit A.D.375: quare natus fuerit anno 371 vel 372. Certe Hieronymus quoque *epiſt. de exitu Nepotiani*, Valentinianum *adoleſcentem adhuc & penè puerum occiſum eſſe* memorat.

Tertiò ait Philoſtorgius, & ex eo Nicephorus, *d.lib.*12 *cap.*38, Valentinianum iun. iræ immodicæ fuiſſe, id quod vel maximè ei mortem arceſſiuerit. Id verò à nemine prætereà Valentiniano objectatum: imò neque ipſemet Ambroſius id inter delicta iuuentutis eius, quæ alioquin narrat, memorat. Et verò quod Philoſtorgius mox ſub-

ſubjicit iuſtæ indignationis potius fuit quam iræ immodicæ, quæ culpari poſſit.

Quartò memorat iam cauſas reconditæ vindictæ in animo Arbogaſtis, atque adeò & Valentiniani cædis mox inſecutæ. Ait, offenſum in ſermone quodam Valentinianum, gladium in Arbogaſtem ſtringere voluiſſe, verùm prohibitum eum à δορυφόρῳ, id eſt, à ſatellite quodam, cuius gladium ſtringere volebat: Et quanquam Valentinianus in præſens Arbogaſtem demulcere, atque ab omni ſuſpicione abducere voluiſſet, attamen Arbogaſtem ex ipſiuſmet verbis accurate intellexiſſe ὑπόνοιαν eius, quid inquam animo Valentinianus volueret ſecretè reconderetque: Interrogante quippe Arbogaſte tantæ iræ cauſas, Valentinianum finxiſſe *ſibi ipſi ſeſe manus inferre voluiſſe, eò quod cùm Imperator ipſe eſſet, nihil tamen eorum quæ vellet facere valeret.* Hæc ſcil. huiuſce loci obſcuri alioquin ſententia eſt, quam etſi Nicephorus *dicto loco* fermè ceperit, non vno tamen loco verba eius interpolauit. Obſcuram ſententiam facit maximè vox ὑπόνοια, ibi, διὰ τῶν λόγων τὴν ὑπόνοιαν αὐτοῦ μᾶλλον εὗρεν εἰς ἀκρίβειαν μεθισαμένην γνώσεως. Ὑπόνοια eſt cùm aliud agitur aliud ſimulatur, cùm quid ſimulando aliud animo voluitur reconditur, agitatur. Denique ὑπόνοια eſt intentio animi ſecreta, recondita: vt hîc Valentinianus, Arbogaſten à ſuſpicione abducere volens, in quem gladium ſtringere voluerat, finxit ſeſe in ſemetipſum gladium ſtringere voluiſſe, quod iure Imperatorio non vteretur: Quo dicto ſanè ipſo Valentinianus ὑπόνοιαν ſuam

clarè prodidit, nempe quod per Arbogaſtem quæ vellet non & facere valeret, atque ideò animo ſuo ſatis oſtenderet, ſeſe volutare atque agitare, quomodo Arbogaſte ſublato ſuæ voluntati velificari ipſe poſſet. Atenim hæc *ῥητορικώτερα* ita inuertit Nicephorus : *τότε μὲν λόγοις προσῆγε τῷ Ἀρβογάστῃ τὴν θεράπειαν, ὁ δὲ τοῖς λόγοις μᾶλλον τὴν σφετέραν ἠκρίβου ὑπόνοιαν εἰς γνῶσιν μεθισαμένην.* Et ſic *ὑπόνοιαν* ipſe pro ſuſpicione Arbogaſtis extulit. Cœterùm etſi hæc non ita referant alii ſcriptores, proxima tamen memorant. Zoſimus *lib.*4 *pag.*775 ait, cùm Arbogaſtes militum beneuolentiâ ſubnixus etiam aduerſus Valentinianum liberior eſſet, ſic vt quæcunque non rectè fieri putabat, prohiberet, *ὅσα μὴ καλῶς αὐτῷ μηδὲ προσηκόντως ἔχειν ἐδόκει, κωλύων,* Valentinianum id permoleſte ferentem oppoſuiſſe ſeſe quidem ipſi ſæpius, ſed nihil profeciſſe : tandem Valentinianum haud ferentem amplius vt Arbogaſti ſubjectus eſſet, *ὑποτετάχθαι δὲ τούτῳ περαιτέρω μὴ φέρων,* cum Auguſto ſolio ſederet, Arbogaſtem venientem toruis oculis adſpexiſſe, libellúmque ei porrexiſſe quo ei Magiſtratum abrogabat : At Arbogaſtem libello perlecto dixiſſe, Valentinianum *poteſtatem ſibi neque dediſſe, neque abrogare poſſe:* híſque prolatis diſcerptóque libello & in terram projecto, diſceſſiſſe : Exque eo tempore ſuſpiciones & inimicitias non clàm verùm palàm inter ſe fouiſſe. Hæc Zoſimus. Rufinus quoque *lib.*11 *cap.*31 inter alias de morte Valentiniani ſententias refert, *Arbogaſten cauſas præſtitiſſe quibus in hoc adoleſcens* (vt laqueo vitam finiret) *cogeretur, quod minus ei tanquam per ætatem nondum valido, libera*

bera de omnibus indulgeret imperia. Proſper Aquitanicus *Chronico. Valentinianus ad vitæ faſtidium nimia Arbogaſtis Magiſtri militum auctoritate ductus, laqueo apud Viennam periit.* Et Sozomenus pariter *lib.7 cap.22* ſcribit, quoſdam putare, Valentinianum ſibi ipſi manus intuliſſe, quod quædam conatus quæ eius ætatis feruori non conuenirent, prohibitus fuerit, ac propterea viuere amplius noluiſſe, *Quod Imperator cùm eſſet, quod vellet facere non permitteretur*, ὅτι βασιλεύων μὴ συγχωρεῖτο ποιεῖν ἃ βούλεται. Vbi vides ab his omnibus ſcriptoribus pariter id memorari, indignatum Valentinianum, quod cùm Imperator eſſet, non & quæ vellet per Arbogaſten agere poſſet: quod ipſum ait Philoſtorgius. Cui accedat & Sulpitius Alexander apud Gregorium Turonenſem *lib.2. hiſtor. Franc. cap.9*, qui neceſſitates Valentiniani commemorans adjungit, *clauſo apud Viennam Palatij ædibus Principe Valentiniano, & penè infra priuati modum redacto, militaris rei cura Francis ſatellitibus tradita, ciuilia quoque officia tranſgreſſa in coniurationem Arbogaſtis, nulluſq́ ex omnibus ſacramentis militiæ obſtrictis reperiebatur, qui familiari Principis ſermoni aut iuſſis obſequi auderet.* De enſe verò quem Valentinianus in Arbogaſten ſtringere voluerit, nemo præter Philoſtorgium agit: ſicuti retrò, de libello quo Arbogaſti imperium abrogabatur, nemo præter Zoſimum.

Nunc de ipſa Valentiniani Iun. cœde: vbi locus, occaſio, cœdíſque genus ſpectanda ſunt. Quod *locum* attinet, Viennæ Galliarum patratum id ait, quod etiam Ambroſius, & Suſpitius Alexander, & Zoſimus *lib. 4 pag. 776*

teſtantur : & quidem in Palatio (Viennenſi ſcilicet) κατὰ τὸ παλάτιον (pro quo Nicephorus habet κατὰ τὰ ἀνάκτορα) quod etiam Epiphanius *lib. de menſuris & ponderibus* ſcribit *pag.* 877 : & indicat quoque Sulpitius Alexander. Zoſimus ait, prope muros περὶ τὸ ταύτης τεῖχος. Quod *occaſionem* attinet, ait Philoſtorgius cùm Arbogaſtes Imperatorem pranſum meridie in ſeceſſu Regiæ ad ripam fluminis (Rhodani ſcilicet) vidiſſet ludentem, οἷς ἐματαιοσπούδει χαλινδούμενον, pro quo ſimplicius Nicephorus παιγνίοις τισὶ σχολάζοντα, ſatellites in eum immiſiſſe : illos vero Imperatorem manuum vi & immanitate ſtrangulaſſe, nullo tum miniſtrorum Imperatori præſente, quod eo tempore pranſum illi iuiſſent. Zoſimus quoque, ait, Valentinianum ἅμα τισὶ τῶν στρατιωτῶν παιδιαῖς ἐνασχολούμενον, interfectum. At Socrates *lib.5 cap.24* ait καθεύδοντα dormientem ſtrangulatum.

Tandem ait Philoſtorgius, eos qui Valentinianum ſtrangulauerant ἡμιτύβιον (de quo ſuprà) ipſiuſmet ſudarium, collo eius laquei inſtar aptaſſe, quò ita à ſemetipſo ſtrangulatus crederetur. Oroſius quoque *lib.7 cap.35.* *Atque vt voluntariam ſibi conſciuiſſe mortem putaretur, laqueo ſuſpenſus eſt.* De ἡμιτυβίῳ ipſius Valentiniani collo eius injecto nihil cæteri ſcriptores. Illud quidem referunt nonnulli, creditum à multis Valentinianum ſemetipſum ſtrangulaſſe. Sozomenus, *lib.7 cap.22* : & Rufinus, *lib.7 cap.31.*

¶AD CAP. II. *De Eugenio Tyranno, & Theodoſii M. de eo victoria.*

De *Euge-*

De *Eugenio* Tyranno, & Theodoſij M. de eo victoriâ : déque Theodoſij ipſius morte agitur hoc capite: de quo agunt & Zoſimus, *lib.4 pag.*778: Socrates, *lib.5 cap.* 24: Theodoritus, *lib.5 cap.*24 : Sozomenus, *lib.7 cap.*22. Circa prius notandum eſt quod Philoſtorgius ait, Arbogaſten Eugenium Imperatorem feciſſe, eò quod genus ipſius eum ipſum Imperatorem fieri vetaret : quandoquidem Barbaro parente natus erat id quod etiam hinc habet Nicephorus, *lib.*12 *cap.*39 : vnde & Claudiano *in* 3. *Conſul. Honorij*, Arbogaſtes hic *Barbarus exul* vocatur : & *in* 4.*Conſul pag.*136, *Germanus exul* : Nempe genere *Francus* is erat : vide Zoſimum, *lib.*4 *pag* 774, ex iis videlicet qui in Gallias tranſlati fuerant, qui Læti vocabantur, de quibus plenè *ad Cod.Theodoſianum*. Quare & Sulpitius Alexander apud Gregorium Turon. *lib.*2. *hiſtor. Franc. cap.*9. eum Gentilem facit Sunnonis & Marcomeris ſubregulorum Francorum. Hinc igitur Socrates, *lib.5 cap.*24, eum ex minore Galatia, id eſt, ex Gallia oriundum dixit, ὃς ἐκ τῆς μικρᾶς Γαλλίας ὁρμώμενος.

Quod Eugenium attinet, dignitate τὴν ἀξίαν *Magiſtrum* fuiſſe ait Philoſtorgius: Socrates ἀντιγραφία τοῦ βασιλέως. Vbi Interpres malè vertit Quæſtorem : Magiſtrum ſcriniorum accipiendum putem, hic enim ἀντιγραφεὺς τοῦ βασιλέως. Eunapius *in Nymphidiano* Magiſtrum ſcriniorum ita quoque deſcribit, ᾧ βασιλεὺς τὴν βασιλικὴν γλῶσσαν ἐπέτρεψε. De hoc verò Eugenio vide & Symmachum *lib.*3 *epiſt.*60.61. Certe & antequam ad Palatium principis proueheretur alio quoque ſenſu Magiſter fuerat Eugenius, nempe

literarum & Oratoriæ, vt referunt Zoſimus, *lib.* 4 *pag.* 775: & Socrates, *lib.* 5 *cap.* 24. Secundo ait, Eugenium religione Gentilem ſeu paganum fuiſſe. Certe Sozomenus quoque ſcribit, *lib.* 7 *cap.* 22, eum circa fidem Chriſtianum minus ſanum fuiſſe, οὐχ ὑγιῶς διακείμενος περὶ τὸ δόγμα τῶν χριστιανῶν: & paganum vel certè ſemipaganum eum crediſſe videtur. Et tamen Chriſtianum eum fuiſſe liquidò conſtat ex epiſtola Symmachi ad eum ſcripta. Quid igitur? Paganis certe & ipſe in nonnullis fauit, vt ex *eadem epiſtola* liquet, & ex Paulino, *in vita Ambroſii*: & paganos viciſſim fauentes habuit, & quidem Senatores vrbis Romæ, & in his Flauianum: vide Rufinum, *lib.* 2 *cap.* 33: Sozomenum, *lib.* 7 *cap.* 22: ſed & paganis vaticinatoribus fidem habuit. Inde igitur Eugenius paganus creditus. Et hæc de ipſomet Eugenio.

Quod *Theodoſii M. procinctum* aduerſus Eugenium attinet, ait Philoſtorgius primò, Theodoſium eius apparatus tempore Imperatoriam coronam alteri filio Honorio ſcilicet impoſuiſſe, quod etiam Zoſimus *lib.* 4 *pag.* 778 ait, & Sozomenus, *lib.* 7 *cap.* 24: & Claudianus in 3 COS. *Honorij* teſtatur *pag.* 129: & in 4. COS. *pag.* 138: totáque hyeme bellum apparaſſe, veréque ſecuto expeditionem mouiſſe. Rectè hæc omnia: Eugenius quippe Imp. factus A. D. 392: Honorius verò à patre Imp. factus A. D. 393. vide Marcellinum *Chronico*, quod Chronicon Alexandrin. malè refert ad ann. 389. Anno vero 394 Theodoſius contra Eugenium mouit: teſte eodem Marcellino *Chronico*. Quod de ſucceſſu expeditionis prælio ad

Frigi-

Frigidum amnem controuerſo (de quo & Zoſimus *lib.*4 *pag.*778) victoria tandem Theodoſij, & Eugenio capite truncato, & Arbogaſte à ſemetipſo interfecto, ſubjicitur, id omne cœteri quoque ſcriptores narrant, & Claudianus etiam in 3. COS. Honorij *pag* 129

Addit, Theodoſium hoc bello defunctum *Mediolani* conſtitiſſe; ibíque conſtitutum filium ſuum Honorium accerſiſſe. Prius illud, de morâ inquam Theodoſij Mediolani teſtatur quoq; Zoſimus, *lib.*4 *extremo*, & Sozom. *lib.*4 *cap.*24 *pag.*438, vbi & mortuus Theodoſius. Quod poſterius attinet, in eo diſſenſus aliquis inter ſcriptores. Zoſimus enim, *lib* 4 *pag.*778 ait, Theodoſium aduerſus Eugenium mouentem Honorium ſecum adſciuiſſe: idémque ſcribit Marcellinus, *Chronico.* Contra alij, Claudianus ſcilicet *in* 3. COS. *Honorij, pag.*129. *col.*2. Rufinus *lib.*11 *cap. vlt.* vtrumque filium à Theodoſio Conſtantinopoli relictum ſcribunt, póſtque Eugenianum bellum Honorium ad patrem aduolaſſe. Imò idem Sozomenus *d. cap. vlt.* ait Theodoſium morbo correptum Honorium ociſſimè euocaſſe: cui conſentit & Philoſtorgius: Addit & Sozomenus, Theodoſium cùm Honorium iam præſentem vidiſſet, melius habere viſum. Certe præſente Honorio mortuum teſtis eſt quoque Zoſimus, *lib.*4 *extremo.* Tandem ait Philoſtorgius, Theodoſium Honorio totum Occidentem commiſiſſe: de quo vide & Olympiodorum apud Photium noſtrum *in Bibliotheca*; & Zoſimum, *d. et. lib.*4 *pag.*779, qui ait, commiſſam Honorio Italiam, Hiſpanos, Gallos, Africámque omnem.

Sequitur de *morte Theodoſii.* Hunc verò ex intercute morbo ſeu hydropiſi mortuum ſcribit Philoſtorgius (quod & hinc habet Nicephorus *lib.12 cap.vlt.*) vt & Idacius *Chronico.* Addit autem Philoſtorgius Theodoſium hunc morbum contraxiſſe ex vitæ intemperantia luxúque immodico, cúmque ideò hoc nomine κωμῳδεῖ ſeu traducit : Quomodo & Zoſimus pariter, *lib.4 pag.758* immodicum voluptuariæ vitæ ſtudium Theodoſio M. objectat. Atenim eo nomine Photius Philoſtorgio & impietatem & impudentiam exprobrat. Certè & Socrates, *lib.5 cap.25*, Theodoſium mortuum ait, morbo contracto ἐκ πολεμικοῦ μόχθου. Sed & Victor Theodoſium cum Trajano alioquin comparans, vinolentiam eum deteſtatum ſcribit, legéque prohibuiſſe miniſteria laſciua pſaltriáſque commeſſationibus adhiberi : denique, *veſcendi continentia valetudinem rexiſſe.* Eſt igitur hæc Philoſtorgij quoque in Theodoſium calumnia, eo quod Theodoſius Arianis & Eunomianis maximè bellum indixiſſet : de quo *in Prolegomenis.* Colligit poſt hæc Philoſtorgius Theodoſiani Imperij annos : nempe ait, Theodoſium ſedecim annos imperaſſe : in quo concinunt omninò Socrates, *lib.5 cap.25* : Sozomen. *lib 8 cap.1* : Theodorus Lector *in collectaneis Nicephorianis lib.2 in fin.* Nicephorus, qui hic alioquin Philoſtorgium ſequitur, ait ſedecim cum dimidio. Rufinus *lib.11 cap.vlt.* decem & ſeptem annos computat, duobus videlicet annis dimidiatis pro ſolidis computatis. Recte hi fermè amnes, tot enim anni ſunt ab A. D. 379 ad 395.

Poſt

Poſt omnia Philoſtorgius *Felicitatem* Theodoſij M. hîc deprædicat, eiúſque cauſam ex ſuo ingenio adſignat: quod omne quoque Nicephorus habet & interpolat, tacito, vt alias ferme, Philoſtorgij nomine *lib.12 cap.vlt.* Felicitatem Theodoſij in his quinque ponit: in præclaris victoriis; in monarchia totius Imperij Romani: in eo quod pater duorum filiorum Imperatorum fuerit: quod inconcuſſum his Imperium reliquerit: denique quod in proprio lecto feliciſſimam vitam finierit. Quæ vera omnia. *Cauſam* verò felicitatis iſtius omnis hanc ſpecialem reddit Philoſtorgius, nempe quod præmium iſtud retulerit, ob feruidum contra idola zelum: τοῦ θερμοῦ μοι δοκῶ κατὰ τῶν εἰδώλων ζήλου τοῦτο γέρας ἐξήνεγκεν. Quod & ipſum Nicephorus habet, qui id inſuper addit, & generalius, τῆς πρὸς θεὸν πίστεως γέρας id fuiſſe, quod Philoſtorgius dictum noluit, ob indictum, quod ſupra dixi, à Theodoſio M. Arianis & Eunomianis bellum. Vnde contra Socrates, *lib.5 cap.10*, diſerte hanc felicitatis Theodoſij cauſam adſignat, αἰτίαν αὐτοῦ τοῦ διαπεράττειν, quòd de hæreſibus abolendis feriò cogitaſſet. Et ſic hac quoque parte notare licet Philoſtorgij ab aliis diſſenſum: ſed & illud, de quo *in Prolegomenis* plenè, quàm ex ſuo quíq; ſcriptores Eccleſiaſtici ſenſu, res æſtimare atque ita prodere ſoleant. De Theodoſij M. alioquin ſtudio in deturbandis idolis teſtes cœteri quoque ſcriptores: Ambroſius *Orat. de exitu Theod. circa princip. & pag 99*: Rufinus, *lib.2 cap.23*: Socrates, *lib.5 cap.16,17*: Theodor. *lib.5 cap.20*: Sozomenus, *lib.7 c.15*. Fidem faciunt & ipſiuſmet Theo-

doſij conſtitutiones, ac nominatim poſt Valentiniani Iun. cœdem cùm aduerſus Eugenium moueret, *lex* 12. *Cod.Theod. de paganis*: vbi de hoc plura: videndi & Gentiles ſcriptores, Eunapius, Libanius, & Zoſimus *lib.*4 *extremo.* Hanc igitur felicitatis Theodoſianæ cauſam adſignat Philoſtorgius: quem & aliâs Gentilibus ſeu paganis aduerſum maxime fuiſſe deprehendo: de quo pariter *in Prolegomenis*: Tandem in eo ſaltem conuenit Philoſtorgio cum aliis, quod pietati eius hanc felicitatem omnes adſcribant, verùm aliter atq; aliter. Denique Ambroſius quoque, *dict.Oratione*, Theodoſij fidem triumphos adquiſiuiſſe, victoriámq; militum eam fuiſſe ſcribit. Sic aliorum cõtra Principum infelicitatis cauſas ex ſuo ingenio metitur Philoſtorgius: veluti Conſtantini M. *lib.*2 *cap.*4: Conſtantis, *lib.*3 *cap.*22: Conſtantij, *lib.*5 *cap.*4: Gratiani, *lib.*10 *cap.*5: Valentiniani Iun. *hoc ipſo lib.*1 *cap.*1.

¶AD CAP. III. *De Rufini & Stelichonis poteſtate & exitu.*

De *Rufini* apud Arcadium Imp. déque *Stelichonis* apud Honorium auctoritate, déque infelici vtriuſque exitu eſt hoc caput, quod exſcribit quoque fermè Nicephorus, *lib.*13 *cap.*1. In qua narratione concordant fermè cœteri ſcriptores. Primò ait, Rufinum in Oriente apud Arcadium, Stelichonem apud Honorium in Occidente ſummam adeò poteſtatẽ habuiſſe, vt relicto tantum penes Arcadium & Honoriũ Imperij nomine & ſimulacro vim penes ſe habuerint: ἑκάτερος γὰρ αὐτῶν ἑκατέρῳ τῶν Θεοδοσίου παίδων τὸ τῆς βασιλείας σχῆμα καὶ τὸ ὄνομα νέμων οὐ παραιτούμενος,

τὸ κράτος

τὸ κράτος τῆς ἀρχῆς διὰ χειρὸς καὶ γλώσσης εἶχεν, ἐν ὑπάρχῃ προσηγορίᾳ βασιλεύων τοῦ βασιλεύοντος. Quod & cœteri ſcribunt: & in his Zoſimus, iiſdem pene verbis, *initio lib.5*, de Arcadio & Honorio agens, ἄρχει μὲν ὀνόματος ἐδόκειν ἔχειν τὸ κράτος, ἡ δὲ πᾶσα τῆς ἀρχῆς δύναμις ἦν κατὰ μὲν τὴν Ἑῴαν παρὰ Ῥουφίνῳ, κατὰ δὲ τὴν ἑσπέραν ἐν τῇ Στελίχωνος γνώμῃ. Addit Philoſtorgius, neutrum Imperatorum quorum Præfecti erant, amantem fuiſſe, imò & Stelichonem filio ſuo Eucherio Imperium aptare voluiſſe. Quod & alij memorant.

Secundo loco de *Nece* Rufini hiſtoriam tradit, à quo videlicet, quo item loco, qua cauſa, quo tempore is occiſus fuerit. Nempe primum ait, occiſum Rufinum ab exercitu qui Theodoſio aduerſus Tyrannum (Eugenium ſcilicet) militauerat, Româ (ſeu Italiâ in Orientem & Conſtantinopolim) reuerſo. Similiter alij, Claudianus, *lib.2 in Rufinum*: Zoſimus, *lib.5 pag.785*: Socrates, *lib.6 cap.1*: Sozomenus, *lib.9 cap.1*: Marcellinus, *Chronico*, & Chronicon Alexandrin. &c. Secundò ait, occiſum Rufinum in loco quod *Tribunalium* dicitur ante Imperatoris pedes, quod & ipſum Nicephorus hinc habet. In genere alij aiunt, ante vrbem ſeu ante portas vrbis, cùm Arcadius eò aduentante exercitu proceſſiſſet. Claudianus, *lib.2 in Rufinum*: Zoſimus, *lib.5 pag.785*: Socrates & Sozomenus *dictis locis*: Marcellinus *Chronico*. Solus Philoſtorgius ait, in Tribunalio. Quod tamen ipſum quoque tacite indicat Claudianus *dict. loco*, cum Rufinum ita inducit loquentem ad Arcadium, vt ſe participem Imperij faceret.

Increpat Auguſtum, ſcandat ſublime Tribunal,
Participem ſceptri, ſocium declaret honoris.

Sed & auctor Chronici Alexandrini ſimiliter ait, Rufinum cæſum ἐν τῷ Ἑβδόμῳ. Ἕβδομον hic idem eſt cum Tribunalio: Τριβουνάλιον quippe in ἑβδόμῳ fuit. Sic idem auctor ann 383. Ἀρκάδιος Αὔγουστος ἐν Κωνσταντινουπόλει ἐν τῷ Τριβουναλίῳ τοῦ Ἑβδόμου ὑπὸ τοῦ πατρὸς ἀνηγορεύθη. Vide & ann. 402. De Tribunalio hoc vide Himerium, Cedrenum, Suidam, Codinum *in originib. Conſtantinopol.* Ibi verò Imperatores inaugurati, coronatíque: inter alios Valens, Arcadius, Honorius, Leo, alij. Palatiúmque id erat: Himerius, ἐν τῷ παλατίῳ τῷ τριβουναλίῳ. Conditum autem id à Conſtantino M. ait Codinus. Valens certe Tribunal illud, in quo creatus Auguſtus fuerat, gradibus marmoreis & tabulis ornauit, vt diſcere eſt ex Themiſtio *Oratione 16 in fin.* Vnde is locus τριβουνάλιον dictus. *Tribunal alioquin fori Conſtantini* tertia Regione, *In veteri deſcript. vrbis Conſtantinopolitanæ* memoratur, & Tribunal purpureis gradibus extructum regione 2. Tertiò ait Philoſtorgius, occiſum Rufinum, tum Stelichonis juſſu, tum quia exercitum ludibrio habuerat, μυκτηρίζων αὐτοὺς ἐπεφώρατο. Quod prius attinet, conſentiunt & cœteri qui infeſtum ideò Rufinum Stelichoni fuiſſe ſcribunt, quod hic contenderet vtriuſque Imperatoris orbíſque curam ſibi à Theodoſio demandatam. Claudianus *in 3. Conſul. Honorij, pag.* 130: & *in 4 Conſulatum, pag.* 142: & *libris in Rufinum*: Zoſimus, *lib.* 5 *pag.* 782, 785: vide & de hac vtriuſque orbis tutelà Stelichoni mandata eundem Zoſimum, *lib.* 5 *p.* 8.0. Quod poſte-

poſterius verò attinet, quod inquam ait Rufinum ideò ab exercitu cœſum, quod eum ludibrio habuiſſet, id à nemine alio prætereà niſi à Nicephoro qui hinc habet, memoratur: Forte autem ludibrio habitus hic exercitus à Rufino, quod Stelicho τὸ ἀπεσκληκὸς καὶ ἀπόβλητον retentis ſibi validioribus in Orientem miſiſſet: Tandem, quod *tempus* attinet, ait Rufinum ea ipſa die cœſum, καθ' ἣν οἱ στρατολόγοι μονονουχὶ τὴν ἁλουργίδα αὐτῷ περιεβάλοντο. Quod quidem ſingulare eſt, ídq; etiam Nicephorus exſcripſit: ſic tamen vt pro περιεβάλοντο, repoſuerit, περιβαλεῖν αὐτῷ ἔμελλον. Certè, nonnulla apud Claudianum occurrunt, *lib.2 in Rufinum*, quæ hùc maximè faciunt: Præter illud quod iam ſupra retulimus, vbi de Tribunalio---*nunc tempus:*

Opportuna meis oritur lux craſtina votis,
Quod nolit Rex ipſe velit, iubeatq; coactus
In partem mihi regna dari.

De cupiditate alioquin Imperij & affectata tyrannide quâ in dies magis magíſque Rufinus flagrabat, agit Zoſimus, *lib.5 pag.784*: Socrates *lib.6 cap.1*: Sozomenus *lib.8 cap.1*. Et hæc de cœde Rufini.

Tertio loco characterem & imaginem vtriuſque, & Rufini (quem hinc quoque Nicephorus habet) & Arcadij, exhibet Philoſtorgius: quæ nullibi prætereà ita occurrunt, niſi quod Cedrenus, *pag.269*, quoad formam, Arcadium depingit, corpore deformem, nigrum, ſtatura prauâ: de Animi certe eius ſecordia, & quantopere Rufino, de quo hic, obnoxius fuerit, dixi iam ad Arcadij *l. quiſquis, Cod. ad leg. Iul. maieſt. pag.66,67*, ex Zoſimo potiſſi-

mùm, qui inter alia ait, Rufinum Arcadio potitum ceu pecude,& Arcadium *φρονήσεως ἐστερημένον.*

Quartò addit quæ necem Rufini ſecuta ſunt: Caput ſcilicet Rufini amputatum ait, oríque lapide immiſſo, circumlatum id per vrbem, dextra amputata & circumlata per vrbis ergaſteria, ſtipe *inſatiabili* petita, vnde multum auri corrogatum fuerit, quibúſque paſſim ad tam gratum ſpectaculum aurum lubenti animo dantibus. Quæ omnia fermè non tantum Nicephorus ex hoc loco, ſed & Claudianus, & Zoſimus, & Marcellinus *in Chronico* habent. Illud tantum quod de lapide ori immiſſo ait, nemo prætereà habet, verùm de capite tantum ſaxis petito Claudianus

Nec minus aſſiduis certant elidere ſaxis
Prodigiale caput, quod tam de cuſpide ſummâ
Nutabat dignâ rediens ad mœnia pœna.

De Stelichonis exitu, quod ſub finem hîc adjicitur, ſuo tempore ad *lib.12 cap.1* diſcutietur.

¶ Intereà in hac de Rufini cœde narratione, intermicare videas ſtricturas odij Philoſtorgij in Rufinum, nempe quia hunc Eunomianis maximè infeſtum fuiſſe ſatis colligitur ex legibus quæ ſub Arcadij nomine ad Rufinum in Eunomianos datæ, verùm ipſi Rufino reuerà accepto ferendæ ſunt: nempe *lex 25.26. Cod.Theod.de hæreticis : lex 13.de paganis.* Eadémque igitur peculiaris in Eutropium Philoſtorgij odij cauſa: de quo *infrà.*

¶AD CAP. III. *De Eutropio Eunucho ad ſummas dignitates ſubuecto.*

¶AD

De *Eutropio* Eunuchō è ſeruo poſt Rufinum ad ſummas dignitates in Palatio apud Arcadium ſubuecto, eſt hoc caput, quod exſcribit fermè Nicephorus *lib.13 cap.1 pag.341, lit.b*: Cui concinunt & alij ſcriptores, qui eandem Eutropij honorum paginam habent; & in his quoque Claudianus, Zoſimus, & Honorij *lex 17 Cod.Theod.de pœnis*, &c. ſed & Eunapius & Suidas, in eo quod Eutropium aiunt Rufini poteſtatem obtinuiſſe, παραλαβὼν τοῦ ἐκείνου κράτος. Pauca tantum quædam hîc ſublegenda. Primò, *Præpoſitus* hîc abſolutè dicitur (pariter vt *lib.4 cap.1*) pro Præpoſito S. Cubiculi: qui videlicet τὴν ἡγεμονίαν πάντων τῶν βασιλικῶν εἶχε κοιτώνων, ait Zoſimus *pag.786*: de quo vide *dict. l.17*: Zoſimum *dict. pag.786*: Claudianum *1. in Eutropium*: Socratem *lib.6 cap.5*: Chryſoſtomi *Orationem in Eutrop.* Sic & *Præfectus* ὕπαρχος vel ἔπαρχος abſolutè pro Præfecto Prætorio *ſuprà lib.9 cap.11*, & *hoc lib.cap.5*. Sic & *Magiſter* pro Magiſtro officiorum, *infr.lib.12 cap.1*.

Secundò ait Philoſtorgius, caſtrationem ſubmouiſſe Eutropium à purpurâ, id eſt, *Eunuchum* non potuiſſe eſſe Imperatorem, & ideò Eutropium perſuaſiſſe Arcadio, vt quia illud fieri non poterat, Patricium ſe & Conſulem deſignaret, quæ dignitates certe ſummæ & Imperatoriæ proximæ erãt. Quod quidem nullibi ita expreſſum. Imò eſt & qui ſcribat, Eutropium ad Imperatoriam dignitatem adſpiraſſe: vetus auctor apud Suidam *in voce* ὕπατος. Sic & Barbarum Imperatorem fieri non potuiſſe ſupra idem dixit *cap.2*.

Tertiò notandum, quod ait Eutropium Patricium

factum *iam patrem Imperatoris* fuiſſe, qui ne vilem quidem filium generare poterat. Quæ quoque nullibi ita occurrunt: niſi quod ſimiliter de Eutropio Patricio, patre iam Imperatoris Claudianus 2 *in Eutropium.*

Direptas quid plangis opes quas natus habebit,
Non aliter poteras Principis eſſe Pater

Item, -------*præſidium legum, Genitorq́; vocatur*
Principis, & famulum dignatur Regia Patrem.

Et Sozomenus *lib.*8 *cap.*7, ὑπάτε καὶ πατρὸς βασιλέως ἀξία ἐτιμήθη. Omitto alia ſimilia quæ ad Eutropium non faciunt, & iam omnibus obuia ſunt. ¶Interim & hîc quoque videas, peculiaris in Eutropium Philoſtorgij odij cauſas, pariter vt *infra cap.prox.*5 *& cap.*6: propter odium videlicet aduerſus Eunomium & Eunomianos, quod *cap.prox.*5 videre eſt, vbi plura.

¶Ad Cap. V. *De Eunomij ſepultura & libris.*

De Tranſlatione corporis *Eunomij* & libris eius aboleri juſſis, eſt hoc caput, quod exſcribit partim, partim contrahit Nicephorus, *lib.*13 *cap.*1 *pag.*342. Ait igitur, Eunomij corpus transferri iuſſum mandato Eutropij per Cæſarium P P. à Dacaorenis Tyanam: ratione mox ſubjecta: Vbi multa notanda veniunt. Primò, quod de *Eutropij* mandato ait. Id quod oſtendit, quâ tum auctoritate fuerit Eutropius, qui ſummæ Præfecturæ Prætorianæ imperaret. Id verò hîc inculcatur à Philoſtorgio, vt ita Eunomianorum, ſuúmq; adeò in Eutropium odium ſignificet, de quo plura *inf. quoq; cap.prox.* Secundò notandum,

dum, quod ait de *Cæſario*, eum in Præfectura Prætoriana (Orientis ſcilicet) Rufino ſucceſſiſſe. Hic verò ille Cæſarius PP. fuit A.D. 395, 396, 397, vt ex Conſtitutionibus Arcadij per hoc triennium ad eum datis liquet. Quo characteriſmo iam certò ſtatuere licet, Eunomium hoc tempore iam mortuum fuiſſe, antequam Cæſarius Præfectura decederet ann. 397, multo magis antequam Eutropius cæſus fuiſſet ann. 399: Sozomenus certe *lib. 7 cap.* 17 ait, Eunomium mortuum non multò poſt quàm exilium ei indictum fuiſſet à Theodoſio Imp. quod incidit fermè in A.D. 387. Et omninò puto Eunomium obiiſſe circa annum Domini 392, quod, vt iam ſuprà indicaui, Philoſtorgius memorauerat vel fine libri decimi, vel initio libri vndecimi, quorum lacuna ex alio MS. olim forte ſarciri poterit. Hieronymus quoque *de ſcriptoribus Eccleſ.* qui ſcriptorum Eccleſiaſticorum recenſum inſtituit ad XIV Theodoſij Imp. annum vſque, ſcribit, *dici Eunomium vſque hodie viuere in Cappadocia.* Ergo mortuus liquidò Eunomius hoc medio ſpatio, inter A.D. 392. & 397. Ad rem. Ergo, Eutropij mandato iuſſus Cæſarius PP. corpus Eunomij aliò transferre. Sic & alia occurrunt Arcadij (vel ſub eius nomine eiuſdem Eutropij, penes quem ſuprema rerum poteſtas hoc æuo erat) plura alia mandata, Conſtitutiones inquam ſex per A.D. 395, 396, 397, 398, 399, quibus *Eunomiani* variè agitati: puta (præter priorem quæ ad Rufinum PP. deceſſorem Cæſarij data eſt A.D. 395, puta *leg. 25 Cod. Theod. de hæreticis*) tres, ad eundem Cæſarium PP. emiſſæ, puta anno 395,

lex 27. *dict.tit.* & ann.396, *lex* 30, 31 *dict. tit.* quibus duabus poſterioribus doctores authoréſque Eunomianorum clerici maximè, quorum furor tantum ſuaſerat errorem, de ciuitatibus pelli extorres, & humanis cœtibus ſegregari jubentur: Pariter vt A.D.398 conſtitutione data ad Eutychianum P P. Cæſarij ſucceſſorem, *l.34.d.tit.* vbi ruri quoque conuentus eorum inhibentur. Tandem A.D.399 conſtitutione data ad eundem Eutychianum *l.36.eod.tit.* quò pertinet & Syneſij *epiſt.*5. Ex quibus apparet, variis rationibus ab Arcadio, vel potius Eutropio, per hoc quinquennium ab A D 395 ad 399 Eunomianos attritos fuiſſe. Proinde inter alia quoque tranſlatio corporis Eunomij mandata in Eunomianorum odium. De cuius tranſlationis tum circumſtantiis tum ratione porrò videndum eſt. Ait igitur, tranſlatum Eunomium à Dacaorenis (Cappadociæ ſcilicet) Nempe eò in exilium iuerat Eunomius, in proprios ſcilicet agros ſuos: de quo *ſuprà lib.*10 *cap.*6, ſeu in patriam ſuam, vt teſtatur Sozomenus *lib.*7 *cap.*17, vbi & deceſſiſſe eum ſepultúmq; ſcribit, ἔτυχε τῆς ἐν πατρίδι ταφῆς. Inde igitur transferri iuſſus Eunomius Tyanam, quæ in eadem Cappadocia erat: *Quò*, inquit, *à monachis qui ibi erant ſeruaretur*: addito, *Eutropium quippe inuidiſſe gloriæ Eunomij, & ideò ne cadauer quidem Eunomij ſepulturam nanciſci permiſiſſe cum magiſtro* (Aëtio ſcilicet Conſtantinopoli) *quamuis id multi peterent.* Nempe Eunomiani Eunomij corpus tranſlatum volebant Conſtantinopolim, vbi & Aëtius mortuus, ſepultúſque adeò fuerat, eique Eunomius os oculóſque occluſerat, extremáque

máque officia reddiderat, vt ſuprà dixit *lib.9 cap.6.* Quinimò & id quoque Eunomianos vrebat, ac proinde & Philoſtorgium, quod Eunomius non Conſtantinopoli ſepultus fuiſſet, quomodo tamen ſepultus fuerat Eudoxius in æde Apoſtolorum, teſte Cyrillo Epiſc. Alexandrino; qui id velut ἀδίκως & contra Canones factum improbauit: Quod etiam refert Facundus *lib.2 pag.*143, 144. Cupiebant igitur Eunomiani Eunomium in eandem ſedem cum Aëtio tranſlatum, ad gloriam eius, imò ſuperſtitionem augendam. Idque ipſi facturi videbantur, oportunitate agrorum Dacaorenorum & vici exigui qui patentiores & aptiores ad transferendum clàm corpus erant. Quare transferri juſſum id Tyanam vrbem Cappadociæ, ciuitatem validam & amplam, & à monachis inſuper id ibi ſeruandum. Scilicet ſi quid efficax peragendum, vt & ſi quæ vis inhibenda, per monachos hac tempeſtate id tranſactum, vt ſub Theodoſio ita & ſub Arcadio; de quo dicere memini iam ad Libanij *Orationem pro Templis:* ídque nominatim in Cappadocia, *vt hic*, & Syria, quò pertinet *cap.17 lib.3 ſup.* vt & Libanij Oratio illa. Inde igitur jam aſſeruandum monachis Tyanæ in Cappadocia Eunomij corpus creditum: quibus alioquin iniquiorem Philoſtorgium fuiſſe & ex *hoc loco*, & ex altero illo *cap.17 lib.3* colligo. Et hæc quidem de corpore Eunomij, eiúſque tranſlatione ab Eutropio mandata, quem Eunomij gloriæ inuidiſſe ait, βασκαίνων αὐτῷ τοῦ κλέους. Atque hæc odij Philoſtorgiani, quod & hic & ſupra & mox infrà intermicare videas, in

Eutropium cauſa, ob indictum ab eo Eunomio & Eunomianis odium. Eundẽ verò Eutropium & *libros* Eunomij publicis edictis aboleri juſſiſſe ſcribit, quod & Nicephorus hinc habet *lib.*13 *cap.*1 *pag.*342, tacito Philoſtorgij nomine, λόγος δὲ ἔχει (de quibus alioquin Eunomij libris *ſup. lib.*8 *cap.*12 : *lib.*10 *cap.*6 : & Photius *in Bibliotheca num.*137, 138) Id verò conſtitutione ſua Arcadius, ad Eutychianum PP. (Cæſarii ſucceſſorem) emiſſa A.D.398, ſanciuit, *l.*34. *Cod. Th. de hæreticis. Codices ſane eorum* [Eunomianorum &c.] *ſcelerum omnium doctrinam ac materiam continentes ſumma ſagacitate mox quæri ac prodi exertâ authoritate mandamus, ſub aſpectibus eorum Iudicántum incendio mox cremandos : Ex quibus ſi qui forte aliquid qualibet occaſione vel fraude occultaſſe nec prodidiſſe conuincetur, ſciat ſe velut noxiorum codicum & maleficij crimine conſcriptorum occultatorem capite eſſe plectendum.* Et his interim videmus, quò prolapſæ fuerint hac tempeſtate Eunomianorum res. De quibus alioquin vt & de Arianis hoc ipſo tempore ſcribit Sozomenus *lib.*8 *cap.*1 (& ex eo Nicephorus *lib.*13 *cap.*1 *pag.*341) eos, quoniam inter ſeſe ἰδιχονόουν diſſidebant (de quo *ſuprà lib.*9. & 10) vbíque imminutos : multos quippe iudicaſſe ἐκ τῆς περὶ θεὸς ἀλλήλους ἐναντιότητος, eos de Deo non rectè ſentire, atque ideò ad eos tranſiiſſe qui eiuſdem ſententiæ cum Imperatoribus erant. Atque hic etiam finis Eunomianæ apud Philoſtorgium hiſtoriæ eſt, quantum equidem hæ Photij eclogæ ſuppeditant : vno tantum addito quod occurrit *infrà lib.*12 *cap.*9 de Luciano qui Eunomianæ ſynagogæ poſt Eudoxium Conſtantinopoli præfuit,

circa

circa A. D. 420, quod & ipſum exſcribit Nicephorus, *dict. pag.* 342.

¶ AD CAP. VI. *De Arcadij Imp. vxore, &c.*

De *Arcadij* Imp. *vxore*, pérque eam *Eutropio* apud Imp. primùm inconciliato, móxque inſecuto Eutropij exilio cœdéque, eſt hoc caput, quod exſcribit & Nicephorus *lib.* 13 *cap.* 4 *pag.* 352, 353. In quo cum multa ſint quæ cum aliis ſcriptoribus conueniant; alia tamen ſingularia ſunt. Primùm ait, vxorem Arcadij fuiſſe filiam Baudonis, qui quidem gente Barbarus, expeditionibus verò militaribus in Occidente illuſtris erat. Quod Baudonem attinet, hic ille Bauto eſt genere Francus, ſub Gratiano Dux inclytus, vnà cum Arbogaſte, qui & ipſe Francus erat, Zoſimo teſte *lib.* 4 *pag.* 757 (qui & eos ſummopère laudat) & *pag.* 774; cuius meminit & Ambroſius *Orat. in funus Valentiniani*, & *lib.* 5 *epiſt.* 27 (vbi & genere Transrhenanum pariter vocat, & deuotionem exhibuiſſe ait Valentiniano pupillo contra Maximum) & *ep.* 88 *ad Eugenium.* Hic cum Arcadio primum Conſule Conſul fuit A. D. 385: de quo Conſulatu eius Symmachus quoque *lib.* 4 *epiſt.* 15, ad quem epiſtola illa, vnà cum altera 16, ſcripta eſt. Meminit & B. Auguſtinus *lib.* 3 *contra literas Petiliani cap.* 25: vbi ait ſe Mediolani Kal. Ianuarij recitaſſe laudem Bautoni Conſuli, pro ſuâ tunc Rhetorica profeſſione. Huius igitur Baudonis filiam poſt mortem patris Arcadium vxorem duxiſſe, ait Philoſtorgius. Et Eudoxiam intelligit, quam alij Gratiani filiam faciunt, vt Nicephorus eo ipſo loco teſtatur. Baronius *ann.* 395, *nu.* 3,

eúmq; ſecuti alij, Promoti neptem credidêre ex Zoſimi verbis, *lib.* 5, malè intellectis: Zoſimus enim non ait eam vnius ex Promoti filiis filiam fuiſſe, verùm virginẽ apud vnum ex filiis Promoti educatam: τούτων δὲ ἅτερος εἶχε παρ' ἑαυτῷ παρθένον (Baronius hîc vocem *filiæ* addit) κάλλει λάμπουσαν ἐξαισίῳ: & mox, τῷ ἑτέρῳ τῶ Προμώτε παιδὶ τρεφομένην. Eam porrò vxorem Arcadium poſt mortem patris duxiſſe ait Philoſtorgius: nempe anno 395, 5. Kal. Maij, vt ſcribit auctor Chronici Alexandrini.

Ingenium porrò Eudoxiæ iſtius, quod ſecundo loco notandum, ſic deſcribit Philoſtorgius, & ex eo Nicephorus: non fuiſſe ſcilicet eam factam ad ſpuriam mariti Arcadij naturam, verùm fuiſſe in eâ haud parum Barbaricæ audaciæ (vt pote Barbaro patre prognata) Cedrenus quoque *pag.* 274 ait, eam βάρβαρον καὶ θρασυκάρδιον fuiſſe: item, πολλῶν κακῶν Ἀρκαδίῳ πρόξενον.

Tertio, quatuor liberos Arcadium ex Eudoxia iſta ſuſcepiſſe ait, Pulcheriam, Arcadiam, Marinam & Theodoſium Iun.: & duas quidem priores ante caſum Eutropij, puta Pulcheriam & Arcadiam. De Pulcheria quoque ante eum caſum nata præter Marcellinum *Chron.* conſentit auctor Chronici Alexandr. ann. 399, 14 Kal. Februar. qui idem, cum Marcellino *in Chronico*, biennio ante ann. 397 Flaccillam Iuniorem Arcadio natam ſcribit, & ſic de duabus filiabus Arcadio natis ex Eudoxia conſentit ante caſum Eutropij, Pulcheria videlicet & Flaccilla, non de Pulcheria & Arcadia: Arcadiam enim natam ſcribit A.D. 400, 3. Non. Apriles. Qui idem alioquin

quin vnà cum Marcellino poſt eundem caſum Theodoſium Iun. natum ſcribit ann. 401, & Marinam ann. 403: Et poſt hæc Eudoxiam ipſam anno proximo 404 mortuam iidem aiunt.

Sequitur Eutropij caſus: de cuius occaſione circumſtantiiſque hîc agit Philoſtorgius. *Occaſionem* natam ait, ex Eudoxiæ (de qua eo ferme fine hoc capite in anteceſſum egit) in Eutropium indignatione, cuius cauſas enarrat, quas quiſq; per ſe legere poteſt, nuſpiam ita alibi niſi apud hunc, & qui ex eo habet Nicephorum, occurrentes. Certè Sozomenus quoque ſcribit, *lib.* 8 *cap.* 7, indignationem Arcadij ortam aduerſus Eutropium, ὡς εἰς τὴν βασιλίως γαμετὴν ὑβρίσας: Quod præter Philoſtorgium & Sozomenum nemo alius dicit. Alij quippe alias majeſtatis cauſas afferunt: vide Claudianum, Zoſimum, alios. Et verò ipſe Photius *fine huius capitis* apertè ait, huiuſce primi caſus pœnæque, ſed & mortis mox cauſas alias ab aliis narrari. In tranſitu porrò obſeruandum Rhetoricum verè apud Philoſtorgium πάθος in exprimenda Eudoxiæ indignatione: Tum deinde quod ait Arcadium ad vxoris querelam in Eutropium commotum, Imperatorem ſeſe iam oſtentaſſe, tum irâ tum verborum atrocitate aduerſus Eutropium: Quem alioquin minimè Imperatorem imò ſocordem deſcribebat *ſuprà cap.* 3. Quod caſum ipſum pœnámque Eutropij attinet, eiúſque circumſtantias, ait, primò, Eutropium omnibus honoribus exutum, boníſque ſpoliatum, in Cyprum inſulam in exilium miſſum fuiſſe: De quâ tri-

plici Eutropij pœna extat ipſamet Arcadij ſuper eo *lex 17 Cod.Theod. de pœnis*: agit & de eâ Claudianus ad eam legem conuenientiſſimè. Et hæ quidem pœnæ initio Eutropio ab Arcadio impoſitæ fuère. Atenim capite mox idem multatus fuit. Quòd vnum ſupplicium memorat Socrates *lib.6 cap.5*: Sozomen. *lib.8 cap.7*: qui ideò cum *dict.l.17*, & cum Claudiano hactenùs pugnare nonnullis videntur. Verùm ſicut ex Zoſimo, ita ex hoc Philoſtorgij loco facile ἐναντιοφανὲς iſtud componitur: Initio ſcilicet Eutropius honoribus exutus, boníſq; proſcriptis in exilium miſſus, poſteà & capite multatus fuit. Sedenim duo prætereà hac parte ſingularia admodùm habet Philoſtorgius, & exinde Nicephorus. Primum ſingulare eſt circa cauſam huius ſecundi & extremi judicij in Eutropium. Nempe ait, accuſatum eum quod cùm Conſul factus fuiſſet, animalibus præter fas vſus fuiſſet, quibus nonniſi ſoli Imperatori vti licebat, ὁπότεν ὕπατος ἐχρημάτει βοσκήμασιν ἀπεχρήσατο, οἷς οὐδενὶ τῶν ἄλλων ἐξῆν μὴ ὅτι γε μόνῳ βασιλεῖ: Ait Philoſtorgius βοσκήμασιν, pro quo Nicephorus, hunc alioquin locum exſcribens, ait κόσμοις παρ' ἀξίαν ἐχρήσατο: & mox de veſtibus id extulit, οὐ μόνῳ ἔξεστι βασιλεῖ ἀμφιέννυσθαι. Atenim notãdum hic de βοσκήμασιν ſpeciatim agi, i. de animalibus ſeu equis. Scilicet, vt quædam alia ornamenta ſolis Imperatoribus, eorúmq; Conſulatui reſeruata hoc æuo erant, ita nominatim βοσκήματα animalia ſeu equi, veluti Palmati, Hermogeniani, Cappadoces, de quibus ago plenè *ad leg.vnic.Cod Theod.de grege dominico*: & *l.1.eod.Cod.de equis curulibus*, & iam aliquid dixi *ad veterem*

Orbis

Orbis deſcriptionem, & *ſuprà*. Item animalia alia, quibus citra Principis indultum vti non licebat, de quo non vno loco Symmachus. Sic & Capitolinus *in Gordianis pag.* 152, Equos Siculos & Cappadoces nonniſi permittentibus Imperatoribus per factiones diuidi potuiſſe ſcribit. Sic & ſumptuum xeniorúmque modus in officiis Conſularibus certus fuit *l.* 1. *Cod. Theod. de ſcænicis*, vbi dixi.

Alterum ſingulare circa vltimum de Eutropio judicium eſt de formâ judicii, & cognitionis, quâ Eutropius morti addictus fuit. Ait Philoſtorgius, & ex eo Nicephorus, factum id conſiſtorio in Pantichio habito; vbi Aurelianus Præfectus (Prætorio ſcilicet) aliíque in illuſtri dignitate poſiti de crimine cognouerunt. Vbi plura notanda veniunt: primò de *loco*, in Conſiſtorio ſc. id factũ ait, in Pantichio habito: in conſiſtorio inquam, vbi cognitiones Principis agitabantur: de quo *ad Cod. Theod.* In Pantichio: Pantichium videri poſſit Baſilica Conſtantinopoli in miliario ſeu foro, in quâ Fortuna vrbis collocata erat: de qua Zoſimus, *lib.* 2 *pag.* 687: Socrates *lib.* 3 *cap.* 9 *in fin.* & vetus auctor, qui δημοσίαν τύχλω vocat, apud Suidam in μίλιον. Verùm non ita eſt. Pantichium locus erat extra Conſtantinopolim, inter Chalcedonem & Nicomediam : cuius mentio in Itinerario Antonini. *Byzantium*, inquit, *quæ & Conſtantinopolis. Chalcedoniam M.P.* XVIII. *Traiectus in Bithyniam M.P.* IV. *Pantichium M.P.* XV. *Libyſſam M.P.* XXIV. *Nicomediam M.P.* XXII. Et in Itinerario Hieroſolymitano ſeu Burdegalenſi. *A Conſtantinopoli tranſis Pontum, venis Chalcedoniam, am-*

bulas prouinciam Bithyniam. Mutatio Naſſete M.VII.*S. Mutatio Pandicia* M.VII.*S. Mutatio Pontamus* M.XIII. *Manſio Libiſſa* M.IX. *Mutatio Brunga* M.XII. *Ciuitas Nicomedia* M.XIII. Et apud Sozomenum *lib.7 cap.21.* ὡς δὲ εἰς τὸ Παντείχιον ἧκον, χωρίον δὲ τοῦτο χαλκηδόνος. Vide & Dionyſium Byzantium de Pantichio.

Secundò obſeruandum quod ait Philoſtorgius de *perſonis*, quæ de Eutropio judicauêre : nempe Illuſtres eas fuiſſe ſcribit, vt cæteroquin pro dignitate reorum cognitores dati : de quo ad *Cod. Theod.* Inter hos verò fuit Aurelianus PP. de quo multa mentio in conſtitutionibus Arcadij quæ ad eum datæ ſunt, imò & illa ipſa *lex* 17 *Cod.Theod. de pœnis* (quæ primum de Eutropio judicium continet) & apud Syneſium, *epiſt.*31,34,38 : & in Chronico Alexandrino, *ann.*406,414.

¶AD CAP. VII. *De variis hac tempeſtate Calamitatibus, & mortalitate, & diuinæ iræ ſignis.*

De variis Philoſtorgij tempeſtate (ſub Arcadio & Theodoſio Iun. ſcil.) *Caſibus* majoribus, diuinæque iræ ſignis, quæ Xiphian aſtrum (de quo *ſup.lib.*10 *cap.*9) portendiſſe ait Philoſtorgius, eſt hoc caput. Quod quidem exſcribit Nicephorus, *lib.*13 *cap.*36 : vbi ingentem hominum vbique mortalitatem terræque vaſtitatem memorat, tum à Barbaris, tum à peſte faméque, terræmotibus, hiatibus terræ, illuuionibus aquarum, ſpiculis flammeis, turbinibus igneis, grandine, niuibus, frigore. Quæ omnia vera ſunt & apud alios paſſim ſcriptores occurrunt: in Mar-

in Marcellini Chronico,& Chronico Alaxandr. vbi caſus hi per ſingulos penè annos ſub Arcadio & Theodoſio Iun, memorantur : vide *ann.* 394, 396, 401, 402, 404, 408, 417, 419, 422, 423. De Grandine inter alia inuſitatæ magnitudinis Conſtantinopoli pridie Kalend. Octobris ann. 404, vide & Socratem, *lib.6 cap.* 17, & prædictum Chronicon Alexandrinum : vbi dicitur magnitudine nucum eam fuiſſe εἰς τύπον μεγέθει καρύων. Noſter ait, manuali lapide majorem, vſque ad octo libras grandinem ingruiſſe. Apud Socratem quoque ſub Valente *lib.4 cap.* 10, ann. 367 memoratur χάλαζα λίθοις ἐμφερής.

¶AD CAP. VIII. *De varijs Barbarorum, Rebellionum, Iſaurorum ſub Arcadio Imp. motibus.*

De variis *Barbarorum, Rebellionum* ſeu *Antartarum* & *Iſaurorum* ſub Arcadio (intra decennium ab A. D. 395 ad A. D. 405) per Orientem motibus, turbatóq; adeò plurimùm Orientis ſtatu, ſeruato temporum & annorum ordine, hoc capite ſimùl & ſemel agit Philoſtorgius, quomodo & Sozomenus *lib.8 cap.25*, & ex eo Nicephorus *lib.13 c.35*. Ac primò quidem agit de *Hunnorum* incurſibus per Orientem, ab A. D. 395, ac nominatim in Thraciam, Armeniam majorem, Euphratenſem, Syriam, Ciliciam : de quo Claudianus *in Rufinum* : Zoſimus *lib.5 pag.* 797, 798: Socrates *lib 6 cap.*1 : Sozomenus *lib.8 cap.*1 & 25. Quò etiam refero *l.15. Cod. Theod. de re milit.* & *l.34. eod. Cod. de oper. publ.* Et duplicem quidem Hunnorum manum & incurſionem memorat hic Philoſtorgius; vnam in Thraciam,

alteram in Armeniam, aliáſque Orientis prouincias: pariter vt Sozomenus, *lib.*8 *cap.*1 *&* 25.

Secundò memorat Philoſtorgius *Mazacum* & *Auxorianorum* in Libyam, Ægyptum, Africam, ſub Arcadio incurſiones (ab anno videlicet 397) Mazaces, aliâs & Mazices, Μάζυκας. Horum ſitum hîc deſcribit Philoſtorgius, vt & vetus Orbis deſcriptio *cap.*54: & Ptolemæus *lib.*4. De his agit & Marcellinus, *lib.*29 *pag.* 401, 407: Stephanus, *in* Μάζυες: Vegetius, *lib.*3 *de re militari cap.*22: Ioannes Antioch. περὶ ἀρχαιολογίας *ſub Anaſtaſio*: Euſtathius *in Dionyſium de ſitu orbis*, & Excerpta Chronologica apud Scaligerum *ad Euſebij calcem*, vbi *Mazici* dicuntur. *Auxoriani*, quorum ſitus hic pariter deſcribitur, ſunt Auſoriani, de quibus eorúmque hoc ipſo tempore in Libyam Cyrenaicam Pentapolitanam incurſionibus, deprædationibus, Syneſius horum temporum ſcriptor & αὐτόπτης Cyrenes Libyæ Epiſcopus *epiſt.*57, 78, 193: & peculiari in id *Cataſtaſi* ſeu ὁμιλίᾳ, quâ id deplorat. Iidem vero illi cum Auſturianis, de quibus ſub Valente Marcellinus duobus locis, *lib.*26 *pag.*338: & *lib.*28 *pag.*404. Iidem denique cum iis qui inuerſis literis hodie *Saturiani* audiunt *Cod. Theod. l. vn. de Saturianis*, quæ hoc ipſo tempore data eſt: vbi dicam fusè.

Tertiò quartóque loco memorat Philoſtorgius *Tribigildi* vel Targibili & *Gainæ* per idem tempus motus, qui congruunt anno 398, 399 & 400. De his verò Claudianus *lib.*2 *in Eutropium*: Zoſimus *lib.*5 prolixe, quem noſter imitatus in multis videtur. Marcellinus, *chronico*: Socrates, *lib.*6

tes,*lib.6 cap.2:* Theodoretus,*lib.5 cap.32:* Sozomenus,*lib.8 cap.4:* Cedrenus.*pag.269:* Gainæ nominatim motus bellúmque ſcripſerunt olim carmine Euſebius Scholaſtiſticus, & Ammonius,teſte Socrate, *dict.lib.6 cap.6.* Quod de miraculo nominatim cœleſtis cuiuſdam viſionis Gainæ tempore Philoſtorgius memorat,de eo & Socrates *dict.lib.6 cap.6:* & Sozomenus *dict.lib.8 cap.4:*de Frauitta verò(qui aduerſus Gainam miſſus)vide & Eunapium, *in Eclogis legat.* vbi pariter paganum eum fuiſſe ſcribit,& Zoſimum *lib.5 p.796*, qui & id ipſum teſtatur: Socratem *dict.lib.6 cap.6 in fin.* De capite Gainæ Conſtantinopolim delato, ann. 401. vide & Marcellinum *Chronico*, & Chronicon Alexandrinum.

Tandem huius cap. fine memorat Philoſtorgius *Iſaurorum* ſub Arcadio incurſiones in Ciliciam, Syriam vtramque, Tracheiam, Pamphyliam, Lyciam, Cyprum, Lycaoniam, Piſidiam, Cappadociam, Pontum vſque; quæ referendæ ſunt ad A.D.405 & deinceps: de quo ipſe Zoſimus, *lib.5 pag.*802: Marcellinus, *Chronico*, ann.405: & Theodoſius Iun. ann.408, *l.vlt.Cod.Theod.de quæſtionib.* Sozomenus, *lib.8 cap.25.* In hoc autem prouinciarum iſtarum recenſu loco Θερακίαν legendum Τραχείαν: nempe *Tracheoten* ſeu Ciliciam Tracheam, Aſperam,cuius ciuitas Seleucia, intelligit, quæ & *Iſauria Tracheia* Candido *apud Photium,num.79.*

IN LIBRVM DVODECIMVM.

DE *Stelichonis* (ita apud Græcos ſemper Στηλίχων) cœde, & *Olympio* eius auctore, eſt hoc caput. Quâ de re ipsâ agunt Zoſimus, *lib.* 5: Olympiodorus *apud Photium, num.*80: Oroſius, *lib.*7 *cap.*38: Sozomenus, *lib.*9 *cap.*4 *in princip. & in fin.* Marcellinus *Chronico.* Vbi primò notandum (quod & Photius *hîc, & ſupr. lib.*11 *cap.*5 *in fin. & inf. cap.prox.* notat) Philoſtorgium aduerſus Stilichonem ſentire; quod reuerà ſcilicet is inſidias Honorio Imp. ſtruxerit, tyrannidíſque reus atque adeò iure cœſus fuerit: quod & *cap.prox.*2 magis adhuc inculcat, vbi ejuſce rei tria argumenta colligit: cui ſubſcribunt & Oroſius, *lib.*7 *cap.*38: Marcellinus, *Chronico*: Sozomenus, *dictis locis.* Quem tamen alij tyrannidis falſo inſimulatum, injuſtámque adeò cœdem eius fuiſſe contendunt, puta Gentiles ſcriptores, veluti Zoſimus, *lib.*5 *pag.*808, 809, 810, 811 *circa med.* & Olympiodorus *apud Photium.* Certè & ipſemet Photius hîc diſertè Stilichonem falsò tyrannidis accuſatum injuſtámque adeò cœdem eius alios contendere ait: quibus haud obſcurè ipſemet Photius ſubſcribit, *hoc & prox.cap.* & *lib.*11 *cap.*3 *in fin.ſup.* ibi, ὡς ἐκεῖ λέγει: Sozomenus *lib.*9 *cap.*4 nihil determinat, verùm ſuſpe-

ctum

ctum tantum fuiſſe ait, ὕποπτος ὤν: mox rumorem percrebuiſſe ait, φήμης διαδραμούσης, tandem ὑποτοπηθεὶς κακόνους εἶ. Verùm, Gentiles ideò ſcriptores ita ſenſêre, eò quod de Eucherio Stilichonis filio pagano ſpem conceperant de inſtaurandâ Gentilitiâ religione aduerſus Chriſtianos perſecutionem moliente, vt referunt Oroſius, *lib.7 cap.38*: & Marcellinus, *Chronico.* ¶ Nunc de Stelichonis cœdis auctore. Eum verò, vt alij, ita & Philoſtorgius Olympium Magiſtrum officiorum vocat. Nam quod Photius ait, alios hunc non Olympium verùm Olympiodorum vocare, id erroneum, & μνημονικὸν Photij ἁμάρτημα eſt. Cœtera nunc quæ de Olympio hic dicuntur excutiamus; & in quibus diſſenſus authorum fuerit. Primò ait Photius, ab aliis, Olympij huius benefactorem Stelichonem fuiſſe dici. Certe Olympiodorus quoq; hiſtoricus ait, Olympium per Stelichonem Imperatori factum fuiſſe familiarem, Ὀλυμπίου, ὃν αὐτὸς (Stelicho) τῷ βασιλεῖ προσῳκείωσε. Secundò quod Olympij dignitatem attinet, Philoſtorgius indicat eum quo tempore Stelichonem interfecit, Magiſtrum (officiorum ſcilicet) iam fuiſſe, cùm tamen alij, quod hîc à Photio additum, Olympium Magiſtrum tunc non fuiſſe, verùm poſt injuſtam demùm Stelichonis cœdem pro præmio hanc dignitatem nactum tradiderint. Certe qui injuſtam Stelichonis cœdem fuiſſe contendunt, id omninò affirmant: Zoſimus, *lib.5 pag.811*, Στιλίχωνος τελευτήσαντος &c. αὐτὸς (Olympius) τὴν τοῦ Μαγίστρου ἀρχὴν παρελάμβανε. Et Olympiodorus, *apud Photium*, Ὀλύμπιος ὁ ἐπιβουλεύσας Στιλίχωνα Μάγιστρος τῶν ὀφ-

φιλίων γέγονε, εἶτα ἐξέπεσε ἀρχῆς. Quidquid huius ſit, eo ipſo anno 408, quo Stelicho cœſus fuit menſe Auguſto, conſtitutio quædam Arcadij occurrit, data menſe Nouembri, puta *lex* 42 *Cod. Theod. de hæreticis*, ad hunc Olympium Magiſtrum officiorum data. Tertiò addit hîc Photius, à nonnullis ſcribi Olympium non diu poſt plumbatis cœſum interfectúmque. Id verò Olympiodorus quoq; ait, ῥοπάλοις παιόμενος ἀναιρεῖται. Nam quæ ex Zoſimo ſuperſunt, non vltra fugam eius in Dalmatiam procurrunt. Et adjicit Olympiodorus, aures ipſi prius reſectas fuiſſe: τὰς ἀκοὰς πρότερον ἐκκοπείς. Cauſa verò cœdis Olympij indicari hic videtur, nempe ob cœſum Stelichonem: in quo de diuino magis judicio eos de quibus ſenſit Photium cogitaſſe puto, quàm quod id Olympij crimen apud Honorium Imp. fuerit. Gentiles ſanè ſcriptores eum Chriſtianæ fermè religionis odio perſtringunt proſcindúntque: Zoſimus apertè, *lib.* 5 *pag.* 808, vt & Olympiodorus: quem contra (velut Catholicum) laudat quoque binis ad eum literis datis B. Auguſtinus *epiſt.* 124, 129. Ex his igitur iam patet, Gentiles & Chriſtianos in hoc diſſenſiſſe: Hi ſcilicet Stilichonem jure cœſum aiunt, & Olympium laudant: contra Gentiles Stilichonem non jure cœſum, & Olympium inſectantur. ¶ Ad Stelichonis cœdem redeamus, quomodo ea facta fuerit, & quo loco. Ait Philoſtorgius, Olympium arrepto manu gladio qui Imperatori in Palatio præferebatur, Stelichonem percuſſiſſe, Imperatorémque ſeruaſſe, & ſic συνεργὸν Imperatori extitiſſe ad Stelichonis cœdem, cùm

is *Rauennæ* ageret. Quod quidem nullus prætereà ad hunc modum narrat; nam etſi de Olympio conſentiant alij, Stelichonem videlicet eius operâ interfectum, quod Olympiodorus quoque & Zoſimus ſcribunt, attamen à militibus interfectum aiunt diſertè Oroſius *lib.7 cap.38*: Sozomenus *lib.9 cap.4*. Imò & Philoſtorgius ipſe, *ſuprà lib.11 cap.3 in fin.* vbi diſertè ait, exercitum acceptâ ab Imperatore teſſerâ eum interfeciſſe: ὁ, τὸ σύνθημα παρὰ τοῦ βασιλέως δεξάμενος στρατὸς ἀποσφάττουσιν. Qui ita ſibimetipſi conciliandus videatur, quod initio facto ab Olympio exercitus Stelichonem interfecerit. At Zoſimus *lib.5 pag.813* diſertè Stelichonem *Heracliani* manu interfectum ſcribit, eiúſque facinoris præmium Magiſterium militum Africæ retuliſſe. De loco conſentiunt omnes, nempe id Rauennæ factum, quò Stelicho confugerat, & in his Zoſimus, *lib.5 pag.809, 810*: Sozomenus, *lib.9 cap.4*. ¶ Hîc interim notandum, quod dicitur de gladio Imperatori in Palatio prælato. De quo poſteriore æuo Codinus, *de offic. aulæ Conſtantinop.*

¶AD CAP. II. *De Stelichone Tyrannidis reo, & Alaricho ſeu Gothis in orbem Rom. immiſſis.*

De affectatâ à *Stelichone Tyrannide* (de quâ ſuprà jam *cap.ſuper.* & *lib.11 cap.3 in fin.*) pergit Philoſtorgius hoc capite: quo tria in id argumenta colligit; ad eum ſemper finem, vt Stelichonem Eucherio filio ſuo Imperium aptaſſe probet. De ipſo primùm fine, tum deinde de tribus illis argumentis videamus. Circa finem conſentiunt Chriſtiani ſcriptores: Oroſius, *lib.7 cap.38*: Sozo-

menus, *lib.5 cap.4*: Marcellinus, *Chronico*. Gentiles verò ſcriptores nil tale memorant. Imò Zoſimus, *lib.5 pag.80*, modeſtiam Stelichonis commendans ait, eum cùm vnius filij pater eſſet hanc ei dignitatis metam ſtatuiſſe, vt ad officium Tribuni Notariorum prouecto nullam aliam poteſtatem tribueret. Sequuntur tria argumenta Tyrannidis affectatæ à Stelichone, atque adeò tria eius crimina. Primum, quod Alarichum Gothum in orbem Romanum, & quidem Honorij, immiſerit, eíque adeò Alpium clauſtra reſerauerit (Alanos, Sueuos, Vandalos pariter immiſſos à Stelichone nonnulli addunt) Quod ipſum produnt Oroſius, *lib.7 cap.38*: & Sozomenus, *lib.9 cap.4*. At contrarium planè Zoſimus, *lib.5 pag 802, 803, 805*: & Olympiodorus, *apud Photium pag.180*, quorum ille ait, Stelichonem, cùm videret eos qui Arcadij imperium adminiſtrabant, infeſto erga ſe animo eſſe, cum Alaricho pactum, de Illyrici vrbibus Honorij imperio adjiciendis. Hic verò, euocatum Alarichum à Stelichone, vt Honorio Illyricum armis teneret, eò quod hæc illi prouincia à patre Theodoſio in regni partitione obuenerat. Et Photius quoque ipſe à Philoſtorgio hîc apertè ad Gentiles abit, his verbis *ὡς οὗτος λέγει*. Secundum argumentum Tyrannidis à Stelichone affectatæ, ſeu ſecundum Stelichonis crimen Philoſtorgius hoc addit, quod Honorio *venenum* propinauerit: Quod certe vnus Philoſtorgius habet. Tertium, ídque apertiſſimum argumentum Tyrannidis à Stelichone affectatæ memorat Philoſtorgius, quod auſus ſit etiam *Numiſma* (Imperato-

ratorium) ſolâ formâ exceptâ cudere: quod & ipſum nemo alius memorat. Neque etiam nummi quod ſciam vlli Stilichonis hodie reperiuntur. Cùm autem Philoſtorgius νόμισμα ait, auream monetam intelligit: μορφὴν verò, habitum Imperialem. Græcis ſcilicet νόμισμα eſt ſolidus aureus. ¶Duo interim obiter hîc notanda veniunt: Primò, Alarichi è Thraciâ in Italiam itinerarium, vnde ſcilicet, & per quas prouincias Italiam irruperit: nempe ex ſuperioribus Thraciæ partibus per Græciam, Athenas, Macedonas, Dalmatas, Illyricum. Secundò exprobrat Philoſtorgius Stelichoni, quod cùm Honorium generum haberet (poſt Eudoxiam quippe defunctam, duxerat Honorius primo Mariam, deinde Thermantiam, Stelichonis filias) affectatâ Tyrannide pro filio Eucherio, ſibi ipſi injuriam faceret, quod videlicet ſpretâ legitimâ ſucceſſione, cuius ſecundum jus nepoti ex filiâ ſpes repoſita erat, τῆς κατὰ διαδοχὴν καὶ θεσμὸν βασιλείας περικπείζων καὶ ζημιούμενος, Eucherium filium contra jus, παρανόμως, Imperatorem facere conaretur. Quæ elegans alioquin ſententia eſt, & ad Iuriſconſultorum mentem proximè accedens, qui alienas ſucceſſiones propriis præferri, neque ferunt, neq; præſumunt: Eúmq; qui id faciat, non ſuis tantum neceſſitudinibus, verùm ſibimetipſi injuriam facere pronunciant: vt qui naturæ vim inferat, ſucceſſionúmque ordinem turbatum eat.

¶AD CAP. III. *De geſtis in Italia poſt Stelichonis cædem, vel ab Alaricho, vel circa id tempus, &c.*

De geſtis in Italia poſt Stelichonis cædem, ejúſque

occaſione ab A.D.409, vel ab Alaricho ipſo,vel circa id tempus, déque Alarichi tandem ipſius morte, eſt hoc caput. Quibus conjungenda & ea quæ continentur duobus capit.ſequentibus 4. *&* 5, quæ continuâ ſerie & Hiſtoriæ lege rectè tanquam ad eandem hiſtoriam pertinentia ad annum vſque Domini 418 narrantur: ne diuiſa alioquin ad memoriam minùs facerent. Capite verò 6 ad temporum ordinem redibit Philoſtorgius. *Poſt Stelichonis*,inquam,*cædem*. vt ait Philoſtorgius. Imò in partem ob Stelichonis cœdem., vt Gentiles ſcriptores,& in his Olympiodorus teſtatur, διὰ τὸν φόνον Στελίχωνος: & mox τοῦ μὲν Στελίχωνι τιμωρουμένου: vt mox poſt Eucherium Stelichonis filium ſublatum, διὰ ταῦτα &c.

Narrat igitur primùm Philoſtorgius ea quæ circa Eucherium Stelichonis filium ejúſque occaſione tranſacta fuerint. De nece equidem eius agunt omnes, ſed varias & ſingulares circumſtantias addit Philoſtorgius. Nempe ait, Gothos Eucherium excipientes Romámque appropinquantes permiſiſſe, vt in quoddam Eccleſiæ aſylum confugeret, mox quæ circa vrbem Romam erant depopulatos, nihilominus tamen Eucherium ad Honorij literas interfectum, quæ aſylo potiores fuerint, ἐπ' Ονωρίου γράμμα κρεῖττον τῆς ἀσυλίας γενόμενον. De hac Eucherij fugâ Romam, & quidem in Eccleſiam quandam vrbis Romæ, conſentit quoque Zoſimus, Gentilis ſcriptor, *lib.5 pag.8.0, circa fin. &* 811, *circa fin.* vbi etiam ſcribit, cùm Honorius Eucherium perueſtigatum vndíque jugulari juſſiſſet, eos qui fuga eum in Eccleſiam quandam vrbis Romæ

Romæ delatum compererant, ob loci reuerentiam, διὰ τὴν τοῦ τόπου τιμὴν, miſſum feciſſe: mox tamen, Terentium & Arſacium Eunuchos Honorij juſſu Eucherium interfeciſſe. Porrò Stilichonem quoque ipſum Rauennæ in Eccleſiam profugum dolo pariter inde abductum ad literas pariter Imperatoris capite truncatum narrat idem Zoſimus, *lib.5 pag.*810: de quo plura apud Chryſoſtomum, & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcriptores alios.

Sequitur Hiſtoria *de Româ* ab Alaricho capta: quâ de re Zoſimus *lib.*5: Oroſius, *lib.*7 *cap.*39, 40: Olympiodorus, *apud Photium*: Socrates, *lib.*7 *cap.*10: Sozomenus, *lib.9 cap.6*, 7, 8, 9: Marcellinus, *Chronico, ann.*410: aliíque recentiores, & in his Cedrenus: vbi ea quæ inuaſionem Vrbis præceſſerunt, primo loco notanda veniunt. Ait igitur initio, Gothos ea quæ circa vrbem erant depopulatos, tum vindicandæ Stelichonis neci, tum quia fame premebantur: mox Eucherio ſublato, & propter id, ad bellum aduerſus Romanos cum impetu progreſſos: de quibus vide Zoſimum *lib.*5 *pag.*812 *in fin.* 813. & *lib.6 pag.*827. Poſt hæc occupatum à Gothis *Portum vrbis* Romæ ait, & exinde *Romam* ipſam frumenti inopiâ aliíſque machinis obſeſſam: de quo vide Zoſimum, *dict.lib.5 & 6*, ex quo petenda quæ hîc multa deſiderantur, quæque tranſacta ante hanc Romæ irruptionem, per annum & quod excurrit. De hac primâ Portus, dein & Vrbis Romæ à Gothis irruptione, vide & Socratem, *lib.*7 *c.*10: Sozomenum, *lib.9 cap.*6, 8. Obiter verò hic notanda ea quæ Philoſtorgius hîc ſcribit de *Portu vrbis Romæ*. Primò ait, annonam

publicam,ſeu frumẽtum vrbis Romæ,ex veteri more ibi conditam fuiſſe,quod alij quoque monent vel indicant: de quibus conditis Portuenſibus, aliiſque quæ eò pertinent, veluti horreis,ſaccariis, &c. dico plenè ad *Codicem Theodoſianum.* Zoſimus quoque *dict.pag.* 827, τὸν δὲ λιμένα καταλαβὼν, &c. κύριος τούτου καταστὰς, πᾶσαν δὲ αὐτόθι τὴν τῆς πόλεως τροφὴν ἀποκειμένην εὑρὼν, &c. Secundò deſcribit hunc Portum V. R. graphice Philoſtorgius, & ex eo Nicephorus, tacito Philoſtorgij nomine, *lib.*13 *cap.*35 *pag.* 421, aítque non tantum quod id vrbis Romæ νώειον fuerit, quomodo & Sozomenus *lib.*9 *cap.*6, verùm & tribus portubus id circumſcriptum fuiſſe : ἀπὸ τοῦ Πόρτου, ὧδε γὰρ ὀνομάζουσι τὸ Ῥωμαίων ἐπίνειον, μέγιστον, λιμέσι τρισὶ περιγραφόμενον, καὶ εἰς πόλεως μικρᾶς παρατεινόμενον μέγεθος : *maximum* ſcilicet *nauale, tribus portubus circumſcriptum, inq; paruæ ciuitatis magnitudinem extenſum.* Eius figuram aliquam alioquin exhibet in amphitheatri ſpeciem Itinerarium Peutingerianum, vna cum Pharo, quæ ibi erat (cuius meminit Ioſephus *de bello Iudaico*: Suetonius Claudio *cap.*20: & Dio *lib.*60: Iuuenalis, *ſatyr.*12: Flaccus, 5. Ἀργον.) Quod de tribus portubus ait Philoſtorgius, quo Portus vrbis Romæ conſtabat, id accipiam ego de tribus molibus turrium altitudine in eo exædificatis, ad quas ſingulas moles proculdubio portus ſinguli erant: Plinius *lib.*16 *cap.*40: *Ibi* [in Oſtienſi portu] *demerſa eſt* [abies] *à Claudio Principe cum* TRIBVS *molibus, turrium altitudine in eà exædificatis obiter Puteolano puluere aduecto.*

¶ Inde jam ſecundo loco Philoſtorgius agit de ipſamet vrbis Romæ inuaſione, déque iis quæ ab Alarico

larico ibi facta: Duo vero memorat. Primo, Alarichum Romanis decernentibus (quod eis permiſerat) Attalum Imperatorem inauguraſſe. De hoc verò Attalo Imperatore facto reliqui etiam ſcriptores, Oroſius, *lib.7 cap.42*: Zoſimus, *lib.6 pag.827* : Olympiodorus, *apud Photium*: Sozom. *lib.7 cap.8* : Procopius, 3 *Vandalicorum pag.93, 94*, aliíque. Quod verò ait Philoſtorgius, Alarichum id Romanis permiſiſſe, Zoſimus ait juſſiſſe, κατὰ τὸ κελευόμενον: Sozomenus etiam, & ex eo Nicephorus, coëgiſſe, βιάζεσθαι Ῥωμαίους: Procopius ait, conſtituiſſe αὐτόν. Quod tempus attinet, Olympiodorus ait, ante vrbem captam, πρὸ τῆς ἁλώσεως, Attalum ab Alaricho Imperatorem renunciatum. Zoſimus quoque, vbi dixit, Romanos tandem Alarichum ad vrbem arceſſiſſe, ſubjicit, *continuo ac veluti juſſi fuerant Attalum ſublimem in Auguſto ſolio purpurâ coronaq́ cinctum collocaſſe.* De hoc verò Attalo tria addit Philoſtorgius. 1. De *Patriâ* eius, eum videlicet Ionem fuiſſe. 2. De Religione, eum paganum fuiſſe: Sozomenus certè quoq; *lib.7 cap.9* ſcribit, Attalo depoſito & Paganos & Arianos indoluiſſe: illos, quia Attalum palàm paganiſmum amplexurum, ipſiſque templa feriáſque & victimas reſtituturum prorſus exiſtimabant, conjecturâ ductâ ex Attali propoſito, prioréque educatione, τῆς Ἀττάλου προαιρέσεως καὶ τῆς προτέρας ἀγωγῆς (vbi προαιρέσει pro προτέρᾳ αἱρέσει, ſeu αἱρέσει ἐξ ἀρχῆς, priore inſtituto) hoſce verò, Arianos ſcilicet, quia ſperaſſent ſeſe Eccleſiis rurſum potituros, ſicut ſub Conſtantio & Valente: propterea quod Attalus à Sigeſario Gothorum Epiſcopo (cuius Sigeſarij Epiſcopi me-

minit quoque Olympiodorus *apud Photium, decad.2. pag.* 188) baptizatus fuiſſet, ipſiſque omnibus ideò charus eſſet, & Alaricho. Ergo ex pagano, Chriſtianum, & quidem Arianum, hoc tempore nominatim fuiſſe Sozomenus vult: Quem paganum facit hîc Philoſtorgius. 3. De dignitate Attali Philoſtorgius ſcribit, eum Præfectum vrbi tùm extitiſſe: quod poſtremum & alij ſcribunt: Zoſimus, *d. pag.* 827: Olympiodorus, *apud Photium:* Sozom. *lib.9 cap.8:* τῶν ἐπιτειδῶν τινα tantum vocat Procopius.

Alterum quod Romæ ab Alaricho factum, iſtud eſt, quod annonam Romanis ſibi ex Portu conuehere permiſerit: Romanis inquam, & vt Philoſtorgius ait, Romanorum reliquiis, λειψάνῳ, quas fames ipſa & ſuimet ipſorum comeſtio reliquas fecerat: de quâ fame Romanorum & ἀλληλοφαγίᾳ creditâ & cœteri ſcriptores, Zoſimus, *lib.6 pag.*830: Olympiodorus, *apud Photium, pag.*180: Sozomenus, *lib.9 cap.*8: Hieronymus *epiſt.16.* Sic tamen vt ſerius nonnulli eam referant. Et hæc quidem hactenùs Philoſtorgius de his quæ Romæ facta ab Alarico, prima inuaſione, cùm longe plura alii memorent.

¶ Tertio loco narrat Philoſtorgius ea quæ Alaricus poſt primam illam vrbis Romæ inuaſionem Româ profectus fecerit. Primò igitur ait, Alarichum Attalo adſumpto, Ducíſque munus ei præſtantem, Rauennam aduerſus Honorium exercitum mouiſſe: de qua Alarichi cum Attalo expeditione Rauennam agunt Zoſimus, *lib.6 pag.*828: Olympiodorus, *apud Photium, pag.*181: & Sozomenus, *lib.9 cap.8 pag.*482 *in fin.* Procopius, *dict. lib.*3.
Interim

Interim notandum quod ait, Alarichum Ducis munus ei præſtitiſſe. Sozomenus quoq; ſcribit, *lib.9 cap.8*, Attalo Imp. facto, Romaniſque adeò ad aliud Imperium tranſlatis, Alarichum conſtitutum vtriuſque exercitus Ducem, χειροτονεῖται Ἀλάριχος στρατηγὸς ἑκατέρας δυνάμεως, id eſt, Romanorum & Gothorum: vide eundem *dict.cap.8 pag. 482 in fine.* Addit Sozomenus, & Ataulphum (de quo poſteà) conſtitutum ἡγεμόνα τῶν ἱππέων δομεστικῶν καλουμένων.

Secundo ait, Attalum Honorio mandaſſe, vt priuatam vitam eligeret, id eſt, Imperio decederet, & ſic corporis extremitatum abſciſſione totius corporis ſalutem redimeret, καὶ τῇ τοῦ σώματος ἀκρωτηρίων τῇ περιτομῇ τὴν τοῦ ὅλου σωτηρίαν ὠνήσασθαι: id quod Nicephorus hinc quoque exſcripſit, *lib.13 cap.35 pag.423.* Sic etiam Olympiodorus, *apud Photium, pag.181*: Sozomenus, *lib.9 cap.8* ſcribit, ad Honorij legationem, quâ Imperij participatum Attalo offerebat, Attalum negaſſe ſeſe Honorium Imperij conſortem admiſſurum, Honorióque ſignificaſſe vt locum eligeret quem vellet, ſiue inſulam ſiue quem alium, in quo priuatus degeret omni Imperatorio cultu depoſito. Zoſimus quoque, *lib.6 pag.828*, ad Honorij legationem quâ Imperij ſocietatem Attalo offerebat Iouium ab Attalo Præfectum Prætorio conſtitutum reſpondiſſe, ne nomen quidem Imperatoris Attalum Honorio relicturum, imò ne integrum quidem corpus, verùm in inſulam aliquam eum relegaturum, & prætereà parte aliquâ corporis mutilaturum. Vbi valde dubito, Zoſimum deceptum in hís quæ narrat de reali corporis mu-

tilatione, cùm figuratè tantum ad eam ſiue Iouius ſiue Attalus alluſerit: hoc ſenſu, Imperium potius deponeret Honorius, quod τῦ σώματος ἀκρωτήριον figuratè dixit, ſaluâ vitâ corporéque, quam τῦ ὅλυ σωτηρίαν vocat. Quemadmodum & in eo Zoſimus ab Olympiodoro diſcedit, quod hic Iouium ſeu Iouianum hoc tempore Honorianarum partium facit: Zoſimus verò, Attali.

Tertiò ait Philoſtorgius, Sarum cum Alaricho congreſſum prælio ſuperiorem euaſiſſe, & Alarichum Rauenna propuliſſe. Zoſimus, *lib.6 pag.*829 ſic narrat, quaſi vltrò Rauenna receſſerit: de Saro verò hoc Zoſimus, *lib.* 5 *pag.*806, 810, 812: & *lib.6 pag.*824, 8:5, 831: Olympiodorus, *apud Photium, pag.*180: Sozomenus, *lib.9 cap.9 & 15.*

Quartò ait, Alarichum poſtquam à Saro Honorij Duce Rauenna pulſus fuiſſet, Portu occupato Attalum Imperio exuiſſe. De hac Attali per Alaricum depoſitione Zoſimus, *lib.6 pag.*830: Olympiodorus, *apud Photium, pag.*181: Sozomenus, *lib.9 cap.*8 *in fin.* Procopius, *dict. lib.*3 *pag.*94. Ait verò Philoſtorgius, Alarichum Portu occupato id feciſſe: quod cœteri ſilent: Zoſimus, *lib.6 pag.* 830 illud hactenus dicit, Attalum Imperio exutum ab Alaricho extra vrbem Ariminum, in qua tunc commorabatur. Sozomenus, etſi dicat pariter, *lib.9 cap.*8 *in fin.* Attalum ante ciuitatem Imperij inſignibus exutum, attamen ciuitatis nomen non exprimit. Quod verò de Portu hic dicitur, non de Portu vrbis Romæ accipiendum eſt, de quo ſuprà, verùm de *Portu Rauennæ*, qui olim ab Auguſto conſtructus tertio ab ipſa vrbe miliario Arimi-

Ariminum verſus, qui *Portus nouus* dictus, & *claſſis*, cuius mentio apud Sidonium Apollinarem *lib.1 epiſt.5.* Iornandem, in *Gothicis.* Et verò hoc eſt ipſum quod Sozomenus ſcribit *lib.9 cap.9*, loco alioquin corruptiſſimo, nempe Alarichum cùm veniſſet ad Alpes, qui locus ait plus minus 60 ſtadiis diſtat à Rauennâ, Attalo depoſito cum Imp. de pace egiſſe: vbi feliciter Doct. Cluuerius repoſuit, τὰς Ἄλπεις, τὰς Κλάσσεις: *Claſſis* idem cum Portu: Claſſis enim oppidum in Portu illo: vide Procopium *Gothi.cap.3. Agathiam* 1. Iornand. *Gothicis*, Paulum *Diaconum.* Quare de feliciſſima Sozomeni reſtitutione dubitari amplius non poterit, hoc nouo jam Philoſtorgij argumento.

¶ Cauſas porrò varias memorat Philoſtorgius Attali depoſiti: Quoſdam ſcilicet Imperio exutum dicere, quod accuſatus fuiſſet quaſi Alaricho non faueret: alios verò memorare, quod cogitaſſet fœdus cum Honorio facere, & quod impedimento ei eſſe videretur. Cœteri hanc cauſam reddunt, quod in Africa aduerſus Heraclianum vindicanda conſilium Alarici ſecutus non fuiſſet, cùm intereà Roma ideò fame laboraret, quódque Deus manifeſtè Attali imperio aduerſaretur: Zoſimus, *lib.6 pag.829, 830:* Sozomenus, *lib.9 cap.8 in fin.* Quibus ſimilia & Procopius *dict. pag. 94*, vbi interpres *ob ignauiam* inſerit, quod in Græco non eſt.

Quintò ait, Alarichum poſt Attali depoſitionem Rauennam reuerſùm, fœderáque cum Honorio oſtentaſſe, verùm à Saro repulſam tuliſſe, additis quæ hic ſubjici-

untur: De prioribus duobus Zoſimus quoq; conſentit *extremo lib.6 pag* 833: Sozomenus, *dict.lib.9 cap.19*, loco de quo paulò ante. Quod tertium attinet, de Saro à quo Alarichus repulſam retulerit, Sozomenus, *lib.9 cap.9* ait, Sarum repente cum ſuis irruentem, nonnullos ex Barbaris interfeciſſe. Zoſimus quæ dixerit nos jam neſcimus, quando ea hîc interciderunt: hactenùs illud Zoſimi reliquiæ ingerunt, Sarum Piceno digreſſum, cum Ataulpho ſeſe imparem ſentiret, ad Honorium profugere ſtatuiſſe, cúmque eo belli aduerſus Alarichum gerendi ſocietatem coire.

Et hactenus quidem de his quæ tranſacta inter primam & ſecundam vrbis Romæ inuaſionem. Nunc de ſecunda illa inuaſione. Ait Philoſtorgius, Alarichum iratum, quod poſt Attalum dejectum pacémque oſtentans à Saro Honorij Duce ſpretus fuiſſet, velut hoſtilem jam vrbem Romam inuaſiſſe. Eodem planè modo Sozomenus, *lib.9 cap.9*, poſt Sari factum illud, Alarichum quà metu quà irâ percitum eadem viâ reuerſum, vrbem Romam obſidione cinctam per proditionem cepiſſe. De hac altera verò & hoſtili quidem jam vrbis Romæ inuaſione, ſcriptores alij paſſim. Duo tantum circa eam hîc prodita expendamus. Prius pertinet ad temporis *στοιχείωσιν*: nempe ait, hanc alteram Romæ inuaſionem factam poſt annum prioris ad Portum (vrbis Romæ ſcilicet) acceſſus; congruit ſcilicet hæc anno Domini 410: prior anno 409. Et verò hæc ita diſtinctè ſeparanda ſunt, quæ à multis alioquin commiſcentur, ſic vt prioris inuaſio-

inuaſionis tempore facta complurima ad hanc poſteriorem trahantur, veluti Attali in Imperatorem creatio, aliáque complura. Et certe nemo eſt, quantum equidem teneo, qui clarius hæc & diſtinctius ſuis quæq; temporibus ediſſeruerit, quàm Philoſtorgius, cui adde ſis & Olympiodorum. Poſterius eſt de clade & vaſtitate quam paſſa eſt vrbs Roma hac altera Gothorum inuaſione: nempe & igne & gladio ſæuitum: Hanc verò cladem deflent veterum multi.

Poſt hæc jam de Alarichi in Campaniam profectione, deprædatione, ejuſdémque ibidem morte agit Philoſtorgius: de quo Iornandes *Geticis cap.* 30. & hiſtoriæ miſcellæ auctor, ſiue is Theophanes, ſiue Ioannes, ſiue Paulus Diaconus, *lib.*13: Palladius, *dialogo* 13. vide & Auguſtinum *lib.*1 *de ciuitate Dei* 10. Neque Campaniam tantum deprædatus Alaricus, verùm & Lucaniam, & Bruttios: Palladius *dicto loco*, & Iornandes *dict. loco*, & hiſtoria miſcel. *dict. lib.* 13: indéque jam è Rhegio Brutiorum metropoli in Siciliam trajicere parabat. Olympiodorus, *apud Photium, pag.* 181: & hiſtor. miſcell. *dict. lib.* 13: qui & apud Conſentiam mortuum addit.

¶AD CAP. IV. *De Adaulpho Rege Gothorum, & Placidiæ cum eo nuptiis*, &c.

De *Adaulpho* Rege Gothorum qui Alarico ſucceſſit, & *Placidiæ* cum eo nuptiis, & de *Conſtantio* eam ambiente, tandem & de Adaulphi morte, eſt hoc caput.

Primò ait Philoſtorgius, Adaulphum vxoris Alarici fratrem fuiſſe: quod ipſum tradit quoque Zoſimus, *lib.* 5

*pag.*813, *in princip.* Olympiodorus *apud Photium pag.*179: & Sozomenus *lib.*9 *cap.*8 (vbi malè Interpres *ſororis Alarici maritum* vertit.)

Sequitur ſecundo loco narratio de contentione inter Adaulphum R. Gothorum & Conſtantium Patricium ſuper Placidia Honorij ſorore vxore ducenda: Quæ duabus lacunis hiulca difficilem eius ſenſum præbet: De eâ verò re Olympiodorus prolixè apud Photium *pag.*185 *duobus locis:* déque nuptiarum tandem inter Adaulphum & Placidiam ſolemnitate *dict.pag.*185, *in fin.* & *pag.*188 *in princ.* & Idacius *Chronico, ann.*414: & de Theodoſio filio ex ea ſuſcepto, *dict.pag.*188. Inter alia verò agitur hîc de fœmina quadam Sarmatici & Oſtrogothici generis (nam ita pro Οστρακίτῳ legam hîc Οστρογοθίνῳ) quam ſcilicet Conſtantius Adaulpho ingeſſiſſe videtur, vt Placidiam ſibi remitteret.

Tertium caput eſt de cœde Adaulphi. Nempe ait, eum iræ deditum, multáque per iram molitum, à quodam domeſtico interfectum: de quo ipſo Olympiodorus *apud Photium pag.*188: vbi *Dobbium* eum vocat natione Gothum: Oroſius quoque *lib.*7 *cap.*43 dolo ſuorum occiſum ſcribit, & Iornandes *Geticorum cap.*31: vbi *Vernulfum* vocat. Idacius *Chronico, ann.*416: Chronicon Alexandrin. *ann* 415 id refert. Poſtremum caput eſt de his quæ poſt Adaulphi cœdem à Gothis facta ſunt; & duo quidem. Primò ait, Gothos ad Honorium feſtinantes, & Placidiam ſororem ei reſtituiſſe & Attalum ei ſtitiſſe. De Placidiæ reſtitutione (ex Adaulphi quoque morientis man-

mandato) Olympiodorus *apud Photium*, *pag.* 188 *in medio*, *&* 189. *circa fin.* Oroſius *lib.*7 *cap.* 43: Proſper, *Chronico*: Idacius, *Chronico*, rectè *ann.*416: Marcellinus *Chronico ann.* 414: Iornandes *Geticorum cap.*32: mox *ann.*417 deſponſa Placidia Conſtantio, teſte Olympiodoro *apud Photium*: De Attalo Honorio exhibito à Gothis poſt Adaulphi mortem, Oroſius, *lib.*7 *cap.*42: Proſper id refert ad *ann.*417: Marcellinus *Chronico* malè ad *ann.* 412: Chronicon Alexandrinum rectè ad *ann.*416, de quo mox. Inuicem verò Gothos duo accepiſſe narrat Philoſtorgius: Primo quidem ait, eos annonis donatos. Nempe ſexcenta millia modiorum frumenta ad Valiam Gothorum R. miſſa, quod disertè ſcribit Olympiodorus *apud Photium*, *pag.*189 *in fine*: cùm jam anteà Adaulpho σιτοπομπία quædam promiſſa fuiſſet, & quia ea præbita non fuerat, hunc Placidiæ retinendæ prætextum Adaulphus habuit, eodem Olympiodoro teſte, *pag.*185. Secundò ait, Gothos portionem aliquam Galliarum ad inhabitandum adeptos. Scilicet per Conſtantium ad Gallias ex Hiſpaniâ (quò pulſi à Conſtantio antea fuerant) reuocati, ſedes in Aquitanica à Toloſa ad Oceanum vſque acceperunt, teſte Proſpero *in Chron.ann.*419: Marcellino, *Chronico*, A. D, 418.

¶AD CAP. V. *De Roma instaurata, & de Attali pœna.*

De *Româ* rurſum inſtauratâ poſt Gothorum vaſtitatem ſub Honorio Imp. *Attaliq;* pœna eſt hoc caput. Ait Philoſtorgius, quod Nicephorus exſcripſit, *lib.*13 *cap.*35 *pag.*424, tacito, vt alias fermè, Philoſtorgij nomine, hoc

tempore Romam à multis malis reſpiraſſe incoliſque eam rurſum cœpiſſe, & Imperatorem Honorium cum eò veniſſet, & manu & lingua vt inhabitaretur effeciſſe, *χειρὶ καὶ γλώττῃ τὸν συνοικισμὸν ἐπιχειροῦντι.* Sic & Olympiodorus, *apud Photium, pag.*188, addito temporis characteriſmo, ait, cum Albinus Præfectus vrbi eſſet, Romam ad priſtinum ſtatum redire cœpiſſe, multitudine iam ciuium aucta, quare Albinum ad Honorium Imp. ſcripſiſſe, quòd annonæ modus qui populo erogabatur non amplius ſufficeret, *μὴ ἐξαρκεῖν τὸ χορηγούμενον μέρος τῷ δήμῳ,* cuius numerum ibidem refert. Id verò congruit A.D. 414, quo *Albinus* Præfectus vrbi erat: cui certè eo anno inſcribitur *lex vlt. Cod.Theod. de nauicul.* quæ & ipſa lex ad annonam vrbis Romæ pertinet: cuius alioquin Albini Præfecti vrbi meminit quoque Rutilius Numatianus *Itinerarij lib.*1, *à v.*460. Proſper Honorij Romam ingreſſum malè refert ad ann.418, qui nobis 417.

Sequitur narratio de *Attali* pœna (quod & Nicephorus contraxit, *lib.*3 *cap.*35 *pag.*423, *lit.c*) In qua tria notanda veniunt. Primo temporis ratio. Rectè Philoſtorgius id refert poſt Adaulphi mortem, cùm & Placidia Honorio reddita, & Attalus exhibitus fuiſſet, quod vtrumque factum à Vallia ann. 416: de quo *ſuprà.* Expreſsè Chronicon Alexandrinum ann. 416, Theodoſio 7, & Palladio COSS: Ἐπετελέσθη θέατρον, θεωρήσαντος Οὔρσου ἐπάρχου πόλεως, ὑπὲρ τῶν ἐπινικίων τῶν κατὰ Ἄτταλον τύραννον μηνὶ Δεσίῳ τῇ πρὸ δ' Καλανδῶν Ἰουλίων. Ergo A.D. 416 cum Vrſus Præfectus vrbi eſſet: cui eo anno inſcribuntur *lex* 180 *Cod.Theod. de decurionib.*
lex 2

lex 2 de frumento vrbis Conſtantinop. Subjicit Chron. Alexan. ob eandem victoriam ludos equeſtres in Circo Nonis Iuliis actos iiſdem coss. Malè verò Marcellinus id refert ad ann. 412, vt & Nicephorus ſub Alaricho. Secundò, judicij ſuper Attalo ratio & ſolemnitas hic notanda eſt: nempe ait, Honorium Tribunali conſcenſo, juſſiſſe, vt Attalus proximum ſibi gradum conſcenderet: ὑπὸ δὲ βήματος ἀναβὰς ὁ τὴν πρώτην αὐτοῦ βαθμίδα τὸν Ἄτταλον διαβαίνειν ἐπέταξε. Scilicet Tribunal vt in commune Illuſtrium & excelſorum Iudicum (de quibus *ſuprà lib. 3 capituli.*) ita Imperatoris maxime editum fuit, quod variis gradibus conſcendebatur: de quo dixi ad *dict. cap.* Quare cùm ſupremum gradum, quæ ſedes Imperatoris erat, Honorius conſcendiſſet, proximum ſibi gradum occupare Attalum idem voluit, velut ſub pedibus ſuis iam collocatum: de quo nonnulla in hanc ſententiam ſubjecerat Philoſtorgius quæ hîc deſiderantur. Sed Nicephorus hæc ita reddidit, Ἄτταλος ὑπὸ πόδας βήματος προστεθέντος γεγονὼς Ὁνωρίου. Proſper quoque in Chronico A. D. 417 ſcribit, *Honorium triumphantem Romam ingreſſum præeunte currum eius Attalo.* Tertio loco ipſa Attali pœna à Philoſtorgio deſcribitur: Nempe ait, & ex eo Nicephorus, duobus dexteræ manus digitis amputatis & in his *lichano*, id eſt indice digito, eum in inſulam Liparam in exilium miſſum, neceſſariis ei ad vitam præbitis. De exilio in Liparam inſulam concinit quoque Proſper, *Chronico, dict. ann.* 418, qui nobis 417. *De cætero truncatam ei manum* aiunt Oroſius, *lib.* 7 *cap.* 42: Marcellinus, *Chronico, ann.* 412: Olympiodorus,

apud Photium. pag 181, de dextræ digitis indiſtinctè : καὶ μετὰ ταῦτα ὕστερον ἐπὶ Ῥάβενναν παραγενομένους καὶ τοὺς τῆς δεξιᾶς χειρὸς δακτύλους ἀκρωτηριασθεὶς ἐξορίᾳ παραπέμπεται. Quod tandem locum attinet, id omne Rauennæ factum aiunt Olympiodorus & Nicephorus.

¶ AD CAP. VI. *De Iouiano & Sebaſtiano, & tertio quodam Tyranno.*

De *Trium Tyrannorum* exitu ſub Honorio, eſt hoc caput. Primò quidem de *Iouiano* (qui aliis Iouinus) & *Sebaſtiano* Tyrannis cœſis : quâ parte concordant & cœteri ſcriptores, Olympiodorus, Oroſius, Marcellinus *Chronico*, Sozomenus, &c. ſed & de Iouino agit quoque Renatus Profuturus Frigeridus apud Gregor. Turon. *lib.*2 *cap.* 9. Quod tertium Tyrannum attinet, excidit quidem hîc eius nomen, verùm de eo tria dicuntur: eum imitatum duos ſuperiores, cum pleno fortunæ riſu ſubuectum, eum illuſtriorem nactum cataſtrophē. Certe, varij hoc tempore Tyranni exorti, in his Conſtantinus, Maximus, & Heraclianus, de quibus Tyrannis omnibus vt alij ſcriptores agunt, ita Oroſius vno eodémque capite eorum catalogum pariter contexuit *lib.*7 *cap.* 42 : & Sozomenus quinque capitibus de iis agit *lib.*9 *cap.*11, 12, 13, 14, 15 : Verùm de Heracliano potiſſimùm illud accipiam quandoquidem Philoſtorgius eum de quo hîc egerat, vt dixi, imitatum ait Iouianum & Sebaſtiānum : Atquin Conſtantinus & Maximus ante eos exorti : Sed & Heraclianus in ſublime ſubuectus cataſtrophen illuſtriorem nactus eſt : ſiquidem retentâ in Africâ vrbis

Romæ

Romæ annonâ, ingentíque nauium numero aduerſus Honorium vrbémque Romam tendens, in fugam nihilominus verſus, arreptáque naue ſolus Carthaginem reuerſus, ibi hoſtis publicus judicatus capitéque plecti juſſus, in æde Memoriæ miſſis ab Honorio percuſſoribus interfectus fuit: de quo Oroſius, *lib.7 cap.42*: Proſper, Marcellinus, Idacius *Chronico*: vide & de eo *l.13 Cod.Theod. de infirm.his quæ ſub Tyrannis*: *l.21 de pœnis*: ídque A. D. 413 qui proximus annus eſt ab eo quo Iouianus & Sebaſtianus cœſi fuêre anno videlicet Domini 412. Quod ſententiam è *ſacra Scriptura* hîc allatam attinet, nuſpiam ea in ſacro Codice comparet. Eius verò ſenſus hic mihi videtur: Prouidentiam diuinam neque legitimum Principem inhonorum relinquere, neque Imperium per tyrannidem vſurpantibus gaudere vel adhærere, verùm ab eo ſtare quem legitimus Imperator conſtituit: nam & ita hunc locum emendo: ἀλλ' ὅν ὁ κατὰ θεσμὸν βασιλεὺς ἁρμόζει, τούτῳ καὶ αὐτὴ συμπαραστάτειται. Ἁρμόζειν eſt legitimè conſtituere: συμπαραστάτειν verò eſt ab aliquo velut in acie ſtare.

¶Ad Cap. VII. *De Theodoſio Iun. Imp. & Pulcheria ſorore eius.*

De *Theodoſio Iun.* Imper. & *Pulcheriâ ſorore* eius agit hoc capite Philoſtorgius. Ait nempe, cùm Theodoſius juuenis admodùm eſſet, adfuiſſe ipſi, Imperialéſque diſpoſitiones eius adjuuaſſe & direxiſſe ſororem Pulcheriam: συνῆν δὲ αὐτῷ καὶ Πουλχερία ἡ ἀδελφὴ, τὰς βασιλικὰς σημειώσεις ὑπουργοῦσα καὶ διευθύνουσα. Σημειώσεις βασιλικαὶ ſunt, diſpoſitiones & adnotationes Principum. ¶Cœterùm id hoc loco

interjicit Philoſtorgius, poſt annum 413, ſeruata accurate temporum ratione: Pulcheria quippe iſta ab hoc tempore, ætatem ſapientia ſupergreſſa, quamuis juuenis adhuc (vt pote nata A.D. 399) & quindecennis fermè, quod diſerte ſcribit Sozomenus, *initio lib.9 cap.1*, vel certe ſedecennis (malè enim Cedrenus *pag.* 275 nouemdecennem tùm facit) A.D. 414, triennio fermè tantum fratre ſenior (natus enim is anno Domini 401, & anno demùm 418 adoleſcentiæ annos ingreſſus, vt idem Philoſtorgius teſtatur *infrà cap.prox.*) Theodoſium juuare, actúſq; eius dirigere cœpit: de quo plenè Sozomenus *dicto loco.* Et verò etiam eo ipſo anno Domini 414, Conſtantio & Conſtante coss. Pulcheriam hanc 4 Nonas Iulias Auguſtam renunciatam produnt exertè Marcellinus, *Chronico*, & auctor Chronici Alexandrini (quod minùs pensè Baronius ex Marcellino retulit ad annum 415) Id quod non alio fine factum, quàm ad Imperij adminiſtrandi participatum, πρὸς ἐπιτροπὴν καὶ ἡγεμονίας φροντίδα.

¶Ad Cap. VIII. *De Eclipſi Solis, & aſtro quodam, & exinde Terræmotu ſub Theodoſio Iun.*

De *Eclipſi* Solis, & *Aſtro* quodam, & exinde *Terræmotu* ſub Theodoſio Iun. mira, ſed accuratè, imo eſt & vbi piè admodùm, Philoſtorgius hoc capite agit: quam narrationem exſcribit & Nicephorus *lib.13 cap.36.* Huius verò Eclipſeos Solis meminêre quoque Marcellinus, Idacius *Chronico*, & auctor Chronici Alexandrini. Meminit & idem Marcellinus ſtellæ ſeu Aſtri illius ab Oriente, ſic qui-

ſic quidem vt per ſeptem menſes id ſurrexiſſe adparuiſſéque ſcribat, cùm Philoſtorgius hîc dicat per quatuor tantum menſes à mediâ ferme æſtate ad autumni finem vſque. Et omnes illi id contigiſſe aiunt anno Honorij Imperij quarto vicesimo, Honorio 12 & Theodoſio 8 COSS. A.D 418. Menſem & diem quoque addunt: Idacius & Chronicon Alexandr. Eclipſin factam die XIV Kal. Auguſti, feria quinta vel 6, ſeu die Veneris. Horam etiam addit Chronici Alexand. auctor, octauam ſcilicet. Quæ omnia ferme & Philoſtorgius tradit, nempe Eclipſin illam accidiſſe *menſe Iulio, in decimam nonam progreſſo, circa octauam diei horam.* Et addit, Θεοδοσίου τῆς τῶν μειρακίων ἐπιβεβηκότος (quomodo & Plato alicubi ἄρτι τῆς μειρακίων ἡλικίας ἐπιβαίνοντα) i. *Theodoſio adoleſcentiæ annos ingreſſo.* Nempe μειράκιον adoleſcens, qui plenam pubertatem attigit? Et ſanè Theodoſius natus A.D. 401, hoc anno 418 octodecim annorum erat, quæ ætas eſt plenæ pubertatis & in adoleſcentiam ingreſſus. Sic & Galenus μειρακίου ætatem poſt ἡβῶντας nominat. Quanquam adoleſcentiam Iuriſconſulti noſtri poſt pueritiam, id eſt, poſt annum decimumquartum, velut alteram ætatem computant: vide vel *l. vn. Cod. Theod. de his qui veniam ætatis*, vbi & illa occurrunt: *cùm viceſimi anni clauſa ætas adoleſcentiæ patefacere ſibi ianuam cœperit ad firmiſſimæ iuuentutis ingreſſum.* Tubero ſane quoque apud Gellium *lib.* 10 *cap.* 28 ſcripſit, pueros à Seruio Tullio æſtimatos qui minores eſſent annis 17: exinde jam iuniores ſcilicet ab octauodecimo anno. Porrò Philoſtorgius in hac narratione rurſum, pariter

vt *ſuprà lib.*10 *cap.*9, in Aſtro Xiphia ſeu Xiphoeide deſcribendo, tam accuratum ſeſe præbet, vt intelligas Aſtrologiæ operatum: adeò diligenter huius aſtri noui ortum, formam ſeu ſpeciem, motúmque à Comete diuerſum, exitúmque ediſſerit, imò & interpretationem addit. Et hæc quidem de Eclipſi & Aſtro illo nouo.

Poſt hæc de *Terræmotu* ingenti, qui & tùm extitit, Philoſtorgius eadem accuratione agit, mox & de terræmotuum in genere cauſis, quibus ſpretis ipſe eam ſententiam amplectitur, firmátque non ex cauſis naturalibus, quod paganorum filij cenſent, hæc oriri, verùm diuinæ iræ flagella hæc immitti ad conuerſionem & emendationem hominum: piíſque ſententiis de Dei poteſtate in creaturis quemlibet in vſum vertendis, hoc argumentum concludit. Certe Epiphanius quoque, *hæreſi* 66 *num.*26. terræmotus naturalibus ex cauſis oriri negat, ἐκ φύσεως καὶ κατὰ συνήθειαν, verùm eſſe θεσπέσιον, ſimiliter cum Philoſtorgio: quod & apud Philaſtrium legimus.

¶Cœterùm huius Terræmotus maximi meminêre quoque Idacius, *Chronico*, eodem 24 Honorij Imperij anno, id eſt anno 418: Marcellinus Comes, & Faſti Idacij id referunt ad Monaxium & Plintam COSS. id eſt ad annum 419 ſequentem: contra auctor Chronici Alexandrini ad præcedentem annum 417. De hoc quoque terræmotu in vita Zoſimi Papæ actum fuiſſe addit Idacius: de eodem verò accipio Auguſtinum *ſermone* 4 ex iis quos V. CL. Iacobus Sirmondus edidit.

¶AD

¶AD CAP. IX. *De Luciano quodam noua cuiuſdam Eunomianæ ſectæ authore.*

De *Luciano* quodam, nouæ ſectæ Eunomianæ auctore, eſt hoc caput: de quo hæc notat Philoſtorgius, & ex eo Nicephorus, *lib.13 cap.1 pag.341.* Primò, fuiſſe eum filium ſororis Eunomij: Secundò, hunc poſt Eudoxij mortem, qui Eunomianæ ſynagogæ Conſtantinopoli præfuit, ei ſuffectum: Quod Eudoxium attinet, is forte eſt, de quo *ſuprà lib.10 cap.2.* Quod Eunomianos verò attinet, hinc diſcimus, eos hoc tempore ſub Theodoſio Iuniore conuentus ſuos porrò Conſtantinopoli agitaſſe, cùm tamen adnotare liceat Theodoſium Iunior. non tantum communia iura, veluti teſtamentorum, donationum, his denegaſſe A.D. 410, *l.49, 50 Cod. Theod. de hæreticis*: & *l.58 d. tit.* verùm etiam A. D. 415 conuentus eorum inhibuiſſe in vrbe Conſtantinopolitana, ſub pœna deportationis domúſque proſcriptionis *d.l.58 Cod. Theod. de hæreticis.* Et Syneſius quoque (qui Ptolemaïdis Epiſc. factus eſt A.D. 410: vt colligi poteſt ex eius *epiſt.66*) *epiſt. ad presbyteros 6* memorat hac tempeſtate Eunomianorum per Ptolemaïdem ſuffugia in agris ædibúſque, eorúmque nefarios conuentus, de quibus omni cura eruendis agit ea epiſtola. Tertiò ait Philoſtorgius, Lucianum hunc in auaritiam ſimiléſque affectus prolapſum, pœnámque exinde metüentem, à reliqua Eunomianorum ſecta defeciſſe, propriæque ſectæ Ducem ſeſe oſtentaſſe: ſic vt cœtum haud contemnendum coëgerit, omnibus malè affectis variíſque vitiis inſtructis ad eum deficientibus.

De quo omni nulla apud alios memoria extat. Luciani equidem cujuſdam hac ipſa tempeſtate mentio fit, quem preſbyterum & virum ſanctum vocant, cui Deus anno Domini 415 reuelauerit locum ſepulchri & reliquiarum protomartyris Stephani: quam reuelationem ipſemet Græcè ſermone ſcripſerit: de quo Marcellinus, Chronico, ann. 415: & plenè Baronius eo anno 415.

¶Ad Cap. X. *De Conſtantio Imp. facto ab Honorio, eiuſq; morte.*

De *Conſtantio* Imperatore facto ab Honorio, ejúſque morte, eſt hoc Philoſtorgij caput: vbi tria memorat de hoc Conſtantio antequam Imperator fieret. Primò ait, eum *Magiſtrum militum* fuiſſe: de eo verò multa mentio apud cœteros; ex quibus diſcimus, eum optimam jam inde ab A. D. 411, operam in debellandis tyrannis Barbaríſque per Gallias diu nauaſſe: videndus potiſſimùm Oroſius, Idacius & Olympiodorus. Secundò *Placidiam* Honorij ſororem (de qua *ſup.*) ei nuptam fuiſſe, quod & ipſum alij paſſim teſtantur. Tertiò ex eo & Placidiâ editum *Valentinianum* tertium (de quo *infr.*) Sequuntur quæ ad Imperatoriam dignitatem eius pertinent. Primò ait Philoſtorgius, eum ob affinitatis honorem ad Imperiale ſceptrum euectum. Secundò, Honorium eodem tempore Valentiniano filio eius Nobiliſſimi dignitatem tribuiſſe: de quo ipſo Olympiodorus *apud Photium*, *pag.* 192, Οὐαλεντινιανὸς, ὃς ζῶντος μὲν Ὀνωρίου Νωβιλίσιμος γίνεται; & iterùm *pag.* 197. Tertiò ait, Conſtantinum Imperato-

rem

rem creatum, imagines ſuas ad Theodoſium Iūn. in Orientem miſiſſe, ſicut moris erat iis qui ad Imperium recenter promoti erant, αἱ δὲ τοῦ Κωνσταντίου εἰκόνες, ὡς ἔθος ἦν τοῖς ἄρτι παρελθοῦσιν εἰς βασιλείαν σέλλειν, ἀποπέμποντες πρὸς τὴν Ἑῴαν. De quo more Imagines ſeu labrata Imperatorum, & quidem recenter creatorum, emittendi, alibi dico. Olympiodorus nuncij in genere ad Theodoſium miſſi meminit. Quartò ait, Theodoſium Iun. has Conſtantini ſiue Conſtantij imagines ad ſe miſſas non admiſiſſe, vt qui eius inaugurationi non adquieſceret. Olympiodorus quoque ait, nuncium de Conſtantij Imperatoris electione minime à Theodoſio admiſſum receptúmq;. Quintò ait, hac injuria tactum Conſtantium bellum aduerſus Theodoſium paraſſe, verùm morte inhibitum. Olympiodorus pariter ait *pag.* 195 ex hac injuria Conſtantium morbum contraxiſſe, iráſque collegiſſe & expeditionem animo agitaſſe in Orientem (perperàm Interpres *in Occidentem*) quod ad Imperij ſocietatem admiſſus non eſſet, σὺν τῇ λύπῃ τοσαύτης αὐτῷ καὶ τῆς κατὰ τὴν ἀνατολὴν ὀργῆς καὶ ὁρμῆς τὴν ἀδικίαν, ὅτι τὴν ἀναγόρευσιν τῆς βασιλείας αὐτοῦ οὐ προσήκαντο. Tandem ait, Conſtantium hunc mortuum cùm imperaſſet menſes ſex: ſic & Olympiodorus *dict. pag.* 193 ait, eum ſeptimo Imperij menſe pleuritide extinctum, quemadmodum & in ſomnio ei denunciatum fuerat, ἓξ ἤδη πεπλήρωνται, καὶ ἄρχονται ἑπτά.

¶Ad Cap. XI. *De Honorij Imp. morte, & de Ioanne Tyranno, & Valentiniano 3 mox Imp. facto, &c.*

De *Honorij* Imperatoris morte, déque *Ioanne Tyranno*, &

Valentiniano 3 Cæſare primùm, mox Imperatore creato, eſt hoc caput. Quod Honorij mortem attinet,& tempus eius & genus morbi deſignat Philoſtorgius: nempe ait, Honorium mortuum *Conſulatu Theodoſii* X *&* *Honorij* XIII (A.D. 421) in quo largiter fallitur: Mortuus enim eſt Honorius, Aſclepiodoto & Mariniano COSS. A. D. 423: vt exerte ſcribunt alij, Proſper *Chronico*: Socrates, *lib.17 cap.23 in princ.* Faſti Idaciani: Marcellinus *Chronico.* Ex morbo intercute autem mortuum ait, quod & ipſum ſcribit Olympiodorus *apud Photium, pag. 196*: & Cedrenus *pag. 276.*

Nunc de *Ioanne* & *Tyrannide* ab eo occupata poſt Honorij mortem in Occidente: de quo Olympiodorus *apud Photium, pag. 196, 197*: Renatus Profuturus Frigeridus adud Gregor. Turon. *lib. 2 cap. 8*: Socrates *lib. 7 cap. 23, 24*: Proſper, Idacius, Marcellinus, *Chronicis*: Procopius 3 *Vandal.* Vbi primo ait, Ioannem Tyrannide occupata legationem ad Theodoſium Imp. miſiſſe, eam verò fruſtrà ceſſiſſe, infecto negotio reuerſis legatis injuriáque affectis, & in Propontidem exilio aliis aliò multatis. Id verò etiam Frigeridus ex parte ait, nempe *Ioánnis legatos fuiſſe deſpectos, mox reuerſos, mandata atrocia reportantes.* Socrates quoque *lib. 7 cap. 23* ait, Ioannem Legatos ad Theodoſium miſiſſe, vt Imperator adgnoſceretur, verùm Theodoſium Legatos cuſtodiæ macipaſſe, εἰς φρουρὰν κατέστησεν. De exilio eorum in Propontidem nemo quidquam præter Philoſtorgium. Hoc primum. Sequitur ſecundo loco apparatus bellicus aduerſus Ioannem. Vbi primo ait,

Theodoſium Placidiam cum Valentiniano III filio eius (quem Nobiliſſimum antea factum dixit) ex vrbe Conſtantinopolitana (quod *Byzantium* Philoſtorgius hic vocare perſeuerat) quò ſcilicet poſt Conſtantini imper. mortem Placidia cum filio Valentiniano tranſlati fuerant, Theſſalonicam miſiſſe, ibíque Cæſaris dignitatem Valentiniano patrueli ſuo contuliſſe, bellúmque aduerſus Ioannem Ardaburio eiúſque filio Aſpari commiſiſſe. Quibus concinunt vndíque ea quæ Olympiodorus ſcribit apud Photium, nempe remiſſam ex Conſtantinopoli à Theodoſio Placidiam cum liberis aduerſus Ioannem Tyrannum, ſuſcepto à Placidia Auguſti nomine, à Valentiniano verò Nobiliſſimi: ſubmiſſum quoq; exercitum, & Magiſtrum vtriúſque militiæ Ardaburium cum Aſpare filio, addito & tertio Candidiano: vbi ad Theſſalonicam ventum fuiſſet, Helionem officiorum Magiſtrum à Theodòſio miſſum, Valentinianum in illa ipſa vrbe Cæſaris veſte induiſſe, annos natum non amplius quinque. Quibus ſimilia de Ardaburio miſſo aduerſus Ioannem, & de corona Imperatoria (Cæſaream dignitatem ait Philoſtorgius & Olympiodorus) Valentiniano miſſa per Helionem Magiſtrum officiorum Theſſalonicam ſcribit Socrates, *lib.7 cap.23,24.* Et Frigeridus *lib.12 Hiſtoriarum* apud Gregorium Turon. *dict. lib.2 cap.8* ait poſt diui Honorij exceſſum, Valentinianum puerulum vno tantum luſtro peracto à conſobrino Theodoſio Imperatorem creatum fuiſſe. Idacius *Chronico* ait, Theodoſium Valentinianum amitæ ſuæ Placidiæ

filium Conſtantinopoli Cæſarem feciſſe, & contra Ioannem miſiſſe, cum Ducibus. De Ardaburio quoque & Aſpare aduerſus Ioannem miſſo Procopius, *3. Vandalicorum.*

Tertio loco Philoſtorgius expeditionis ipſius aduerſus Ioannem momenta ediſſerit. Vbi primò ait, Ardaburium & Aſparem alióſque qui Placidiam & Valentinianum comitabantur, Pannonias & Illyricum tranſgreſſos, Salonas Dalmatiæ vrbem vi occupaſſe: Socrates quoque *dict. lib. 7 cap.* 23 Ardaburium Salonas veniſſe ſcribit. Secundò narrat, Ardaburium inde nauali expeditione aduerſus Ioannem Tyrannum perrexiſſe, Aſparémque equeſtri militiâ adſumpta Aquileiâ potitum: ſedenim incurioſè eam ſeruaſſe, Ardaburiúmq; vi ventorum in Ioannis Tyranni manus perueniſſe. Quod Aquileiam attinet, Socrates quoque ſcribit *dict. lib. 7 cap.* 23, Ardaburium cùm Salonas veniſſet, inde Aquileiam trajeciſſe, caſúmq; narrat, quomodo aduerſa ventorum vi in Tyranni manus delapſus fuerit. Olympiodorus *apud Photium pag.* 197, ſcribit pariter, Ardaburium cùm in Italiam veniſſet à Tyranni militibus captum, & ad Tyrannum abductum. Addit tertio loco Philoſtorgius, Tyrannum de fœdere cogitantem humaniter ſeſe erga Ardaburium geſſiſſe. Sic & Olympiodorus *dicto loco* ſcribit, καὶ ἀναπίμπεται πρὸς αὐτὸν, καὶ φιλιάζει αὐτῷ. Quarto narrat Philoſtorgius, hac ſecuritatis occaſione Ardaburium, exauctoratos à Ioanne Tyranno, qui & ipſi jam per ſe commoti erant, de inſidiis cogitantes, aduerſus Tyrannum ani-

num animaſſe,filióque Aſpari ſignificaſſe,vt ad facilem felicémque ſucceſſum aduentaret. Cui nihil ſimile apud Olympiodorum & Socratem occurrit. Inde quinto loco narrat, Aſparem celeriter cum equeſtri exercitu aduentaſſe, prælióque commiſſo Ioannem Tyrannum captum, eorum qui cum ipſo erant proditione. In quibus Philoſtorgius abit partim ab Olympiodoro, partim à Socrate. Nempe narrat Olympiodorus,capto Ardaburio filium eius vnà cum Placidia in magnâ rerum deſperatione luctúque verſatum; ſed Candidianum, multis vrbibus occupatis, partáque rebus præclarè geſtis nominis claritate, luctum diſſipaſſe animóſque reddidiſſe. Socrates narrat, Aſparem Angelo duce per viam hactenus ignotam & per ſtagnum, diuinâ ope tum exſiccatum,Rauennam ingreſſum vbi Tyrannus agebat, eum oppreſſiſſe. Et hæc quidem de expeditione aduerſus Ioannem Tyrannum,eóque capto.

Quæ deinceps ſecuta narrat quoque Philoſtorgius: nempe primò,Ioannem Tyrannum ad Placidiam & Valentinianum Aquileiam miſſum.Secundò Ioannem Tyrannum ibi (Aquileiæ ſcilicet) dextrâ prius amputatâ capite multatum, vno ſemis Tyrannidis anno. Quod manus amputationem cœdémque attinet, Procopius quoque 3.*Vandal.pag.95.* ait,Ioannem Aquileiæ in hippodromum inductum, alterâ ex manibus amputata, aſino vectum,cùm multa ab his qui in ſcena erant paſſus fuiſſet & audiuiſſet, cœſum fuiſſe. Olympiodorus quóque refert,Ioannem Tyrannum cœſum. Quod verò locum

attinet, vbi hæc peracta, Idacius *Chronico*, ait Ioannem apud Rauennam occiſum: Item quod tempus ſpectat, idem ait, primo inuaſæ Tyrannidis anno cœſum fuiſſe. Certè A. D. 425. quo hæc contigêre, Valentinianum Aquileiæ fuiſſe liquet *ex l. 46. Cod. Theod. de Epiſcopis: l. 62. 63. 64. Cod. Theod. de hæreticis: l. vlt. d. tit. de Epiſcopis*, vbi de Tyranno Ioanne diſertè agitur.

Nunc de *Valentiniani* inauguratione. Ait igitur Philoſtorgius, poſt hæc tandem, cœſo videlicet Tyranno Theodoſium Valentinianum miſſis quibuſdam *Imperatorem* renunciaſſe: Honorio ſcilicet ſuperſtite, Valentinianus iam *Nobiliſſimus* factus fuerat: tempore verò expeditionis in Ioannem, *Cæſar* renunciatus: tandem poſt deuictum, cœſúmque eum, *Imperator* creatus fuit. Sic & Olympiodorus, quem quoad duo priora Philoſtorgio conſentientia ſcribere iam oſtendimus, in hoc tertio quoque concinit: Nempe ait, cœſo Ioanne Tyranno, Placidiam vnà cum Cæſare filio Rauennam iniiſſe, Helionem verò Magiſtrum & Patricium *Romam* inuaſiſſe, omnibúſque eò confluentibus, Valentinianum iam ſeptennem veſte Imperatoriâ induiſſe. Similiter quoque Socrates, *lib. 7. cap. 24.* ait, poſt Tyrannum è medio ſublatum, Theodoſium per Helionem Patricium coronam Imperatoriam ad Valentinianum miſiſſe. Idacius etiam poſt occiſum Ioannem ait, Valentinianum qui erat Cæſar *Romæ* Auguſtum appellatum. Marcellinus ait, apud *Rauennam* factum Imperatorem.

¶AD

dum, quod ait de *Cæſario*, eum in Præfectura Prætoriana (Orientis ſcilicet) Rufino ſucceſſiſſe. Hic verò Cæſarius PP. fuit ab A.D. 395, pluribus deinceps annis, vt ex Conſtitutionibus Arcadij ad eum datis liquet. Quo characteriſmo iam certò ſtatuere licet, Eunomium iam mortuum fuiſſe, hinc Cæſario Præfecturam gerente, inde Eutropio ſuperſtite, & ſic ante annum 399, quo is cæſus fuit: Sozomenus certè *lib.* 7. *cap.* 17 ait, Eunomium mortuum non multò poſt quàm exilium ei à Theodoſio Imp. indictum fuiſſet, quod exilium incidit fermè in A. D. 388. Sed & Hieronymus, *de ſcriptoribus Eccleſ.* qui ſcriptorum Eccleſiaſticorum recenſum inſtituit ad XIV Theodoſij Imp. annum vſque, (id eſt ad annum Domini 392) vt ipſemet prodit, *in proœmio & cap.* 117. *&* 135, ſcribit, *dici Eunomium vſque hodie viuere in Cappadocia.* Et omninò puto Eunomium obiiſſe circa annum Domini 393, vel 394, quod, vt iam ſuprà indicaui, Philoſtorgius memorauerat vel fine libri decimi, vel initio libri vndecimi, quorum lacuna ex alio MS. olim forte ſarciri poterit. Ad rem: Ergo, Eutropij mandato iuſſus Cæſarius PP. corpus Eunomij aliò transferre. Sic & plura alia in Eunomianos Arcadij (vel ſub eius nomine eiuſdem Eutropij, penes quem ſuprema rerum poteſtas hoc æuo erat) mandata occurrunt: Conſtitutiones inquam ſex per A. D. 395, 396, 397, 398, 399, puta (præter priorem quæ ad Rufinum PP. deceſſorem Cæſarij data eſt A. D. 395, *legem*, inquam, 25 *Cod. Theod. de hæreticis*) tres, ad eundem Cæſarium PP. emiſſæ, anno 395, *lex* 27. *dict. tit.* &

ann. 396. *lex* 30, 31 *dict. tit.* quibus duabus poſterioribus doctores authoréſque Eunomianorum, clerici maximè, quorum furor tantum ſuaſerat errorem, de ciuitatibus pelli extorres, & humanis cœtibus ſegregari iubentur: Pariter vt A. D. 398 conſtitutione data ad Eutychianum PP. lex. 34. *d. tit.* vbi ruri quoque conuentus eorum inhibentur: Tandem A. D. 399 conſtitutione data ad eundem Eutychianum *lex* 36. *eod. tit.* quò pertinet & Syneſij *epiſt.* 5. Ex quibus apparet, variis admodum rationibus ab Arcadio & Eutropio, per hoc quinquennium, ab A. D. 395 ad 399, Eunomianos attritos fuiſſe. Proinde inter alia quoque tranſlatio corporis Eunomij mandata. De cuius tranſlationis tum circumſtantiis tum ratione porrò videndum eſt. Ait igitur Philoſtorgius, tranſlatum Eunomium à Dacoroënis (Cappadociæ ſcilicet) Nempe eò in exilium iuerat Eunomius, in proprios ſcilicet agros ſuos: de quo *ſuprà lib.* 10. *cap.* 6; ſeu in patriam ſuam, vt teſtatur Sozomenus *lib.* 7 *cap.* 17, vbi & deceſſiſſe eum ſepultúmque ſcribit, ἔτυχε τῆς ἐν πατρίδι ταφῆς. Inde igitur transferri iuſſus Eunomius Tyanam, quæ in eadem Cappadocia erat: *Quò* inquit Philoſtorgius, *à monachis qui ibi erant ſeruaretur:* addito, *Eutropium quippe inuidiſſe gloriæ Eunomij, & ideò ne cadauer quidem Eunomij ſepulturam nanciſſi permiſiſſe cum magiſtro, quamuis id multi peterent* Eunomiani ſcilicet Eunomij corpus Conſtantinopolim tranſlatum volebant, vbi & Aëtius Eunomij magiſter mortuus, ſepultúſque adeò fuerat, eíque Eunomius os oculóſque occluſerat, extremáque

hær.Melet.68.n.4. & *hær. Arian.69.n.1.* & *2.* & exinde Nicetas, *theſ.orth.fid.lib.5. c.1.* Alexandrinæ cuiuſdam Eccleſiæ, quæ *Baucalis* dicebatur, presbyterum fuiſſe, eiúſque Eccleſiæ populum ei adhæſiſſe. Vnde contorta forte ab Ariomanitis fabella, quò penes Baucalin aliquem, alterumq; Alexandrũ, ſchiſmatis inuidia collocaretur, quæ reuerà penes Arium, Baucalenſis Alexandrinæ Eccleſiæ presbyterum, populúmque adeò eius Eccleſiæ Ario fauentém, erat. ¶ Illud intereà notandum, quod de *Baucalis* nomine Philoſtorgius adiicit, apud Alexandrinos vas teſtaceum, molémque ſeu gibbum, ad eius inſtar in dorſo collectum, ita vocari, atque inde Alexandrum illum *Baucalin* dictum. Quod vaſis ſignificationem attinet, in veteri quoque Nicæarchi *epigr.lib.2.* αἰθολογ. βαύκαλις, & apud Alexandr. Aphrodiſ. *lib.1. probl. 94.* βαυκάλιον, pro vaſe frigidario, & anguſti oris effertur: de cuius nominis ratione vide & *Aphrod.* ſeruant id hodieuum Itali Hiſpaníque eodem ſenſu. Quod verò *gibbum* attinet, neque Germanica vox ab hinc abludit, quâ gibbus ſignificatur. ¶ Quod ſubiicit Philoſtorgius, ὁ μουσίου prædicationem hinc tùm ἐπιτυχεῖν δόξαι, eò pertinet, vt quaſi nouæ nunc primùm vocis inuidiam penes Catholicos collocet: de quo in *Prolegom.*

¶AD CAP. V. *De Conſtantio Chloro, & Conſtantino M.*

Ad *Conſtantinũ M.* iã accedit Philoſtorgius. Vbi primùm agit de Conſtantio Conſtantini M. patre, déque huius ad patrem in Britanniam ſub tempus mortis eius profectione, & exinde eo Imperatore facto. In quibus Philo-

¶AD CAP. XII. *De Aëtio Comite facto, & de Hunnis domum reuerſis.*

De *Aëtio* Comite eſt hæc vltima ex iis quæ extant Philoſtorgij narratio, quæ & ipſa ad Ioannis Tyranni, de quo ſuperiore cap. hiſtoriam pertinet. Igitur de Aëtio id primum indicat, eum ſub Ioanne Tyranno Ducem fuiſſe: de quo extat etiam inſignis Frigeridi locus, lib. 12. hiſtor. apud Gregorium Turonenſem *lib. 2. cap.* 8. Secundo ait, Aëtium, tertio poſt Ioannis Tyranni mortem die, cum 60. millibus cum Aſpare (de quo *ſuper. cap.*) bello congreſſum, magnámque inde vtrímque cædem factam. Quod nuſpiam alibi reperio. Poſt hæc tertiò ait, Aëtium fœdus cum Placidiâ & Valentiniano iniiſſe: Inde (quod quartum) Aëtium Comitis dignitatem adſecutum: Barbaróſque, quod vltimum, id eſt, Hunnos (quos Ioannes exciuerat, vt Frigeridus oſtendit apud Gregor. Turon. Proſper item, vt & Caſſiodorus *Chronico*) auro ira animíſque depoſitis, obſidibúſq; datis, fidéque inuicem acceptâ, ad proprias ſedes reuerſos. Hùc verò pertinet, quod Proſper in *Chronico ann.* 426. (nobis 425.) ait, Ioanne oppreſſo, *datam veniam Aëtio, quod Hunni quos per ipſum Ioannes exciuerat, eiuſdem ſtudio ad propria reuerſi ſunt*: vt & quod Caſſiodorus, *Chronico ann.* 425. Theodoſio XI & Valentiniano Cæſare Coſs. *His* COSS. *Ioannem Tyrannum Valentinianus Imp. extinxit, Hunnóſque qui in Italia erant Ioannis præſidio, per Aëtium mirâ felicitate dimouit.* Hic verò Aëtius ille eſt, qui Occidentalis Imperij ſub Valentiniano ſalus ſtatórque aliquan-

diu extitit, tandem verò & ipſe cœſus eſt.

¶ Et hic tandem Philoſtorgianæ Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ finis eſt, pariter vt in hâc ipſa Epochâ *Olympiodorus* Hiſtoriam ſuam finiit: paulò vlterius verò ſuam produxère *Socrates* & *Sozomenus*, ad annum videl. 439 vſque, quindecim fermè annis vberiorem: vti contra *Theodoritus*, quinque annis fermè Philoſtorgianâ deductiorem ſcripſit.

Finis Diſſertationum.

ADDEN-

ADDENDA, ET EMENDANDA in Diſſertationibus.

Lib. I.

Cap. 1. pag. 6. lin. 17. *poſt* &c. *adde*: Porrò huius ſecundi ſeu poſterioris libri Machabæorum auctorem Philonem Iudæum facit Honorius Auguſtodunenſis, *de ſcriptorib. Eccleſiaſticis n. 11.* lin. 21. *poſt* Græci Codices, *adde*, & Balſamon. pag. 7. l. 10 *ante* ὁμολογῶν, *præmitte*, καὶ αὐτός. l. 12 *pro* eum, *repone*, Ioſephum. l. 23 *poſt* ambulant, *adde*. Illud certum, in Oriente Machabæorum libros nondum habitos inter libros Canonicos octauo ſæculo: vt ex Damaſceno diſcere eſt, *lib. 4. de fide Orthodoxâ c. 18*: imò neque Nicephori Patriarchæ Conſtantinop. tempore, ſeu nono ſæculo, vt apparet ex eius *Canone ſcripturarum*: Ac proinde neque Photij æuo, qui hanc Philoſtorgij epitomam confecit. p. 8. l. 12 *poſt* Ioſephum, *adde*: cuius pariter meminit hiſtoriæ ſuæ præfatione Sozomenus: vt & Euagrius, *lib. 5. c. 24.* inter Eccleſiæ hiſtoricos. p. 9. l. 9 interpunge ita, *Ioſephum inter & alios.* Cap. II. p. 10. l. 25 *poſt*, non minus quàm, *adde*, & Deus ſemet, & quilibet ſemetipſum. p. 11. l. 2 *poſt epiſt.* 168. *adde*, Gregorium Nyſſenum *Orat. 9. adu. Eunom.* mox l. 3 locum corruptiſſime editum ita reſtitue, Chryſoſtomi *homilias 5.* περὶ ἀκαταλήπτου *aduerſus Anomæos, tomo 6. Sauil. ſeu tomo 1. Pariſienſi.* l. 5. *poſt* fabularum, *adde*, *cap. de Eunomio & Aëtio*: Cyrillū Alexand. *in theſauro, adſertione 31.* l. 8 repone, *l. 2. tom. 3.* Cap. III. p. 13. l. 10 *poſt* tuliſſe, *adde*, id eſt meruiſſe, obtinuiſſe: ὑπόψηφος eſt, qui in electione aliqua & ipſe calculos quoſdā & ſuffragia meruit. Cap. VI. p. 17. l. 2 *emenda*, oblatā. l. 17 *emenda*, tropæum. Cap. VII. p. 23. l. 15 *poſt* authoritate, *adde*, quidquam. p. 24. l. 18 poſt *collocarent*, adde; Quod verò ait Philoſtorgius, ante Synodum quoq; Nicænam, inter Oſium & Alexādrum conueniſſe, de prædicando ὁμοουσίῳ, Ārióque condemnando,

Qqqq

eò pertinet, vt quemadmodum *ſup. cap* 4. nouitatem vocis ὁμοουσίου Catholicis obiectum iuit, ita & nunc ex compacto præparatam eam in Synodum illatam exprobret.

pag.26. lin.12 poſt *lib.5.c.5.* adde, *Eutropium lib.6.* l.23 poſt *ep.3.* adde, *&* 94. *&* 126. p.27.l.1 poſt *presbyter:* adde, Syneſius quoque, *in Cataſtaſi de calamitate Pentapol.* agri Barcæi meminit. l.9 emenda, *Ægyptiis.* p.28.l.3 poſt *Meletiani*, adde, *tamen.* p.36.l.1 poſt *pag.122. adde.* Sic Baſilius Athanaſium *Magnum* vocat; ſic Baſilium, alij. l.23 poſt 20. adde: *& lib.2. c.20.* p.37.l.19 poſt *in fin.* adde, Sozomenus, *lib.1 c.20.* & mox, poſt *inpr.* emenda (*& ex eo.* p.39.l.16 poſt *quod:* adde, *ex Arrianorum narratione* (de quâ *lib.prox. cap.7.*) p.40. l.21 pro *vt*, emenda *&*.

IN LIB. II.

Cap. I. p.45.l.22 poſt *inculcat*, adde, *atque eâ re Alexandro τερπιλείαν exprobrat.* l.26 poſt *inconſtantiæ*, adde, *præuaricationis* & τερπιλείας.

Cap. II. p.47.l.13 poſt *Nicænæ*, adde, *hoc ipſo tempore.*

p.48. l.3 repone, *de Apollinarij μελῳδίαις.* & l.4. poſt, *cap.25.* adde. Sic & Theodoretus de Harmonio Bardeſanis filio, *lib. 4. c.27.* ᾠδάς τινας συνετεθείκει πάλαι, καὶ τῇ τοῦ μέλους ἡδονῇ τὴν ἀσέβειαν κεράσας κατεκήλει τοὺς ἀκούοντας, καὶ πρὸς ὄλεθρον ἤγρευε-ν. & Sozomenum, *lib.3.c.15.* l.6 emenda *ſuppudebat.*

Cap. III. p.48.l.20 emenda. *αἰτιόντων inducat.* p.49.l.13 poſt *cohortem*, adde (*hæc Photij verba ſunt.*)

Cap. IV. p.50.l.11 poſt *cap.40.* adde & 41. p.51.l.21 poſt *egit*, emenda, Euſebius & Hieronymus *Chronico* anno Conſtantini 19. p.52.l.8 poſt *quaſi*, adde, ob ὁμοούσιον *ſtabilitum, & filius & ipſe violentâ morte obierint vel quaſi ob* &c.

Cap. V. p.52.l.24 repone, *de Vlphila hoc, vt & de Gothis Chriſtianis effectis, in geſtis anni 376, pariter vt Iornandes in Geticis agunt.* p.53.l.14 poſt *præfecturâ*, adde: *Meminit & Gregorius Nazianzenus ep.163. ad Amphilochium.* l.16 poſt *paſtorem*, adde. *Idem*

& epiſtola

& epiſtola 10. *Ecdicij Epiſcopi Parnaſſeni meminit.* p.55. l.18. poſt *poſtularunt*, adde, *circa A.D.*376. l.21 pro λῶ, emenda λῶ. p.57.l.11 poſt Μωϋσῆν, adde. *Et Socrates, lib.*7*.c.*41*.Theodoſium Iun.* (*ſub quo Philoſtorgius & ipſe ſcripſit*) *quoad manſuetudinem cum Moſe componit.* l.23 poſt *Conſtantini*, adde, *& hoc ipſo loco ſeu ſerie narrationum.*

Cap. V I. p.59.l.25 poſt, *ſcilicet:* adde: Eóque pertinet, quod Sozomenus ſcribit, *lib.*2.c.23, emendatis tamen eius verbis, non ab Æthyopibus, vt quidam prodigioſè narrant, initium ſumpſiſſe apud Indos interiores religionem Chriſtianam: ἵνα δὲ γνοίημεν καὶ ἐν τῷ παραδόξῳ τοῦ συμβαίνοντος περὶ τῶν Ἰνδῶν, οὐκ ἐξ Αἰθιώπων (ita enim ibi repono, loco αἰθρώπων) ὥς ποι τερατολογεῖται τὴν σύστασιν λαβεῖν τὸ τῶν χριστιανῶν δόγμα. Quibus verbis Sozomenus Philoſtorgium carpere videatur, de quo etiam *in Prolegomenis.*

Cap. V I I. p.60.l.17 repone, *Sozomeno, lib.*2*.c.*15: *& lib.*3*. cap.* 18. l. 26 repone, *ad A.D.*327*. vel* 328: & ſubiice. Hùc verò referenda omninò videtur Arianorum narratio, quam refutat Sozomenus, *lib.*3*.c.*18. quæq; forte ipſius Philoſtorgij fuit hoc ipſo libro, de occaſione ob quam Euſebiani ab exilio reuocati, ex ſomnio inquam Conſtantinæ. p.64.l.6 pro αἰχμώα, repone αἰχμώας. p.65.l.11. poſt *procurata*, adde (παραγρόμως *ait Photius.*)

Cap. I X. p.67.l.9 poſt 333. adde: Cui proximum eſt, quod Caſſiodorus ad Pacatianum & Hilarianum coſs. i. A.D.332. id refert. l,19 compulſis literis repone, *tmemate* memorantur. l.23 poſt *ſufficiens*, adde, *eſſet.* p.69. l. 2 poſt *merueris*, adde, *quomodo &* Arcadius eam vocat *l.*5. C. *Theod. de his qui ſuper relig. contendunt*, & Theodoſius Iun. hoc ipſo tempore paſſim. *l.*15.16. *Cod. Theod. de hæreticis, l.*4*. de his qui ad Eccl. conf. l. vlt. de petition. bon.* l. 20 poſt *cap.*32. adde, & ἱπερσβυλδωτήριον. *lib.* 2. *c.* 2 l.25 pro 32. emenda *cap.* 2. p.60.l.4 pro *cap.*32. emenda *cap.* 2.

Cap. X. lin.26. poſt A. D. 340. adde, *vt prædicti ſcriptores teſtantur.*

ADDENDA

Cap.12. p.73.l.23 dele vocem, *quidem*. p.74.l.6 pro *lib.1.c.24*, emenda, *lib.2.c.24*. l.12 poſt *cap.49.* adde, *Sozomenus*, *lib.2. c.24.p.253. a.* p.76.lin.antep. pro προσσαναρχωτῶν, emenda προσταναρχωτῶν.

Cap. XIII. p.81.l.5 poſt *de quo mox:* adde; Et ſic in honorem tantum martyris Luciani: Quam & ipſam ſolam rationem reddunt Hieronymus, *in Chronico*, & Chronicon Alexandrinum, & Cedrenus ex Theophane, & Acta Luciani martyris: de quo Reuerendus Vſſerius *in Eccleſiaſticis Britanniarum.* lin.11. emenda. ἐκ ταύτης γὰρ. l.14 poſt *miraculum*, adde, ſeu ἱστορίαν παράδοξον, vt vocatur lemmate *cap.31. lib.8.* apud Nicephorum.

Cap. XIV. p.82.l.7 poſt, *efferebant*, adde, vt teſtatur quoque Epiphanius, *hæreſi 43.* l.24 *poſt* συμβεβηκώς, *adde:* Auctor quoque tractatuum in librum Iob, qui falſo Origeni adſcribitur, Arianus, Luciani martyris agonem celebrat, inter hæc vocabula Triadis & ὁμοουσίου ſuggillans, & contra Orthodoxos inſurgens petulantes.

Cap. XV. p.84.l.14 poſt, *cap.7.* adde, Sic & Sozomenus *lib.6. c.12.* ait, in Synodo Cariæ, ſub Valente habitâ, Arianos obtendiſſe formulæ ſuæ, quòd ea à Luciano compoſita habebatur. l.pen. poſt *Cappadociæ*, adde (ſic & Sozomenus, *lib.7. c.31.in f.* Aſterium ſophiſtam Cappadociæ vocat.) p.85.l.pen. poſt *fuit*, adde, A. D. 419. p.86.l.4 poſt *eſſe*, adde. Memoratur ea & ab Acacio *lib.contra Marcellum*, apud Epiphanium *hæreſi Marcellianorum 72. n.6. & 7. 9.1: 9.2.* l.12.& 13 emenda *illi fidem ſuam martyrij titulo* &c. p.87.l.7 pro σφραγῖδα emenda σφραγίδα. l.13 poſt *&c.* adde, Chryſoſtomus *in Pſalmum* 8. τὸ ἀπαράλλακτον, inquit, τῆς εἰκόνος πρὸς τὸν πατέρα. Et *in Pſalmum* 84, de Filio: τὸ γὰρ ὄντως, καὶ τὸ ὁμοίως, καὶ τὸ καθώς, ἀπαραλλαξίας ἐστίν. Et in *Paralyticum demiſſum per tectum*, τὸ πρὸς τὸν πατέρα ἀπαράλλακτον δείκνυσι. Item *in illud, ſimile eſt regnum cælorum patrifamilias*, ἀπαράλλακτον χαρακτῆρα μορφῆς. Contra, *Sermone 2. in Geneſin*, cum ait, hominem factum ad imaginem Dei, addit, hinc non eſſe οὐ πάντως ἀπαραλλαξίαν, ſeu ἀπαράλλακτον τῆς μορφῆς.

Cap.

Cap. XVII. p.89.l.11 poſt *cap.3.* adde, & Sozomenus, *lib.2.c.vlt.* lin.12 poſt *traderetur*, adde, & verò ita feciſſe, Sozomenus *lib.3.c.1.*

Cap. XVIII. p.90.l.14 poſt *in f.* adde, Marcellinus *Chronico* a. 407. p.91. l.19 poſt *pag.57.* adde. Imò & Chronici Alexandrini auctor a.340. de alterâ Conſtantini ſtatuâ agens, ait, Conſtantium iuſſiſſe, induci ὑπὸ τῶν στρατευμάτων μετὰ χλανιδίων καὶ καμπαγίων πάντων κατεχόντων κηροὺς λευκούς, cúmque ſtatui è regione ſedis Imperatoriæ, καὶ προσκυνεῖν. p.92. l.17 poſt *oppoſiti*, adde, Sic quoque auctor Chronici Alex. a.380. *Gratiano 6. & Theodoſio A A. Coss.* χριστιανὸν Ariano opponit, παρεσκεύασεν αὐτὸν Ἰουστῖνα ἡ μήτηρ αὐτοῦ ὡς χριστιανὸν ὄντα σφραγίσαι, ἦν γὰρ ἐκείνη Ἀρειανή. p.93.l.4 loco *in verbo*, emenda, bis, *in vitâ*.

Cap. XIX. p.94. l.20 poſt *quod*, adde, præter Sozomenum, *lib.3.c.2.* p.95.l.11 pro *in pr.* emenda *in fine*: & poſt cap.3. adde, Palladium *in dialogo.* Socratem *lib.6.c.16*: Georgium *in v. Chryſoſtomi N.51.* lin.13 poſt *repoſuit*, adde, Id ipſum verò poſtea quoque, canone Antiocheno in medium allato obiectum Ioanni Chryſoſtomo A.D. 404. teſtis Sozomenus, *lib.8.c.20*: Socrates, *d.lib.6.c.16.* & Georgius *d.loco.*

LIB. III.

Cap. I. p.95.l.6 tolle, *Zoſimus.*

Cap. II. p.97.l.11 poſt *martyrem*, adde, Quibus conſentientia vide apud Optatum Mileuitanum, *lib.3.c.3.* vbi agens de eleemoſynis ab eo in Africam miſſis per Paulum & Macarium, inter alia ſcribit. *Meritò Paulus docet, orandum eſſe pro Regibus & Principibus, etiamſi talis eſſet Imperator, qui Gentiliter viueret: Quantò* (magis ſcil.) *quod Christianus? quantò quod Deum timens? quantò, quod religioſus? quantò, quod miſericors, vt ipſa res probat: Miſerat enim ornamenta domibus Dei, miſerat pauperibus eleemoſynam* &c. p.98.l.1 poſt ἐκκλησίαν, adde, vt habet quoque Cedrenus. l.8 poſt *refert*, adde, vt & Athanaſius diſertè, Marcellino & Probo Indictione 12. i. A.D.341.

ADDENDA.

Cap. III. p.102.l.16 pro *cap.*10. emenda, *cap.6.* p.103.l.8 poſt *a loco*, adde, & Sozomenus, *lib.3.c.5.in fin.* p.108.l.3 emenda, *lib.3.c.5. in fi.*

Cap. V. p.117.l.12 poſt *indicat*, adde (Quomodo & in veteri Eccleſiâ & ſynagoga lectiones legebantur audiebanturque à lectoribus & à populo: v. Nehemiæ 8. *verſ.5:* & Lucæ 4.*v.*16 17.20.)

Cap. VII. p.126.l.16 poſt *Iſidoro*, adde, ſed & Oraculi ad id ſub Iuliano alluſionem v. apud Theodoretum, *lib.3. c.*18. p.127.l.2 poſt, *influens*, adde, v. & Theodoretum, *d.c.*18.

Cap. XI. p.135.l.3 pro *tectis*, emenda, *teſtis.* l.8 repetita vox *apud* tollenda. p.137.l.16 pro *Garamentibus*, emenda *Garamantidibus*: vt & mox *l.*22. emenda *Garamantides.*

Cap. XII. p.140.l.4 poſt *in princ.* adde, & Sozomenus *lib.3.c.1:* & *lib.4.c.15.in fi.* l.11 poſt *hinc enim*, adde, ſicut & ex ſubſcriptione illius l. (dicitur enim ea Data *Treuiris.*) p.141. l.7 pro *ſua*, emenda *ſui.* l.10 poſt *refert*, adde, Rufinus, *lib.*1. *c.*19. l.15 poſt *imò*, adde, *tantum.* l.20 poſt 637. adde: quibus alioquin concinit, quod ſcribit Sozomenus, *lib.3.c.*19. p.142.l.3 poſt *repeteret*, adde: de quo & Socrates, *lib.2.c.*18. Theodoritus, *lib.2.c.8. in fi.*10.*&* 11: Sozomenus, *lib.3.c.*19. p.143.l.14 poſt 18, adde; Et verò pertinet iſtud ad hiſtoriam Synodi Hieroſolymitanæ. l.17 poſt *perduxiſſe*, adde. At Socrates, *lib.2.c.*19, & Sozomenus, *lib.3.c.*20. illud tantum aiunt, Athanaſium per ciuitates pergentem omnes hortatum fuiſſe, vt Arianos deuitarent, eos verò amplexarentur qui ὁμοούσιον profiterentur: Item, ordinationes Orthodoxorum alicubi eum feciſſe, Arianos contra abdicaſſe: Et addit Sozomenus, complures Epiſcopos inimicitiis depoſitis, cùm eo communicaſſe, ac nominatim Palæſtinæ Epiſcopos. Certè Vrſacius quoque & Valens pœnitentiâ ducti hoc tempore Athanaſio communicauêre, Arianamq; fidem literis ad Iulium Ep. Romanum & Athanaſium datis damnauêre. v. Sozomenum, *lib.9. c.22. &* 23. p.144.l.3 poſt *πολέμιος*, adde, *ἐν πόλεσι μηδὲν αὐτῷ πραγματεύσαις.* l.14 poſt *idem &*, adde, *nunc.*

l.16.

l.16 poſt 602. adde, hoc ipſo tempore quo hæc narrat Philoſtorgius. p.145.l.22 repone, *& nunc Hieroſolymitanam.* lin.24 pro 347, emenda, 349. p.146. l.1. & 2, dele vocem *autem*.

Cap. XIII. p.147.l.5 poſt *hoc caput*, adde: Cui ſimilis obſeruatio hæc ipſo tempore interiecta à Sozomeno *lib.3.c.20.* quò ſe refert & *lib.4.c.27.in pr.* l.10 poſt *hoc capite*, adde, de hâc δοξολογίᾳ. p.150. l.20 poſt *cap.27.* adde: & in Oriente iuxta Athanaſium & Paulum Nicænæ fidei adhæſerunt, eodem teſte, *lib.3.c.12.* Porrò, vt Philoſtorgiûs hic Orthodoxis monachorum præſidium exprobrat, ita vice-verſâ quoque mox Sozomenus, *lib.4.c.1.* ſcribit, Macedonium μοναστηρίοις πολλοῖς περιφράξαντα ἑαυτὸν, Pauli fautores variis incommodis affeciſſe, & Eccleſiis exturbaſſe &c.

Cap. XIV. p.153.l.1 poſt *additq́;*, adde, *d.cap.19.* eadem l. repone καὶ τὴν παράδοσιν. l.10 pro ἀεὶ, emenda, καὶ. l.11 poſt ἄρξαντος, adde. Porrò neque ab hac Philoſtorgij obſeruatione abludit Sozomeni narratio *lib.3.c.18.* quâ Aëtium primum τοῦ ὁμοίου κατ' οὐσίαν authorem facit, ſimul & cauſam Ariminenſis & Seleucienſis concilij. Item illud, quod *lib.3.c.19.* ait, ante Concilium Sardicenſe Orientales & Occidentales etſi fide diſſentirent, mutuò tamen inter ſe communicaſſe.

Cap. XV. p.159.l.9 pro *vtrum*, emenda, *verum.* l.10 pro φερνήματος, emenda, φρονήματος. l.15.& 16 repone, *Hieronymus proœmio.* l.19 emenda *hæreticorum fabulis*; & adde, Ammonius, *in Catenâ patrum in Ioannem ad cap.1.v.3.* l.24 poſt *Philaſtrio:* adde, Item, omnia facta per Angelos, teſte Ammonio. *d.loco.* p.161.l.6 pro *medecina*, emenda, *medicina.* p.162.l.22 poſt ἀνόμοιον, adde κατ' οὐσίαν.

Cap. XVII. p.164.l.12 pro *aiunt*, emenda, *ait.* p.165.l.3 poſt *delatum*, adde: καὶ διδάσκειν ἐν ἐκκλησίᾳ τὰ τῆς ἐκκλησίας ἐπιζήτει δόγματα. Docendi alioquin in Eccleſiâ munus ad Diaconos non pertinuit: Neque obſtat Canon 2. Synodi Ancyranæ, vbi τὸ κηρύσσειν Diaconis tribuitur: κηρύσσειν enim eo loci non eſt verbum prædicare, verùm liturgiæ ſacrique ordinis præcen-

torem eſſe, vt Clariſſimus & Doctiſs. Vir. Iuſtellus, amicus meus ad eum canonem rectè obſeruauit.

Cap. X V I I I. Lemma ipſum ita conſtitue, *de Leontio Ep. Antiocheno, & de Flauiano ac Paulino ab eo depoſitis.* l.19 tolle illa *de Flauiano*, quæ ex lemmate hùc perperam irrepſerunt. l.24 poſt *συνείποιτο*) adde. Ergo Paulinus & Flauianus Euſtathium ſectati: de Paulino teſtis quoque Theodoritus, *lib.3.c.5:* & Hieronymus *in Catal.Illuſt.vir.* l.26 pro *cap.21.* emenda *cap.31.*

Cap. X X I I. p.169.l.3 poſt *Seleuciæ*, adde: ſic vt Athanaſius *in Apolog.ad Conſtantium p.525*, hanc mortem ſeu cœdem Conſtanti Imperatori martyrij inſtar ceſſiſſe dicat: *τὸ μὲν οὖν μακαρίτῃ τοῦτο γέγονεν εἰς μαρτύριον.* l.6 poſt *pag.641.* adde: Socrates, *lib.3.c.2.* Sozomenus, *lib.2.c.12:* Theodoritus, *lib.2.c.12. in fi. & c.13.* p.179.l.8 poſt *in fin.* adde, tacito tamen, vt, ferme alias, Philoſtorgij nomine. l.9 poſt *auctor*, adde *in anno 350.*

Cap. X X I I I. l.9 poſt *alij*, adde: Theodoritus, *lib.1.c.7:& lib.2. c.30.* v.& Philotheum *in Iacobo Niſibeno*, Hieronymum *Chronico*, Gennadium *de viris Illuſtrib.c.1.* l.12 poſt A. D. 350. adde, Sergio & Nigriniano coſs. l.13 pro *Patauij*, emenda, *Petauij.*

Cap. X X V I. p.188.l.penult. poſt *damnauère*, adde, eam videl. partem quæ ἀποτελεσματικὴ nuncupatur. l.vlt. poſt *lit.d.* adde, & Sozomenus, *lib.3.c.5.*

Cap. X X V I I I. p.192.l.3 poſt *pag.701*, adde: & *lib.3.p.702.* p.194. l.16 poſt *feciſſe*, adde, Galliamque tandem *συνεπιφοιτήσαντα* fuiſſe.

L I B. I V.

Cap. I. p.196.l.9 poſt *memorant*, adde, Zoſimus, *fine libri 2.* p.197.l.8 pro apparent, emenda, *comparent.* l.12 pro *notatur*, emenda *notetur.* l.25 pro *Quinto*, emenda *Quinto.* p.199. fine cap.1 adde. Illud & hic in tranſitu notandum, *Præpoſitum* abſolute dici, pro Præpoſito S. Cubiculi, pariter vt *lib. II.c.7.*

Cap.

Cap. III. p.206.l.25 pro *Phtianum*, emenda *Photinum*. p.202.l.21 pro *δείκνυσιν*, emenda *δείκνυσιν*, l.27 pro *αὐτὸ*, emenda, *αὐτὸν*. p.203. l.2 poſt *profeſſum*, adde, *eum*. l.7 pro *Eccleſiaſticarum*, emenda, *Eccleſiaſticorum*. l.penult, poſt *quod*, adde, *tamen*. p.205.l.5 poſt *Sozomenum*, adde, de Liberij. l.7 poſt, *profitetur*, adde: etſi ſint qui de hâc Liberij declaratione controuerſiam moueant. p.206. l.poſt *Marcellinus*, adde, non Ammianus, verùm longe alius.

Cap. IV. p.206.l.23 poſt *facto*, adde, *poſt mortem Leontij*. p.207.l.14 poſt è *Germaniciâ*, adde, cuius Epiſcopus erat. Socrates, *lib.2.c.29.p.*588. Theodoritus, *lib.2.c.*25: Sozomenus *lib.3. c.*10. p.208.l.5 pro *ramen*, emenda, *tamen*. p.209.l.10 poſt *in biblioth.* huc retrahenda parentheſis à proxima lineâ. l.14 poſt *eluiſſe*, adde: vbi & pro *καθαρσίων* legendum videatur *καθάρσιον* ſcil. *θάνατον*: vt martyrium vocaſſe videatur Philoſtorgius piaculum & purgationem inquinationum. Quod ad eorum ſententiam accedere videtur, qui martyrium baptiſmo æquabant, in quibus & Proſper,

Et quidquid ſacri fert myſtica forma lauatri,
Id totum impleuit gloria martyrij.

Adde, ante Cap. VI.

¶ Ad Capvt V, De Eunomio Diacono facto ab Eudoxio.

Ait Philoſtorgius, Eunomium ab Eudoxio Epiſcopo Antiocheno ad Diaconatum promotum, non ante Diaconatum adſumpſiſſe, quàm Eudoxius manifeſtiſſimis rebus ad *ἑτερούσιον* tranſiiſſet. Ita enim hunc locum accipio; *ὁ δὲ πρὶν εἰς τὸ ἀκριβέςατον ἐκεῖνον τῆς δόξης ἀπελθεῖν τὴν λειτουργίαν ὐ δέχεται*: i. *hic vero* (Eunomius ſcil.) *non prius Diaconatum ſuſcepit, quàm ille*, (Eudoxius ſcil.) *manifeſtiſſime ad fidem* (i. ad *ἑτερούσιον*) *acceſſiſſet*. Quæ ſententia & interpretatio firmatur quoque iis quæ dicta ſunt *ſuper. prox. cap.* vbi dictum, Eudoxium initio Aſterianæ ſententiæ fuiſſe de *ὁμοίου κατ' ὐσίαν*, verum à *συναιρεσιώταις* ad *ἑτερούσιον* adactum: Item ex *cap.*8, vbi Philoſtorgius ait, Eunomium Antiochiam profectum, Diaconatum adſum-

pſiſſe, vbi intellexit Baſilij Ancyrani liuorem factáque aduerſus Eudoxium. Hac interim narratione oſtenſum voluit Philoſtorgius, quam feruidus ſectæ ſuæ Zelotes fuerit Eunomius, de quo & infrà *lib.6.c.7*, vt qui non ante Eudoxio adhæſerit, quàm is de fide eius certus fuiſſet.

Cap. V I I. in f. hæc addenda: Ita enim locum hunc verto: *vbi verò is aduenit, de his quæ in ipſum peccauerat, veniam petiiſſe, & vt ad mulieris curam accederet, impensè rogaſſe.*

Cap. V I I I. Nota, quam alteram Sirmienſem Synodum voco, eam eſſe Tertiam. p.212.l.12 pro *rapuit*, emenda *rapuiſſet.* l.15 poſt, Hæc *Theodoretus*, adde, *Quibus* ſimilia plura Sozomenus, *lib.4.c.12.13.* p.213.l.18 poſt *cap.27.* adde, & *lib.4. hæreticarum fabularum, cap. de Eunomio & Aëtio.*

Cap. I X. p.215.l.18 pro ἐν βίᾳ, emenda, τῇ βίᾳ.

Cap. X. p.216.l.15 pro *habitum*, emenda, *habitam.*

p.217.l.12 poſt *pag.116*, adde. v. & Sozomenum, *lib.3.c.9.11.* l.20, pro *Pamphilum*, emenda *Patrophilum.* p.218. l.14 pro *Ariminenſe*, emenda *Ariminenſem.* p.219.l.6 poſt *Sozomenus*, adde, *lib.3 c.18. in f.* p.221.l.23 pro *quid*, emenda, *quidem.* l.vlt. poſt *Luciferianos*, adde, & Sozomenus, *lib.4.c.18. in fi.*

Cap. X I. p.222.l.26 poſt, *indictum*, adde: Quibus accedat & Athanaſius, *de Synodis initio*, & Sozomenus, *lib. 4.c.15. in fi.*

Cap. X I I. p.224.l.7 poſt, 359. adde, & 360. p.225.l.2 poſt *vocantur hic*, adde. Sic & in Concilio Nicæno, teſte Sozomeno, *lib.1.c.16.* erant dicendi periti, qui Epiſcopos iuuarent: συμπαρῆσαν δὲ αὐτοῖς ἄνδρες διαλέξεων ἔμπειροι, ἐκείνοις βοηθεῖν λόγοις σπουδάζοντες. p.228. l.20 pro *harum*, emenda, *horum.*

p.229.l.1 pro *Ruſinus*, emenda *Rufinus.* p.230. l.24 poſt *inf. lib.* adde, 5, c.1. & *lib.8.c.4.* mox adde: Alludunt & quæ Epiphanius hæreſi *Anomæorum 76.n.3.* p.231. l.21 pro *narrent*, emenda, *mem-rent.* lin.52 pro *mox*, emenda *vox.*

p.232.l.11.& 12.13 emenda, quod Aëtius ab Acacianis abdicatus fuerit, οὐκ ἀπὸ γνώμης, ἀλλ᾽ ἀφοσιούμενοι, καὶ ταῖς περὶ αὐτῷ δόξαις πρὸς βασιλέα. pag.234. lin.8 pro *aliquod*, emenda, *aliquid.*

LIB. V.

Cap. I. p.239.l.9 poſt *in fin:* adde, *& hæreticarum fabularum lib. 4. c. de Eudoxio.*

Cap. III. p.244. l.penult. poſt *Apolog.2*, adde: Verùm, poſt hæc ſcripta reperio apud Theodoritum, *lib. 4. hæreticarum fabul. cap. de Eunomio & Aetio*, Eleuſio abdicato, Euſebium pro illo Cyzici ordinatum. Et verò hic ille Euſebius eſt de quo hic Philoſtorgius. p.245.l.3 poſt *cap.27. in f.* adde, *& 4. hæreticarum fabul. c. de Eunomio & Aetio.* l.19 poſt *pag.4. in f.* adde, Socrates, *lib.4.c.7: & lib.5.c.23.*

LIB. VI.

Cap. I. p.251. l.10 poſt, è *libro*, adde *quarto &*, l.14 poſt 19, adde, Dorotheum, *lib.9.c.14*, & *lib.10.c.1.* l.16 poſt *collocet*, adde: cùm alij penes Eunomium culpam collocent, Socrates, *lib.5.c.23*: & quidem quod Eudoxius Aëtium Eccleſiâ eiectum admittere nollet. l.17 poſt *Eunomium*, adde, primò Diaconum, *lib.4.c.5* poſteà &c. l.19 poſt *hoc ipſo cap.* adde, *& cap.3.* p.252.l.16 poſt *cap 7.* adde: & Theodoſium Cyzici Epiſcopum in Aëtium concitaſſe, *lib.7.c.4.* p.253.l.14 poſt *cap.29.* adde, & *lib.4. hæreticarum fabular. c. de Eunomio & Aëtio.* p.254.l.2 poſt *adſumatur*, adde: De hâc verò ſententiâ, quod Filius à Patre ἀπαθῶς genitus dicatur, v. formulam Sirmienſem apud Athanaſium, *de Synodis Arimini & Seleuc. p.674*: item formulam emiſſam anno 344 *p.692.* & Sirmienſem alteram anni 351. *pag.695.* & eam quæ Seleuciæ in Iſauria conſcripta *p.696.* Baſilij, Georgij & ſociorum profeſſionem apud Epiphanium hæreſi *Semiarianorum 73. à n.2. paſſim*, v. nominatim *n.6. &c.* & anathematiſmum *n.11.* De hâc eadem voce, Orthodoxa alioquin, fraudéque quæ ſub eâ latebat, Athanaſius *in refutat. contra hæreſin Meletij &c. p.447.* De eâdem v. & ipſum Eunomium, apud Baſilium, *lib.2. adu. Eunomium p.61*, & Baſilium. *d.pag.61. & 62*: & Ammonium *in Catena Patrum in Ioannem c.1.p.14*: Epiphanius quoque, *hæreſi Arianorum 69.*

*n.*26. l.15. poſt *reponendum*, adde κτ. l.20. dele quæ ibi repetuntur (*ita enim etiam hic ſine cap. legendum*) l.24 poſt *pag.*46, adde: vbi ſic Eunomium loquentem inducit: ὅμοιον εἶπε τῷ γεννήσαντι κατ' ἐξαίρετον ὁμοιότητα μόνον, κτ τὴν ἰδιάζουσαν ἔννοιαν. Quomodo & apud Nicetam *theſauro orthod. fid. lib.*5. *cap.*7. imaginariâ quadam ſimilitudine. p.256.l.20 poſt *genuit*: adde: Quamquam poſſis & ita emendare: *in initio*: τὸ μὲν τοι ὅμοιον, οὐ κτ τὴν οὐσίαν λέγειν τῷ πατρὶ τὸν υἱὸν, καὶ μὴ ὁμοιότατον φρονεῖν, ἀλλὰ κτ &c. p.257.l.1. poſt *proponam*, adde. ¶ Tandem extremo huius capitis, nota vocem κρῆσιν: ibi: ὡς δὲ καὶ κτ κανεὸν τὴν ἱερὰν εἰσιπόντος κρῆσιν. Χρῆσις eſt iudicium, ſententia: quâ voce ſæpe vtitur Photius, *in Bibliotheca*; veluti *n.*10. vbi de Euagrio: *n.*52. vbi de Heraclidæ epiſtolis. Hoc ſenſu & Anaſtaſij ecloga, περὶ κρήσεων.

Cap. II. p.258.l.2 pro *num.*26. repone 36: item pro *& Heluidianorum*, emenda, *ſeu Heluidianorum*. l.9 poſt *vt*, adde, *Eunomiani*. l.10 pro *lib.*1. emenda, *lib.* 2. Et mox, *pag.*59. *&* 60: & Baſilius *de Spiritu Sancto c.*2 *p.*145. Cyrillus Alexand. *in Ioannem c.*5. l.15 poſt *eſſet*, adde: Quomodo & Auguſtinus *lib. contra ſermonem Arianorum c.*23. hoc Arianorum dogma proponit: *Filius adorat & honorat Patrem, Spiritus adorat & honorat Filium*: Item, *Filium eſſe miniſtrum Patris, ſubditum Patri, Spiritum Sanctum eſſe miniſtrum Filij, & ſubditum Filio.*

lin.18. poſt *Luciferianos*, adde: *ſic & Eunomiani.* p.259. l.7. poſt *poſſis &*, adde φορβεὸν vel φορητὸν, i. *fœtum*; Spiritum enim Sanctum, fœtum, γέννημα Filij prædicabant. l.11 poſt, *pag.*65. 66, adde: vel denique reponendum hic loco φοβερὸν, φῶς νοερὸν: nam vt Pater & Filius φῶς dictus, ille γεννητῶς, hic ἐκπορευτῶς; imò & Filius φῶς νοητὸν οὐκ αἰσθητὸν τὴν ψυχὴν φωτίζον αὐτὴν, Chryſoſtomo, *in Ioannem homilia.*4. *haud ita procul a fine*: ita & Nonno *in μεταβολῇ Ioannis*, Spiritus Θεοῦ νοερὸς: vt hic Spiritus Filij φῶς νοερὸν, Eunomio & Eudoxio. Certe Catholicis quoque Spiritus νοερὸς οὐσία dictus, vt Baſilio *de Spiritu Sancto*. p.164: vbi & Spiritum Sanctum φῶς νοητὸν vocat: idémque *c.*26. *p.*209, Spiritum comparat cum lumine in quo cernitur

cernitur Dei imago. Eóque locus ex *Pſalmo* 15. adducebatur: ἐν τῷ φωτί σου ὀψόμεθα φῶς. Et Eunomiani nominatim Spiritum Filij φωςποιὸν dixêre, qui eum comparabant cum Spiritu αἰθραπίνῳ καὶ αἰσμαίῳ v. Baſilium, *adu. Eunom. lib.* 5 *p.* 116. Filij porrò φῶς νοερὸν Spiritus, Eudoxio & Eunomio, quod intellectu in eo Filius cerneretur, ὁμοιώματι αἰθρωπίνῳ, vt loquitur idem *p.* 120.

Cap. V. l. 2 poſt *notauit*, adde: Poſſit & hæc Philoſtorgij ſententia videri, reuerà impiarum Synodorum finem impoſitum in Conſtantij funere: quando quidem Ariani & Eunomiani formulas Synodi Sirmienſis, Seleucienſis, Ariminenſis, Ancyrænæ, Conſtantinopolitanę, improbabant, in quibus omnibus Filius Patri *per omnia ſimilis* definitus fuit, οὐσίας tamen nomine omiſſo, vel *ſimilis ſecundum ſcripturas*, vel *ſecundum ſubſtantiam ſimilis:* proinde vertendum hic fuerit, *Synodóſque impias*, τὰς ἐπ' ἀσεβείᾳ συνόδους.

Cap. VI. l. 11 poſt *cap.* 11. adde. *Sed.*

LIB. VII.

Cap. III. p. 269. l. 7 emenda Ad Cap. III. l. 15 poſt, *num.* 271. adde, & *in Catenâ* Patrum *in Lucam c.* 8. *v.* 4.

p. 275. l. 20 pro ἵμδυε, emenda, ἵμδυε. p. 279. l. 2 pro *ad caput* 10, emenda *ad caput* 18. Item poſt *lib.* 2, adde: Niſi potius putemus, Photium hâc parte Philoſtorgio adſtipulari: quandoquidem is eo tempore hanc Epitomen ſcripſiſſe videtur, quo Patriarchatu depoſitus, & iconomachus iam, in monaſterium ſeceſſit. Cui rei argumentum præbet quod nullum hic ἀθετήσεως veſtigium extat: verùm de hoc *in Prolegomenis.*

p. 280. l. 23 poſt *Photio*, adde, *& in Catenâ* Patrum *d. loco.*

p. 282. (nam & ita emendandum) l. 22 poſt *cap.* 20: adde, & Aſterium in Catenâ Patrum in Lucam *c.* 8. *v.* 48.

Cap. IV. p. 286. l. 5 interpunge, *diſiunctas, à monachis* &c.

p. 287. l. 3 pro *quique*, repone melius, *quibuſcumq.*

Cap. X. p. 299. l. 6 poſt χρεστῶν adde, Eidem inſcribuntur & *l.* 5. *Cod. Th. de bonis proſcriptor: & lex* 5. *de fide teſtium.* De eodem

& Libanius, *epiſt.*29.*ad Iulianum:* & Chryſoſtomus *Orat.*2. *de S.Babyla.* l.7 pro *hæc*, emenda, *hoc.* p.300. l.3.4.5. Illa, Eidémque inſcribitur præterea &c. tollenda ſunt, & referenda ad pag. *ſuper* 299.

Cap. X I I. p.304. l.1 poſt *aruſpicum*, adde: *de quo poſteriore.*

Cap. X V. p.308. l.14 pro *fuerit*, emenda, *fuit.*

l.24 pro ἀπώλεσας, emenda ἀπωλέσας.

L I B. V I I I.

Cap. I. p.314. l.11 poſt *Eutropius lib.* adde, *lib.*10.*in fi.*

Cap. III. p.322. l.4 pro *cap.*4. emenda, *num.*4. l.11 poſt *memorat*, adde, *ſed falſo vt puto.* l.24 poſt, iam *ſupra:* adde, Certe apud Nicetam, *Theſauro orthodoxæ fidei lib.*5.*c.*13, Theodoſium hunc ὅμοιον profeſſum dicitur. p.323 l.20 pro *Socrate*, emenda, *Socrates.* l.21 poſt *cap.*32.: adde, & Nicetas, *Theſauro orthod.fid. lib.*5.*c.*14. p.324. l.4 poſt *nomine*, adde, *qui Tripolitanus* fuit, v. Nicetam *Theſ.orthod.fid.lib.*5. *c.*11.

Cap. VIII. p.337. l.14 pro *diuiſio*, emenda *diuiſo.*

Cap. I X. p.338. l.1 pro *vitam*, emenda, *vitâ.* lin.5 pro καθηγίσασθαι, emenda καθηγήσασθαι. p.340. l.3 pro *Hypathiæ*, emenda, *Hypatiæ.*

Cap. X. p.341. l.5 & 13 pro *Iucubum*, emenda, *Incubum.*

l.13 poſt *negauit*, adde (extra cauſas enim naturales morbos multos hominibus immitti, & ſacra Scriptura & Ioſephus doceat.)

Cap. vlt. p.356. l.13 pro ἁρμοδιωτάτῳ, emenda ἁρμοδιοτάτῳ.

L I B. I X.

Cap. I. p.357. l.18 pro *lib.*2. emenda *lib.*5.

Cap. I I. p.361. l.2 pro κλινοτάφιον, emenda κενοτάφιον.

Cap. I I I. p.364. l.4 poſt *Troglitæ*, adde, *(vt alicubi malè expreſſum)* l.13 tolle vocem *hactenus.* l.17 pro *cuſtodire*, emenda *cuſtodiri.* p.3[illegible]. l.21 & verſa pag. paſſim, adde *vel Hiſtopodes.* p.366. l.3 pro *dcam*, emenda, *dicam.*

l.17

l.17 pro *κατάδυον*, emenda *καταδύων*. l.26 poſt *ruſticè*, adde, *cap.2.* p.367. emendandus numerus paginæ, ita, 367. l.9 poſt *Pedereċtos*, adde vel *Ereċtipodes*. l.24 pro ὑπόςασις, emenda ὑπόςασις. l.26.& 27 tolle, *defectionis*, vel ſubſtitue *impietatis*.

Cap. V. p.370.l.13 pro *dicerè*, emenda, *dicere*. p.374. lin.3 pro *aditum*, emenda, *editum*. pag.375.l.1 poſt *certe*, adde, Socrates, *lib.4.c.8. in fi.* ſub finem menſis Maij A.D.366. bellum aduerſus Procopium patratum ſcribit: quomodo & Procopium.

Cap. VIII. p.378.l.6 poſt *videlicet*, adde (de quo infrà quoque *cap.11.*)

Cap. XVII. p.392.l.13. pro *tantum*, emenda, *tamen*. p.395.l.1 pro *cauſa*, emenda, *cauſâ*. l.5 pro *qua*, emenda, *quo*.

LIB. X.

Cap. I. p.399.l.12 pro *corpore*, emenda, *tempore*: mox, pro *quos*, repone, *quas*. p.400. l.4 emenda, ἀκμαζουσῶν.

Cap. III. p.404. l.5 pro ἥ, emenda, ἧ

Cap. V. p.411. l.20 pro *ſuperior*, emenda *ſuperiorem*.

Cap. IX. p.418.l.17 pro *attieet*, emenda, *attinet*.

Cap. X. p.420.l.25 tolle vocem *eos*.

LIB. XI.

Cap. I. p.430. l.14 pro *abſoluti*, emenda, *abſoluti*. p.431. l.vlt. pro *Suſpitius*, emenda *Sulpitius*.

Cap. II. p.438.l.penult. pro *amnes*, emenda, *omnes*.

Cap. III. pag.443. lin.5 pro *Rufino*, emenda, *Rufino*.

Cap. IV. p.444. l.pen. pro Cap. III. emenda, IV. pariter vt in lemmate p.445. p.446.l.10 poſt *ſimilia*, adde, *de Patriciatu*.

Cap. V. l.5 pro *Dacaorenis*, emenda, *Dacoroënis*, pariter vt p.449. l.11 emenda *Dacoroënorum*. p.450.l.8 tolle *Cæſarij ſucceſſorem*.

LIB. XII.

Cap. I. p.460. omiſſum lemma primi capitis, quod ita ſupple.

ADDENDA ET EMENDANDA.

Ad Cap.I. de Stelichonis cœde & de Olympio.

p.461.l.17 pro *αὐτὸν*, emenda *αὐτὸς*. p.462.l.11 pro *προετρε-πεν*, emenda *προὔτρεπεν*.

Cap.II.p.465.l.vlt. ante cap.3. poſt *turbatum eat:* adde. Etſi in hâc ſpecie non tam aliena ſucceſſio propriæ opponitur, quam ea quæ legitimè ſaltem ſperari poterat, ei quæ ſperari iuſte non poterat.

Cap. III. p.469.l.24 loco *προαιρέσει*, emenda *προαίρεσις*.

p.473.l.8 poſt *repoſuit*, adde, *loco*, ita loco Τὰς Ἄλπεις.

Cap. V. p.479.l.7 pro *conſcenet*, emenda *conſcenderet*.

Cap. X. p.487.l.4 pro *ἀναπέμπλοντας*, emenda, *ἀναπέμποντας*.

Cap. XI. p.489.l.12 pro *Auguſti*, emenda, *Auguſta*.

F I N I S.

APPENDIX PHILOSTORGIANA:
ſeu,
DISSERTATIONES
DVÆ IVRIDICÆ:

Ad Illuſtriſ. V.

D. PETRVM SEGVIERIVM,
FRANCIÆ CANCELLARIVM.

I. De Nuptiis *Conſobrinorum*: vbi, *Lex Celebrandis* 19. *Cod. de nuptiis* illuſtratur, Arcadióque Imperatori vindicatur.

II. De Teſtamento Tempore *Peſtis*, vel à Teſtatore peſte contacto, condito: vbi, Lex *Caſus maioris* 8. *Cod. de teſtamentis* illuſtratur: oſtenditúrque, eam de Peſte non agere.

ILLVSTRISSIMO VIRO

D. PETRO SEGVIERIO,

FRANCIÆ CANCELLARIO.

IACOBVS GOTHOFREDVS. P. F.

CVM in Philoſtorgio nuper eſſem, Illuſtriſſime Virorum, quem Eccleſiaſtica ſibi potiſſimùm Hiſtoria ſcriptorem vendicat, non ideò tamen priſtinorum me ſtudiorum vel obliuio vel ſatias cepit: Imò & occurrebant ibi, quæ Iuris ſcientiam profeſſo aurem vellerent: Inter alia, narratio de deſponſa Iuliano Cæſari à Conſtantio Imp. conſobrina: Sed & inter alias Arcadiani Theodoſianiq; ſæculi calamitates, peſtilentiæ cuiuſdam memoria. Commodùm & illud euenit, vt cùm ibi eſſem, ad me perferretur Viri, de literis dudum optimâ fide merentis, breue ſcriptũ, de Conſobrinorum *inter alia nuptiis: Inde verò, de Teſtamẽto quodam tempore* peſtis *condito, eo ipſo tẽpore conſulerer: Fecit ea res, qui mos alioquin meus, vt ſolemnes ſtatim quæ hâc de re vtraq; Iure noſtro Conſtitutiones habentur, diligentius enucleandas ſuſciperem, ſingularique Diſſertatione vtráſque illuſtrarem.*

Eaſce verò Diſſertationes Illuſtriſſimo Nomini Tuo dicare nunc viſum: Exiguo equidem, fateor, munere, quo negotia tua, quæ te

tot tantaque in hoc Literatæ Dignitatis pontificio poſitum circumſtant, diffindantur. Idem tamen, vt autumo, neque moribus tuis alienum, neque exemplo apud alios infrugiferum: Nam & famoſiſſimarum in foro quoque Conſtitutionum inluſtrationem adgredior, apud te, qui Vox & Armarium legum audis, non inde tantum ex quo AVGVSTISSIMI INVICTISSIMIQVE *Principis ore in hunc honoris apicem ſubuectus es, verùm & tum cùm ſummâ Iuſtitiæ laude cæteriſque ornamentis ſuccinctus, ſupremi Senatus Princeps, dignitatis iſtius culmini dudùm præludebas: Earumdémque Legum* vindicias *apud te mihi nunc ſumo, qui hoc ipſo temporis momento, baſilicum reuerà* Baſilicorum *opus, tam auide, tam & diu expetitum, ab interitu* vindicare *ſatagis: Quo ſanè cœpto nullum poſt Iuriſprudentiam excitatam auguſtius, nullum immortali laude, nullum Te, vt ſummatim dicam, dignius. Auſim & illud de limatiſſimo mihi iudicio tuo, déque ſummâ humanitate tuâ polliceri, Diſſertationes has non tam breuitate ſui cenſendas, eâque re ſpernendas, quàm vtilitate ſpectandas. Vt enim in vitâ moribúſque nullus æque grauis error, atque cùm rectè ſecúsve geſta modo tantum, non & fructu exituue æſtimantur, vulgato etiam illo apud imperitos,* Quid? quaſi magnum donas, *vel vt Græci illud efferunt,* Τὶ γὰρ τὸ σπουδαῖον τοῦτο, *idem & in literis vſuuenit, vbi ſi quid vel ſpecie minimum aut neſcitur aut negligitur, innumera deinceps in exitium trahi, vel obnubilari neceſſe eſt: contra vel minima cuiuſque artis arcana ſeu myſteria monitaque, vulgata ſemel, vel opportunè inculcata, eò pertinent, vt veris quà tuendis quà nouis ſubinde eruendis commodent, fictis contra falſis conuincendis paſſim faciant. Euiuſce verò rei ſpecimen aliquod hîc edidiſſe mihi*

videor

videor, Vir Illuſtriſſime, vbi Iuri operaturi, ni fallor, velut in re præſenti coramue poſiti cernent, quo caſtu conſtitutiones Iuris habendæ ſint, quibus contra rationibus à falſo, falſiue ſuſpicione vindicari poſſint. Quod quidem & hoc æuo, feliciſſimo quamlibet, cognitu neceſſarium, vbi paſſiuitus Leges noſtræ vim patiuntur, earumque veritati obſtrepit hinc adulter ſenſus, inde corruptor ſtylus. Memorare poſſem, Illuſtriſſime Vir, patientiamque eâ re tuam fatigare narrando, quantum hoc in genere hodie quoque peccetur, verùm iuſti hæc operis materies eſt: illud interim fidenter dicam, próque abſoluto apud te affirmare auſim, quemadmodum ſuperiore ſæculo ſupinâ meliorum literarum inſcitiâ Iuriſprudentia laborauerat, ita hodie ſub authoritate eruditionis alicuius haud vulgaris, collectæque alibi famæ, iura paſſim corrumpi. Quod quidem expertus & ipſe ſum, tùm alias, tùm in Codice Theodoſiano: *ex quo enim de nouâ eius editione, cui fauentem Lucinam tamdiu exſpecto, ſpem concitare cœpi, prauis exinde quà Interpretationibus, quà Emendationibus magis magiſque fauciari eum deprehendi, ab iis videl. qui eum incurſare cœperunt. Verùm hæc paulò poſt: Nunc enim ad te redeo, Vir Illuſtriſſime, ea quoque ad cætera ſpe, benigne hanc operam meam abs te ſuſcipiendam, quòd ea proficiſcitur ab homine Gentis haud planè tibi incognitæ: Quando & Parentis olim mei, (cuius, dixiſſe mihi liceat apud Te Veri iuſtique præſidem, laboribus, communi fermè vſu receptis, etiam illi carere minime poſſunt, qui carpere ſtudent maximè) famæ, Fratriſque mei ſimul commodis tam prolixè fauere ſoles: Et vt maximè apud vos non editus, iis tamen Parentibus ſatus, aliis cognatione iunctus ſim, quos chara Magnaque Lutetia habuit habetue, & numero*

plures, & ortu Nobiles, & dignitatibus ſplendidos, Achiuiſque immixtos. Quæ peculiaris affectus mei eam in Vrbem *cauſa, cui & alioquin forenſis olim tyrocinij mei gratiam debeo, felicitatiſque meæ pars haud vltima: Quæ iuſto deinceps incremento augebitur, vbi me, quod opto, in Nominis Tui cultores admiſſum, ſtudiiſque meis fauere te, ſenſero. Vale Vir Illuſtriſſime, multos annos.* KAL. MAII A. D. M.DC.XLII.

PRIMA

PRIMA

DISSERTATIO

DE NVPTIIS CONSOBRINORVM:

vbi Lex *Celebrandis* 19. *Cod. de Nuptiis* illuſtratur, Arcadióque Imperatori vindicatur.

DE legitimis Conſobrinorum nuptiis celeberrima exſtat Codice Iuſtinianeo conſtitutio, Lex *Celebrandis* 19. *de nuptijs*, cuius inſcriptio ARCADII & Honorij Imperatorum nomina præfert: Quam ſolemnem fecit, non obſcuritas eius vlla, non de intellectu ipſius controuerſia, qui omnium apertiſſimus eſt, verùm ἐναντιοφανὴς quoddam inter eam aliáſque leges nonnullas, circaq; Auctorem eius, ſcriptorum quorundam hæſitatio, quibus ea ἀσπόνδῳ πολέμῳ diſſidere viſa cum duabus aliis eorundem Imperatorum conſtitutionibus, quæ integræ extant Codice Theodoſiano *l.3. de inceſtis nuptijs, & l.vn. ſi nuptiæ ex reſcripto petantur*, hâc vero parte interpolatæ, in Iuſtinianeo cõparent: Quibus illi, paternam Theodoſij M. Conſtitutionem ſecuti, conſobrinorum nuptias inter illegitimas & inceſtas habuêre. Hinc igitur variæ conciliandi viæ à viris doctis dudùm tentatæ: Frequentiſſima iam illa, quæ magnos fateor auctores habet, quamque nuper *Triplicis Quæſtionis* auctor, Vir de literis optime dudùm meritus, amplexus eſt, nouiſque inſuper coniecturis ipſe firmatum iuit: quâ videl. in falſi ſuſpicionem *Lex* illa *celebrandis* adducitur, atque à Triboniano

tantumnon fabricata creditur. Hanc verò falſi quæſtionem ingredi euentilaréque nunc libet: eâque re ſuo auctori, ARCADIO inquam Imperatori, eam vindicare: ſimul & obſeruationibus, ni fallor nonnullis nouiſque eandem illuſtrare.

Vetus equidem, neque iniuſta adeò, de Triboniani στρεψοδικοπανουργίᾳ criminatio eſt, qui, etſi veterum Iuris auctorum Imperatorúmque nomina centonibus ſuis exinde in Pandectas Codicémque relatis probo adhuc more præfixerit, in ſuam tamen ſententiam pleraque effinxit, reciſis, mutatis, additis quæ liberet cúnque: imò eſt & vbi aliena nomina ſeu titulos ſignaue, alióſue temporis characteriſmos nonnullis legibus adnotaret: Quod facinus omne nemo ſatis excuſauerit, quando genuina per hoc veteris Iuriſprudentiæ facies haud minimùm conturbata eſt. At enim quæſtio nunc vertitur, non de Lege quadam, aliquâ tantum ſui parte interpolatâ, verùm de fictâ-falſâ prorſus ſuppoſitaque, quam Tribonianus ex ſuo tantum ſenſu ſœculique ſui diſciplinâ commentus dicitur.

Quod ſi ita eſt, Triboniani interim *ingenium* laudare oportet, qui ad eam veri ſpeciem legem illam ita affabre adornarit, vt omnia quæ ad temporis rationem facerent, & ſic ad impoſturam tegendam valerent, ibi conuenientiſſime apponeret. Nempe enim Arcadij Honoriique temporibus (quorum nomina ibi inſcripta ſunt) Eutychianus PP. ad quem ea lex emiſſa eſt, omnino congruit: & Stilico 2. Anthemiúſque Coss. illi legi ſubſcripti, vtriſque conueniunt. Sed quid cauſæ eſſe dicemus, cur Tribonianus è tanto Imperatorum numero, è tam amplâ Magiſtratuum notitiâ, tam longa Faſtorum pariumque Conſularium ſerie, Arcadij potiſſimum Honoriique Imperatorum, vt & Eutychiani PP. nomina, tandem Stiliconem 2. & Anthemium Coss. hic deligeret deſignarétque? Iſtud verò ſaltem ingenioſius cautiúſque, quàm illi, qui paria Conſulum, qui nuſquam fuere, ὑποβολιμαίοις ſcriptis ſuis imprudentes adſignarunt. Magnas deinde αἰτίας opinor fuiſſe oportet Triboniano, vt hanc falſimoniam admitteret, vtque mentem ſuam ſœculiue ſui diſciplinam vetuſtioris nominis obtêtu velaret: quod fecêre

alioquin

alioquin Imperatorum nonnulli, qui ne noui iuris auctores haberentur, vetera, vera tamen, obtendere maluerunt, & in his quoque Arcadius ipſemet *l.3. C.Theod. de teſtamentis.* Atenim, quid Tribonianum huc adeò adigere potuerit, vt falſi genus iſtud admitteret, illud eſt quod à nemine adhuc diſcimus. Quid enim? Haud ſatis bonum Iuſtiniani nomen ei hâc in re videbatur, vt alterius vetuſtioriſque Principis titulum cõſtitutione ſuâ ementiri neceſſe haberet? An vt noui ſaltem iuris inuidiam eâ re à Iuſtiniano amoueret, qui promiſcuis tamen nomen ſuum conſtitutionibus, quibus iura paſſim fixit refixitque, vulgari imò obſoleſieri paſſus eſt?

Verùm his miſſis, rem ipſam putare, totamque adeo *Legem celebrandis* excutere atque euiſcerare iuuat, vti internoſci poſſit, num falſi ſtrictura aliqua in eâ ſubſit, & talis quidem, vt Triboniano adſcribi mereatur, quod illi volunt, an verò, quod nos contendimus, ARCADIO planiſſimè adſcribenda ea ſit. Certe & aliàs, vbi falſi examen incidit, acerrimam indaginem fieri oportere definit Conſtantinus M. argumentis, teſtibus, ſcripturarum comparatione aliiſque veſtigiis veritatis, vt eſt in *l.2. C.Th.ad l.Cornel. de falſo.* quæ & ipſa interpolata extat *l. vbi 22.Cod.Iuſt.[eod.tit.* Et, vt Quintilianus *lib.5.*[illegible]5. ait, in falſi quæſtione id videndum, num tempora congruant, num antecedentia vel conſequentia tabulis repugnent: inſpectio quoque ſæpe ipſa falſum deprehendit. Ac nominatim cùm de vetuſtioris ſcripti alicuius fide dubitatur, ſpectanda inter alia ſubiecta eius materia, ſtylus deinde ſeu orationis character, propriaque adeò facies, tandem & tempus, de quo ferme Auguſtinus *epiſt.*48. Haud abſimili more, quo in nummis probandis ſpectari ſolet materia, forma, Principiſque vultus; quæ niſi reſpondeant omnia, adulterinus pr[illegible]uique commatis nummus habetur. Nos itidem nunc videamus, cur noui iſti artis illius, quæ γνήσια alioquin ἀπὸ τῶν νόθων diſtinguere ſolet profeſſores, hanc legem de Arcadianarum conſtitutionum indice expunctam velint, quibus contrà rationibus in Iuſtinianearum familiam ordinémque recipiendam autument. Enimuerò docent nos illi

proculdubiò, ficta-falſa ibi omnia, non inſcriptionem modò ſubſcriptionemve, de quibus poſteà; verùm ipſum quoque Legis contextum, ſeu materiam & continentiam omnem; quaſi ſcilicet *Ius priſcum* quod ibi memoratur, atque in vſum reuocatur, eiuſcemodi non fuerit, vt eo conſobrinorum nuptiæ pro legitimis haberentur: contrà, quaſi *medio* iure quod ibi abrogatur, conſobrinorum nuptiæ calumniarum fomentis obnoxiæ non fuerint. Deinde proculdubio docent nos illi, conſtitutionem ipſam illam Arcadio minimè conuenire. Docent illi nos æquè, ſtylum ſeu dicendi characterem Arcadiano ſœculo non congruere, verum Tribonianiſmum ſapere. Imò nil tale hactenùs, quod neceſſarium tamen hâc in re opinor erat, atq; ab his expectabamus. Quare cùm nihil huiuſce nobis præſtent illi, nos contrà id demonſtratum nunc imus, hinc omnia illa quæ eâ l. de priſco iure medioque proponuntur, veriſſima eſſe; inde quæ ibi definiuntur, vnà cum orationis charactere, Arcadij genio ſœculoque conuenire: Denique quæ ad temporis characteriſmum pertinent optimè inter ſe congruere. Atque adeò genuinum hunc Arcadij fœtum eſſe, καὶ τοῦ πατρὸς τὸ παιδίον. Exiguâ equidem in præſens opellâ, & forte contemnenda, ob promiſcuum iam argumentum, hactenus tamen profuturâ, ne magnis deinceps nominibus, doctiſque in ſpeciem erroribus, Lectorum animi in prauum trahantur: contra diſcant illi in tempore, recta à curuis diſtinguere, ſuiſque oculis credere, denique ea quæ cuiuſque ſœculi geniique propria ſunt, hoc exemplo internoſcere: Nam vt Triboniani impolitias ætate ſuperioribus adſcribi putidum, ita contra prioris æui conſtitutiones ad Tribonianum auctorem referri, ferendum minime eſt.

Vt igitur ordine procedat oratio, eadémque Legem Celebrandis iuſtâ interpretatione illuſtremus, tria initio *Iura* eâ l. proponi notandum eſt. 1. *Priſcum* videlicet quod Theodoſij M. legem præceſſit. 2. *Medium*, Theodoſij ipſius Arcadiique. 3. *Nouiſſimum*, quod eâ l. reducitur.

Quod *Priſcum* igitur *ius* attinet, quo videl. Conſobrinorum nuptiæ legitimæ erant, nolo nunc teſtimonia in id aliunde altiuſue

altiuſue repetere, omnémque Antiquitatem eò commouere; nolo etiam in Aequitatem religionémque & Honeſtatem eius iuris nunc inquirere: Apertiſſimæ profectò, quod hanc ad rem noſtram ſufficit, ſunt Leges noſtræ, quæ fidem iſti rei abunde faciant: Id quod PRISCI Iuris appellatione hîc intelligendum eſt: quod alibi *ius vetus*, & *ius antiquum* dicitur: nempe illud, quod à veteribus Iuriſconſultis priſciſque Imperatoribus profectum eſt, quod & Arcadio aliàs propoſitum deprehẽdo. Sic idem *l.4.C.Th.de adminiſtr. & periculo tutor.* quæ data eſt A.D. 396, ad eundem Eutychianum PP. *antiqui iuris formam*, vocat & ſequitur, quæ Senatuſconſulto, & oratione D.Seueri conſtituta fuit. Sic *l.3.Cod.Th. de teſtamentis* eodem anno *antiquiora iura* ſequitur, Scæuolamque nominatim laudat, quem & auctorem prudentiſſimum Iuriſconſultorum vocat. Sic idem eodem anno *l.8.Cod. Th. de diuerſis reſcriptis*, iuris definitionem & Conſultorum omnium conſonam reſponſionem allegat & ſequitur. Sic eodem ſemper anno *l.56. C.Th. de appellationib.* repugnantes priſcorum ſententias temperat. Sic tandem anno 397. *l.4.Cod.Th.de teſtamentis*, ſeu *l.18.C.Iuſt. eod.titulo*, morem retinendum ait fideliſſimæ vetuſtatis: videnda & eiuſdem *lex 7. C.Th. de Aquaductu.* Nunc itaque procedant teſtimonia illa de licitis Conſobrinorum nuptiis è priſco iure petita, vnde poſtea & alia quædam in rem noſtram conficiemus. Enimuerò Pomponius (libro proculdubio primo ad Sabinum) ſub Marco Antonino (qui & ipſe Anniam Fauſtinam conſobrinam ſuam duxit) & ex eo Paulus lib.1. itidem ad Sabinum, *l.3.π.de ritu nupt.* quibus illi libris de Adquirenda hæreditate egêre, & inter alia, quo auctore hæreditas adquiri poſſet filio hærede inſtituto, in generalem tractatum de Auctoritate parentum ſeſe effundentes, ſpeciem ponunt in *Auo*, quo auctore nuptias contrahi poſſe definiunt inter nepotem ex filio, & neptem ex altero filio in poteſtate poſito.

Marcellus itidem lib.12. Digeſtorum, quo is inter alia de conditionib. inſtitutionũ egit, ſub eodem Marco Antonino Imp. in *l. vter 23.ff.de cõditionib.inſtitutionũ*, ſpeciem ponit in *Fratre*, eodémq;

Conſobrino,qui teſtamento ſuo ita cauit,*Vter ex fratrib.meis conſobrinam noſtram duxerit vxorem ex dodrante,qui non duxerit ex quadrante hæres eſto.* Poſt hunc Ceruidius Scæuola pariter ſub Marco Imper. & eo iam Diuo, lib.21.Digeſtorum, quo de l.Falcidia & SC.Trebell.tractauit, in *l.Lucius Titius* 78. § *filiam* 8. *ff. ad SC. Trebellianum*, ſpeciem ponit in *Patre* eodémque *Patruo*,qui fratris ſui filio genero ſuo ducentos aureos legauit,cúmque legato contentum eſſe iuſſit , quod filium ſuum & neptem ex eo hæredes ſcriberet. Papinianus inde ſub Seuero Imper.lib.6. Reſponſorum, (quo libro de inſtitutionibus egit,) in *l.qui ex fratribus* 24. *ff.de conſtitutionib.inſtitutionum*, ſimilem cum Marcello ſpeciem tractans, caſum ponit in *Fratre* , qui teſtamento ita cauit, qui ex fratribus meis Titiam conſobrinam vxorem duxerit ex aſſe hæres eſto,qui non duxerit,ex triente hæres eſto. Tryphoninus tandem ſub Antonino Caracalla lib.9.Diſputationum, quo egit de Nuptiis *in l.non ſolum* 67.§.1.*ff.de ritu nuptiarum*, ſpeciem ponit in *Auo* qui tutelam geſſit neptis ex filio emancipato , neptem illam nepoti ex altero filio collocante.

Et hactenùs quidem priſci Iuris conſulti. Quid ? Non & priſci quoque Imperatores conſtitutionibus ſuis Conſobrinorum nuptias pro legitimis habuêre ? Non Antoninus Caracalla A.D.214. in *l.* 2.C.*de institutionibus* ſpeciem tractat in *Matre* quæ filiam ſuam eâ conditione hæredem inſtituit, ſi filio ſororis ſuæ conſobrino ſuo matrimonio iungeretur ? Non Alexander Seuerus in *l legatum* 4. C.*de conditionibus inſertis*, caſum ponit in *Patruo* , qui nepti ſuæ (ex fratre vel ſorore) legatum vel fideicommiſſum reliquit ſub conditione ſi filio eius nupſiſſet. Et ita quidem Antoninus *in d.l* 2.vt diſertè *probabile* id matris *conſilium* vocet,definiatque,*non videri eam ſub ſpecie turpium perſonarum viduitatem indixiſſe.* Superioribus addamus,præter Vlpianum *in Regulis* , Paulum *in ſententiis*, vbi hæ nupriæ inter inlicitas non numerantur,Diocletianum,qui conſtitutione ſuâ data Damaſco Tuſco & Anulino COSS. A.D. 295. quæ integra exſtat è libro 5. Codicis Gregoriani ſub titulo *De Nuptiis* apud Auctorem collationis legum Moſaicarum *tit.de inceſtis nuptijs* 6. (vnde alioquin deſum-

deſumpta eſt lex 17. C. *de nuptijs*) haſce conſobrinorum nuptias inter prohibitas non numerat: quarum peculiarem & expreſſum alioquin recenſum eo Edicto egit, ſub hâc præfatione: *Cum quibus autem perſonis tam cognatorum quam ex adfinium numero contrahi* NON LICEAT *matrimonium, hoc Edicto noſtro complexi ſumus.* Sic patet, verum eſſe quod hâc l. ab Arcadio indicatur de Priſco iure, quo conſobrinorum nuptiæ legitimæ erant. Et ex illis ipſis tamen fermè legibus (vt id obiter dicam) colligere mihi videor, etſi per leges licitæ eæ forent, non tam promiſcuè tamen vſurpatas eas, neque apud omnes ſatis honeſtas viſas: quod ſanè & Auguſtinus, loco quem mox laudabo, ſcribit, qui ait hâc in re *rarò per mores factum, quod fieri per leges licebat*, ſeu vt Libanius ait, etſi ἐν ἀξηνοίᾳ πολλῇ τὸ φθέγμα eſſet: Quandoquidem ſuperioribus fermè legibus omnibus videmus, nuptias has proponi, non tam ſponte ſuſceptas contractáſque, quàm à Parentibus pro imperio conciliatas, vel ab iiſdem, veluti Matre, Auo, Fratre, Patruo, Conſobrino, probabili aliquo conſilio vltimâ voluntate, propoſito etiam in id præmio, imperatas: Cuiuſmodi ſpeciem quoque memorat Symmachus *ep.* 11. *lib.* 10. (quæ in Iuretiano auctuario eſt *ep.* 14.) imperatarum, inquam, coram & per epiſtolam inter conſobrinos à patre eodemque patruo in extremis agente nuptiarum: Probabili, inquam, conſilio, ſiue diuitiarum cogendarum, ſiue quo alio contemplatu: à quo alioquin haud adeò abludit, quod Plutarchus *in Romanis* memorat, de primâ harum inter Conſobrinos nuptiarum permittendarum origine. Et ſic confecta res eſt de Priſco iure quod in *d. l. celebrandis* memoratur, ſimul & in vſum reuocatur: Probatumque adeò, quòd nemo puto negaſſit, hactenùs Triboniani manum vel falſimoniam nullam hac l. agnoſci ſeu deprehendi.

An verò maior ſuſpicionis materies in eo, quod de eo deinceps iure eadem l. memoratur, quo videl. Conſobrinorum nuptiæ illegitimæ, & vt hic dicitur, *calumniarum fomentis* obnoxiæ fuerint: Quod quidem ius *medium*, ſeu *mediam Iuriſprudentiam*, vt non malè Accurſius, vocare poſſis. Imò neque hic vlla ſuſpi-

cionis falſiue materia; quando liquidum, & Theodoſij M. primùm conſtitutione, & Arcadij deinceps lege, etſi paulo clementiore, quæ data eſt ad eundem Eutychianum PP. A.D. 396. *l.3. C. Th. de inceſtis nuptiis* hac parte à Triboniano interpolata) conſobrinorum nuptias vetitas, calumniarumq; fomentis obnoxias fuiſſe. Et de hâc tamen ipſa Theodoſij M. conſtitutione paulò prolixius nunc agere nobis libet, eaque omnia quæ ad eam ſpectant hâc occaſione in vnum congerere, de quâ etiam nonnulla habet Eminentiſs. Baronius in Annalibus Eccleſiaſticis A.D.390.

Ante omnia verò, cùm ea ipſa Theodoſij M. conſtitutio nuſpiam hodie exſtet, veterum de eâ teſtimonia hîc κατὰ λέξιν apponenda ſunt: Quę quidem ſex occurrunt quâ ſcriptorum quà Imperatorum qui intra quadraginta quatuor fermè annorum ſpatium ab eâ latâ illius meminêre: Vnde nonnulla poſtea conficiemus, quæ à ſuſceptâ materia haud adeò aliena videbuntur. Antiquiſſimus igitur & coætaneus equidem ſcriptor occurrit Libanius Orator Antiochenus, *Oratione*, quam nos primi edidimus, ὑπὲρ τῶν γεωργῶν περὶ τῶν Ἀγγαρειῶν, quamque is ad ipſummet Theodoſium ſcripſit, Ibi poſt alia exempla anterioris cuiuſdam Imperatoris, imò & poſt alterum ipſiuſmet Theodoſij, exemplum, quibus illi veteris conſuetudinis moriſque recepti ratione inſuper habitâ, leges nihilominus ſalutares tulêre, ſubiicit. Μὴ δ' ἴσωσαι ἀνεψιῶν γάμοι γέγραφας, ἐν ἐξουσίᾳ πολλῇ τοῦ πράγματος ὄντος, καὶ τῶν φαινομένων σοι δικαίων ἐν λῷ ὁ τοῦ ἔργου χρόνος δυνατώτερος, id eſt, *Edixiſti etiam, Ne Conſobrinorum nuptiæ eſſent, cùm id paßim liceret: neque iis quæ tibi iuſta videbantur, temporis obſeruantia validior fuit.* Meminit eiuſdem Theodoſianæ conſtitutionis Ambroſius Mediolanenſis ex Liguriæ Conſulari Epiſcopus (qui mortuus eſt Cæſario & Attico Coss. i. A.D. 397. *epiſtolâ ad Paternum* 66. *Sed ſi diuina*, inquit, *te præterennt, ſaltem Imperatorum præcepta, à quibus ampliſsimum accepiſti honorem, haud quaquam præterire te debuerunt: Nam* THEODOSIVS *Imperator etiam patrueles fratres & conſobrinos vetuit, inter ſe coniugij conuenire nomine, & ſeueriſsimam pœnam ſtatuit, ſi quis temerare auſus eſſet fratrum*

trum pia pignora : Et tamen illi inuicem ſibi æquales ſunt, tantummodò quia propinquitatis neceſſitudine & fraternæ ſocietatis ligantur vinculo, pietati eos voluit debere quod nati ſunt. Eandem Conſtitutionem indicat, ſimul & temperat, auctoris tamen nomine non expreſſo, Theodoſij filius Arcadius Orientis Imp. anno poſt mortem patris altero A. D. 396. (conſtitutione ad eundem Eutychianum PP. cui & lex *celebrandis* inſcribitur data,) *l.3. C.Th. de inceſtis nuptijs : Manente,* inquit, *circa eos ſententiâ qui poſt latam dudùm* LEGEM *quoquomodo abſoluti ſunt aut puniti , ſi quis inceſtis poſthac Conſobrinæ ſuæ vel ſororis aut fratris filiæ vxoriſue , vel eius poſtremò cuius vetitum damnatumq́; coniugium eſt, ſeſe nuptijs funeſtarit , deſignato quidem* LEGE *ſupplicio, hoc eſt ignium & proſcriptionis careat, proprias etiam quandiu vixerit teneat facultates : ſed neque vxorem neque filios* &c. Honorius item, alter Theodoſij filius, Occidentis Imper. paternam conſtitutionem expreſsè memorat, A. D. 409. *l. vn. ſi nuptiæ ex reſcripto petantur : Exceptis his,* inquit, *quos Conſobrinorum , hoc eſt quarti gradus, coniunctionem* LEX *Triumphalis memoriæ Patris noſtri , exemplo indultorum , ſupplicare non vetuit.* Succedit Victor, non ille quidem Sex. Aurelius Victor elegantiſſimus ſcriptor, quem V.C. Andreas Schottus edidit , quique ſub Conſtantio & Iuliano vixit , verùm poſterior alter , quem Victorinum alij vocant : Is , eumque ſecutus Paulus Diaconus, *Hiſtoriæ miſcellæ lib.*13. de hâc Theodoſij conſtitutione ita ſcribit : *Tantum pudori tribuens & continentiæ, vt Conſobrinorum nuptias vetuerit , tanquam ſororum.* Sequitur tandem B. Auguſtinus, libro de Ciuitate Dei 15 (quem librum ſcripſit is circa A. D. 428, vt colligere eſt ex *lib.* 18. *c.* 54.) *cap.*16 : quo quidem loco agens de Connubiis, quæ etſi licita aliquando eſſent , more tamen melioréque conſuetudine abhorrebantur , *Experti ſumus,* inquit , *in connubijs Conſobrinorum etiam noſtris temporib. propter gradum propinquitatis fraterno gradui proximum, quàm rarò per mores fiebat quod fieri per Leges licebat, quia id nec diuina prohibuit, & nondum prohibuerat* LEX *humana : verùm tamen factum etiam licitum propter vicinitatem horrebatur illiciti , & quod fiebat cum conſobrinâ, penè cum ſorore fieri videbatur , quia & ipſi inter ſe propter tam propinquam con-*

ſanguinitatem Fratres vocantur & penè germani ſunt. Et mox. *Verùm quis dubitat hoc tempore etiam Conſobrinorum prohibita eſſe coniugia?* Et hactenùs quidem teſtimonia de lege Theodoſiana.

Nunc ſingularia quædam circa eam conſtitutionem quærere libet. Primò quæri poteſt, *quonam Imperij ſui anno* eam Theodoſius tuliſſe videatur, quod quidem per ſedecim annos is obtinuit, ab A.D. 379. ad A.D. 395? Arcadius equidem filius eius, altero poſt mortem patris anno 396, eiuſce Legis mentionem faciens, *d.l.3.C.Th. de inceſtis nuptijs*, eam Legem DVDVM latam ait. Quamdudum verò lata ea fuerit, ex eo ſatis ſciri non poteſt, quando dictio DVDVM ἐκ τῶν πρός τι eſt, incertúmque limitem habet: Et verò Arcadius ipſe diuerſimode eâ vtitur in aliis conſtitutionibus ſuis. Sic eodem anno 396, in *l.4. Cod.Th.de maternis bonis*, agens de *l.3. eod.tit.* quæ lata eſt anno Domini 389, i. ante octennium, eadem voce vtitur: *Quam Legis, inquit* DVDVM *lata ſanctio comprehendit.* Sic idem A.397. *l.1.C.Th.de ſuperexactionib.* *pœnam Diui Valentiniani ſanctione dudum definitam* ſcribit. Sic & anno 399. in *l.163.de decurionibus* agens de *l.121 eod.tit.* quæ data eſt anno 390, *iuxta legem*, ait, *dudùm latam.* Et idem tamen alibi, citerius eam vocem vſurpat: Ita a.395. *l.6. C.Th. de domeſticis* agens de Theodoſij patris ſui *l.5.eod.tit.* quæ data eſt anno 395, hâc ipſa voce vtitur: *Diuale*, inquit, *præceptum, quod ſupplicantibus Domeſticis* DVDVM *deuotiſſimis laborioſos prætulit otioſis* &c. Sic & A.D.397. agens in *l.7. de Senatoribus* de ſuâmet conſtitutione *l.5.eod.tit.* quæ data eſt anno 395. ait, DVDVM *præcepimus.*

Aliunde igitur ſubſidia conquiramus. Ambroſius in hâc inquiſitione aliquid iuuare videatur, dicta *epiſt.66*, quâ Theodoſianæ conſtitutionis vt dixi meminit. Eſt ea ſcripta ad Paternum, in ampliſſimo honore conſtitutum. Is verò proculdubio Paternus eſt, ad quem alioquin data extat eiuſdem Theodoſij M. conſtitutio Conſtantinopoli A.D.393. puta lex 14. *C.Th. de metallis:* & ad quem ipſum extant nouem Symmachi epiſtolæ *lib.* 5. Eum verò Comitem S.L. fuiſſe colligere licet ex *d.l.*14, vt & ex Symmachi epiſtolis tribus 62.63.65. Inde igitur iam conficias, eam conſtitutionem ſaltem à Theodoſio M. latam ante

A.D.

A.D.393. niſi ad Paternum eam epiſtolam datam putemus, ſed ſub Honorio demùm. Vlterius igitur & ad certiora adſurgamus. Libanium primum Theodoſianæ Legis meminiſſe ſuperius oſtendimus, eâ quam dixi & eduxi ad Theodoſium ipſummet Oratione, ὑπὲρ τῶν γεωργῶν περὶ τῶν ἀγγαρειῶν. Illud modò videndum, quo anno eam Orationem Libanius ſcripſerit, vt ita, poſtea de conſtitutionis Theodoſianæ, quam ibi velut recenter latam, memorat, æra liquere poſſit. Quatuor igitur characteriſmos in id ſuppeditat eâ Oratione Libanius. Primùm ſcil. ait, eo tempore annonæ difficultate per Orientem & Antiochiæ quidem laboratum; de quo agit idem & *Oratione aduerſus Icarium p.462.* (quæ illi περὶ ἀγγαρειῶν in quamplurimis παράλληλος eſt) vt *& de vitâ ſuâ p.64.69.* Hæc porrò fames Antiochiæ fuit, durauitque ſub tribus Comitibus Orientis anno 382. 383. 384. vt prædictis locis idem teſtatur: ſub Philagrio, inquam, qui ſanè Comes Orientis fuit a.382, vt docet *lex 41.C.Th.de curſu publico*; ſub Proculo, qui Comes Orientis fuit eodem anno 382.& 383, vt docet *lex 90.C.Th.de decurionib. lex 14.eod.Cod.de cohortalibus: lex 103. eod. Cod. de decurionib.* imò & *l.22.de operibus publicis:* cuius eiuſdem meminit idem Libanius non vno loco, etiam *Oratione ad Icarium p.455.456.458.* & in *ſupplemento* M S. *eius Orationis* quod penes me eſt: Tandem & ſub Icario qui poſt Proculum Comes Orientis fuit. Secundò memorat Libanius eadem Oratione περὶ ἀγγαρειῶν *d.p.36*, & continuo quidem filo, alteram Theodoſij M. conſtitutionem, *Ne quis ad munera ferarum inuitus ſeu neceſſitate cogatur.* Κἂν τοῖς ἐπαίνοις τοῖς περὶ σοῦ τῶν μεγάλων καὶ τοῦτο ἐστὶν, ἐπὶ τὰς τῶν θηρίων λειτουργίας ἀνάγκαις ἤγετό τις πρότερον, συγγνώμης τοῦτο ἐποίησας, οὔτε κωλύων βουλομένους, οὔτε ἕλκων ἄκοντας. &c. i. *Sed & maximarum laudum tuarum numero iſtud eſt: Ad publica ferarum munera neceſſitate quis antea tenebatur, id verò tu indulgentia feciſti, nec prohibens volentes, neque trahens nolentes.* Id verò conſtitutum à Theodoſio M. A.D.383. *l.103. C. Th. de decurionibus*, Conſtitutione datâ ad Proculum, illum ipſum de quo modò dixi, Comitem Orientis, in hæc verba. *Voluntate propriâ vnuſquiſque Syriarchiæ munus ſuſcipere debet, nō neceſſitate impoſitâ.* Syriarchia

C

ſcil. munus erat ferarum exhibendarum per Syriam, & nominatim Antiochiæ, de quo alibi plenius. Cuius eiuſdem Theodoſianæ conſtitutionis meminit idem Libanius, *Oratione ad Tiſamenum p.*447. Idque ipſum rursùm conſtituit idem Theodoſius fine menſis Aprilis anni 385. *l.*109. *C.Th.de decurionibus*, quæ data eſt ad Cynegium PP. *Nec cogi*, inquit, *ad Agonotheſiam volumus inuitos*. Tertiò meminit Libanius Oratione illâ περὶ τῶν ἀγγαρειῶν Immunitatis Decurionum à tormentis quæ his antea tributa fuerat, quamque tum conſtitiſſe docet *d.p.*36: quæ ſanè ſtabilita quoque fuit à Theodoſio M. menſe Septembri A. D. 384. *l.*4.*Cod.Theod. de tabulariis*. Certe idem Libanius quoque *Oratione aduerſus Icarium p.*464, latæ ſuper eâ re à Theodoſio conſtitutionis, & recenter quidem, meminit. Atenim infracta mox ea immunitas aliquatenus ab eodem Theodoſio A. D. 385. *l.*15.*Cod.Theod. de accuſationibus:* & A. D. 387. *l.*117. *de decurionib.* & A. D. 392. *l.*126.127. *eod.titulo*. Tandem oſtendit eâ Oratione Libanius, eo tempore Theodoſium repellendis hoſtibus occupatum fuiſſe. Quod quidem ego de Scythicis gentibus accipiam, Scyris, inquam, Carpo-Dacis, Hunnis, Grothingis, quibuſcum Theodoſio res fuit, etiam A. D. 384, quo is ex vrbe Conſtantinopolitana Heracleam Thraciæ ideò profectus eſt menſe Iunio, vbi & Iulio menſe conſtitit: quod docent nos ſubſcriptiones nonnullarum *legum Cod. Theod :* nempe *l.*8. *de palatinis S. L : l.*106. *de decurionibus: l.*11.*de murilegulis. l* 1. *de expenſis ludorum*, cui & iungenda eſt *lex vn. Cod. de Senatuſconſultis.* Fuit & anno 385.& 386: de quo videndus vel Zoſimus *lib.*4.*p.*759. 762. &c. Vt proinde ex his omnibus conficiatur, eam Orationem περὶ ἀγγαρειῶν à Libanio ſcriptam A. D. 384. vel 385. idque ſementis tempore, argumento eorum quæ ibidem ſcribit *p.*48. Ac proinde ante id tempus lata à Theodoſio M. conſtitutio de vetitis Conſobrinorum nuptiis, & recenter tamen, pariter vt altera de inuitis ad ferarum munera non cogendis : nam id proculdubio voluit Libanius, qui diſertè ibidem *p.*37, NOVARVM Theodoſij conſtitutionum meminit: ἐλαύνων γὰρ δὴ σὺ τοὺς πολεμίους, καὶ γάμοις καινοῖς δὲ ποιεῖς τοὺς ἀρχομένους, ὧν ἕκαστος λύει τὸν πάλαι κείμενον,

κείμενον, εἰκότως ἀμείνων δήπου δεικνύμενος. Quare definire iam licet, eam Theodoſij M. conſtitutionem de Conſobrinorum nuptiis latá circa initium Anni Domini 384. vel 385. Et quidem, vt exiſtimare licet, emiſſa ea fuit ad Cynegium PP. qui ab eo anno D.384. menſe iam medio Ianuario Præfectus Prætorio reperitur in *l.5.C.Th.de auro coronario : l.23.de operibus publicis : l.13.de hæreticis.* Nam & ad eundem Cynegium PP, ſine die tamen & Conſule, extat altera quoque Theodoſij M. conſtitutio, vel potius interdictio ſimilis, puta *lex fratris vxorem* 5. *Cod. de inceſtis nuptijs*, quâ is pariter *licentiam ſubmouet*, *Fratris vxorem ducendi, vel duabus ſororibus coniungendi :* Quam quidem legem ipſam (quod ſecundò notandum illi de quâ nunc agimus cohæſiſſe puto, atque adeò vtramque vnius eiuſdémque Conſtitutionis partem conſtituiſſe coniicio, non inani argumento : imò neque argumenti tantum ſimilitudine vel vicinitate, verùm etiam expreſſo ſatis Arcadij filij ipſius teſtimonio : Is quippe Theodoſianæ conſtitutionis de Conſobrinorum nuptiis ſummam memorans, eandémque temperans, ſic ſcribit. *Manente circa eos ſententiâ, qui poſt latam dudùm* LEGEM *quoquomodo abſoluti ſunt aut puniti, ſi quis inceſtis poſthac* CONSOBRINÆ *ſuæ vel* SORORIS *aut* FRATRIS *filiæ*, VXORISVE, *vel eius poſtremùm cuius vetitum damnatúmque coniugium eſt, ſeſe nuptijs funeſtarit, deſignato quidem* LEGE *ſupplicio, hoc eſt ignium & proſcriptionis, careat, proprias etiam quamdiu vixerit teneat facultates : ſed neque vxorem &c.* Quæ cùm ita ſint, hinc ſimul liquet, quæ tertia iam circumſtantia circa Theodoſianam Conſtitutionem notanda venit, eiuſce ſuaſorem fingi non poſſe Ambroſium Epiſc. Mediolanenſem, quod quidam ariolantur, quandoquidem ea lex condita promulgataque fuit, antequam Theodoſius Imperator in Occidentem profectus fuiſſet. Et hæc quidem de circumſtantiis nonnullis Conſtitutionis Theodoſianæ. Nunc quæ eius continentia, qui contextus fuerit, accuratius paulò videndum eſt. Primùm, quod prohibitionem ipſam attinet, vetitæ eâ Lege *Patruelium fratrum & Conſobrinorum nuptiæ*, vt Ambroſij locus aperte indicat. Scilicet, à Conſobrinorum

appellatione patrueles fratres eâ l. diſtincti à Theodoſio : quia *conſobrinorum* appellatio diuerſo ſenſu effertur: modò generaliſſimo, modò generaliore, tandem & ſpeciali: Speciali notione apud Grammaticos conſobrini ſunt, ex fratre & ſorore nati, à quibus & ſororini diſtinguuntur. Ita Donatus Hieronymi præceptor exertè, *in Hecyram Actu* 3. *ſc*.5. *Conſobrinus quaſi Sororinus: Sobrini ſunt ex duabus ſororibus: conſobrini ex fratre & ſorore.* Et mox, *Cùm de fratre natus eſt alter & alter ex ſorore, conſobrini, cùm ex fratribus Patrueles dicuntur.* Idem Donatus, *in Andriam Actu* 4.*ſc*.5. *Sobrini ſunt, vt alij putant de ſororibus nati, vt ſint ſobrini quaſi ſororini.* Apud Iuriſconſultos noſtros conſobrini ſunt ex duabus ſororibus nati: Patrueles, ex duobus fratribus: Amitini, ex fratre & ſorore, de quo textus ſunt notiſſimi. Generaliſſimo ſenſu *Conſobrini*, pro omnibus iis qui ſiue ex duobus fratribus nati, ſiue ex fratre & ſorore, ſiue ex duabus ſororibus. At generaliore paulò ſignificatu *Conſobrini*, qui ex fratre & ſorore: vel qui ex duabus ſororibus nati: Et hoc iam ſenſu in Theodoſij M. conſtitutione ipsâ Conſobrini à Patruelibus fratribus diſtincti. Etſi alioquin qui Theodoſianam l. memorant, *Conſobrinos* tantum vocent, Arcadius in *l*.3. *C.Th. de inc.nupt.* & *hac l. celebrandis*, & Honorius *l.vn.C.Th.ſi nupt.ex reſcr. pet.* & Victor alter & Auguſtinus. Ἀνεψιοὶ Græcis, quâ voce vtitur Libanius quoque Theodoſij conſtitutionem exprimens. Inter hos igitur omnes Theodoſius connubium ex æquo interdixit: vti contrà Arcadius *d.l. celebrandis* inter hos omnes exerte connubium legitimum eſſe voluit.

Secundò, *Rationem* quoque ipſam prohibitarum inter Conſobrinos nuptiarum Theodoſius M. conſtitutione ſuâ expreſſiſſe videtur: Victor alter enim, Theodoſium conſobrinarum nuptias vetuiſſe ait, *tanquam ſororum.* Ad quam alioquin mentem Auſonius *in Parentalibus ep.* 28. de Iulia Idalia Conſobrina,

Quæ genita eſt mihi penè ſoror,
Filia nam fuit hac amitæ.

Ambroſius item, vbi de hâc Theodoſij l. agit, *Tantummodò quia* inquit,

inquit, *propinquitatis neceſſitudine & fraternæ ſocietatis ligantur vinculo, pietati eos voluit* (Theodoſius) *debere quod nati ſunt.* Tandem & Auguſtinus: *quod fiebat cum conſobrinâ, penè cum ſorore fieri videbatur, quia & ipſi inter ſe propter tam propinquam conſanguinitatem fratres vocantur, & penè germani ſunt.*

Tertiò notandum, Theodoſij M. conſtitutione ſeueriſſimam *Pœnam* comprehenſam fuiſſe, vt diſertè prodit Ambroſius. *d. ep. 66. Et ſeueriſſimam*, inquit, *pænam* [Theodoſius] *ſtatuit, ſi quis temerare auſus eſſet fratrum pia pignora.* Vbi *ſeueriſſima pœna* eſt ſummum ſupplicium, & quidem ignis cum bonorum proſcriptione. Quam pœnam eâ Theodoſij l. diſertè comprehenſam fuiſſe Arcadius Imper. filius eius teſtatur *d. l. 3. Cod. Theod. de inceſtis nuptijs: Deſignato*, inquit, LEGE *ſupplicio, hoc eſt ignium & proſcriptionis.* Quo magis mirari libet ἀβλεψίαν eorum, qui è Gothico iure ea verba, *hoc eſt ignium & proſcriptionis*, illi legi infarta exiſtimant. Has ſanè pœnas Arcadius *eâ l. 3.* altero poſt patris mortem anno aboleuit, confiſcationis tantum bonorum certis caſibus pœnâ indictâ. Et hæc quidem *calumniarum fomenta* ſunt, quæ l. *celebrandis* abolentur, bonorum inquam proſcriptionis, confiſcationiſque, quæ Theodoſij Arcadiique lege conſtitutæ fuerant, atque adeò delationis petitioniſque horum bonorum vſus. Verùm de proprio huius *calumniarum* vocis ſignificatu mox plura. Quod verò Baronius ſcribit A. D. 390. num. 73, Theodoſium ideò ſeueriſſimâ lege hanc diſciplinam ſanxiſſe, quia Conſtantij conſtitutione, lege inquam 2. *Cod. Theod. de inceſtis nuptijs*, decreta effrœnis libido violaſſet, id minus admitto, quandoquidem vt nulla de vetito conſobrinorum coniugio ante Theodoſium lex extabat, ita lex *illa* 2. nominatim lata fuerat aduerſus nuptias cum fratris vxore, duabúſque ſororibus, non verò cum conſobrino.

Quemadmodum neque illud eiuſdem Baronij admitto, quod cenſet, Gentilibus ſignatè hoc coniugij genere Theodoſij conſtitutione interdictum, cùm Chriſtiani iam ſatis ipſi ab hiſce nuptiis abſtinerent: Generalem enim eam fuiſſe oportet, cohibēdis etiā Chriſtianis, quorū multi eas nuptias lege diuinà interdictas.

negabant, quod Auguſtinus certè ſenſit, contra quam Ambroſius: imò & Athanaſius *in ſynopſi ſacræ Scripturæ* ad lib. Numer. ſub finem ſcribit, factum *πρόσταγμα κυρίου καὶ νόμον, νόμιμον τὸν γάμον τὴν πρὸς ἀνεψιοὺς συζυγίαν.* Et verò generalia ſunt verba hâc parte ſcriptorum omnium qui Theodoſianam legem memorauêre.

Illud tandem quæri poteſt, vtrum in Theodoſij conſtitutione hæc *Exceptio* addita fuerit, *Præterquàm ſi huiuſmodi nuptiæ ex Reſcripto petitæ fuerint?* Quod quidam aſſerunt. Certè Ambroſius quoque *d. ep.* 66. ſupplicari, nuptiaſque has à Principe impetrari potuiſſe teſtatur: *Sed dicis, alicui relaxatum: Verùm hoc Legi non præiudicat: Quod enim* [non] *in commune ſtatuitur, ei tantum proficit, cui relaxatum videtur.* Teſtatur idem & Symmachus, *ep.* 11. *lib.* 10: ſeu, *ep.* 14 Iuretiani Auctuarij, quæ eam in rem tota eſt. Fidem facit & Honorij Imp. *lex vn. C. Th. ſi nuptiæ ex reſcripto petantur*, quæ data eſt anno 409. Idque deinceps quoque Gothico iure à Romanis deriuato, obtinuit vt patet ex Caſſiodori ſuper eo formulâ. Atenim Honorius, *d. l. vn.* de hâc veniâ ſeu Indulgentiâ ita loquitur: *Exceptis his, quos Conſobrinorum, hoc eſt quarti gradus coniunctionem,* LEX *Triumphalis Patris noſtris exemplo Indultorum, ſupplicare non vetuit.* Vbi quod ait, *Exemplo indultorum*, id eſt, exemplo aliorum actuum quorundam & negotiorum, in commune quidem vetitorum, quorum tamē nomine Principi ſupplicare licet: ſunt enim alia de quibus ſupplicare fas non eſt, de quo v. vel *tit. Cod. de precib. Imp. offer.* Id quod etiam legibus ſæpè exprimi ſolitum, ad atrocitatem facti augendam: veluti à Theodoſio M. ipſomet, in *l.* 14. *in fin. Cod. Theod. de hæreticis*, quæ A. D 388. ad Cynegium PP. quoque data eſt: *His etiam illud nectimus, vt ſupra memoratis omnibus adeundi atque interpellandi Serenitatem noſtram aditus denegetur.* Et ab Arcadio noſtro *l.* 10. *C. Inſt. de vectigalibus. Neque vllam contrariam ſupplicantium ſuper his moleſtiam formidari.* Et *l.* 167. *C. Th. de decur. Intercludi iuſſimus licentiam ſupplicandi.* An igitur & Theodoſium id ſuâ lege complexum Honorius ſuperioribus verbis indicare voluerit? Certè ait is, patrem ſuum ſupplicare Lege NON VETVISSE.

Quæ

Quæ ſane verba id expreſſè ingerunt, Theodoſium lege ſuâ neque id vetuiſſe, neque etiam permiſiſſe. Et verò quis ſibi perſuadeat, Theodoſium eâdem Lege, poſt confoſſam tantâ pœnarum atrocitate Conſobrinarum coniunctionem, ilicò eadémque conſtitutione ſupplicandi ſibi nihilominus eáſque nuptias à ſe petendi poteſtatem feciſſe? Tandem (quod *tertium* hanc ad rem argumentum) non Theodoſiana lege id expreſſe permiſſum fuiſſe, oſtendunt ſatis Ambroſius & Symmachus *dictis locis*: qui cum huius Indulgentiæ meminêre, non Legem, verum EXEMPLA tantum in id allegant. Symmachi en verba: *per Epiſtolam ſummis precibus obſecrauit, vt impetratâ ſacri auctoritate Reſcripti filia eius fratris ſui filio copuletur, quod multis eſſe conceſſum manifeſta teſtantur exempla.* Nunc è diuerticulo, neque tamen ingrato vel ἀπροσδιονύσῳ prorſus, in viam. Sic igitur quoque iam patet, nullam falſi, ſuppoſitioniſve ſuſpicionem in *d. l. celebrandis* hærere: quâ parte, Medium ius, quo conſobrinarum nuptiæ calumniarum fomentis obnoxiæ, & ſic prohibitæ fuiſſe, indicantur (ex Theodoſij videl. partim, partim Arcadij ipſiuſmet lege) memoratur.

Iam ſi tertio loco totam Arcadianæ *legis celebrandis* diſpoſitionem, διάθεσιν, contextum & diſpoſitionem ſpectes, non ea planè ad amuſſim facta, qualem agnoſcas in reliquis æui illius conſtitutionibus, quamque exacta methodus depoſcit? Ipſa primùm *Regula* ſeu Indulgentia initio Legis proponitur, reuocato priſco iure, medio contrà iure abolito reſtinctóque: Indulgentia, inquam, generalis contrahendarũ inter conſobrinos nuptiarum, cum antea nonniſi ex ſingulari Principis reſcripto ſeu priuilegio legitimæ eæ eſſent: LICENTIA, inquit, *legis huius ſalubritate* INDVLTA *eſt*: & mox: *matrimonium habeatur* LEGITIMVM. Mox ſecundâ parte, *Extenſio* legis indulgentiæque huius continetur, nempe indulgentiam hanc ad omnes conſobrinos ex æquo pertinere voluit Arcadius: ſiue illi ex duobus fratribus nati eſſent, ſiue ex duabus ſororibus, ſiue ex fratre & ſorore: Quibus verbis tria & ſic omnia conſobrinorum genera, Patrueles, inquam, Amitinos, & Conſobrinos propriè dictos, complexus eſt.

ne videl. vlla diſcriminis ratio hic videretur : Quandoquidem aliàs in hoc ipſo nuptiarum argumento, cognationis per ſorores ratio aliquando peculiaris viſa: ſic enim & fratris filiam vxorem ducere licuit, at non & ſororis, quod priſcorũ Iuriſconſultorum ac Vlpiani nominatim temporibus obtinuiſſe multi Pandectarum loci euincunt, & Vlpiani quoque in fragmentis apud auctorem collationis *legum Moſaicarum t.6. §.1.* Quam diſtinctionem deinde ſuſtulêre Chriſtiani Principes, ac nominatim Conſtantius *l.1. Cod.Th.de inceſtis nuptijs:* vbi ad eam l. plenè dico. Sic ſanè & iure Attico ſorores *ὁμοπατρίας* ducere licuit, non *τὰς ὁμομητρίας.* Tertiâ tandem huius legis parte Arcadius *Effectum* harum legitimarum nuptiarum proponit : nempe, vt ex eo matrimonio editi, legitimi, ſuiſque patribus ſucceſſores habeantur : contra quam videl. medio iure obtinebat, quod & ipſe Arcadius aliquamdiu ſecutus fuerat *d.l.3. C.Th.de inceſtis nuptijs.* In quibus omnibus iam cernas conſtitutionem è ſcriniis Arcadianis, éque felicioris Iuriſprudentintiæ venâ profectam , à quà tam longe abeunt Tribonianeæ, quàm cœlum à terrâ ſeiunctum eſt.

Sed enim cùm res ipſæ Arcadio congruant, & diſpoſitio legis ad Arcadiani ſæculi characterem tota facta ſit , *Stylus* forte ſeu Orationis character verbaque Tribonianum auctorem & architectum arguant, qui cœtera omnia velandæ tantum fraudi ſtudio conquiſiuerit? Imò nihil minus : Qui enim tritas vel minimùm ad hæc aures habeat conſuetudine legendi (vt Tullius alioquin loquitur) cum neceſſe eſt & breuitatem & elegantiam Theodoſiani Arcadanique ſæculi hic agnoſcere. Patere Lector, vti per ſingulas propè verborum formulas te circumducam, huic rei oſtendendæ. Ait lex, *Celebrandis matrimonijs.* Vetuſtiora hic vel remotiora non congeram , quæ ad hanc formulam faciunt: Eandem retinuit & hæc ætas: Sic & Theodoſius M. *l.3. C.de ſponſalibus : niſi cauſam vt nuptiæ non celebrarentur defuncta perſona iam præbuit.* Indeque celebritas nuptiarum in Theodoſij Iun. *lege vlt. C.Th.de nuptiis*, ſeu *l.22. Cod.Iuſt.eod.tit.* Eaque vox propria in his quæ publica luce legeque, omniq; libertate, agitari poſſunt, citra metum aliquem calumniarum pœnæue, citra priuilegium

item

item quo etſi pœnâ ſæpe tollitur, at non & infamia facti abole-tur. Ait lex, *Legis huius ſalubritate.* Sic paſſim alias ſalubres, vel etiam ſalutares leges: imò ſaluberrima lex eidem Arcadio A.D 398. *l.1. C.Th.ſi ſecundo nupſerit.* Sic & Symmachus *lib.10.ep.21.* de quadam Conſtitutione agens; *Eiuſdem prætereà rationis ſalubritate vetus dicendarum ſententiarum forma reparata eſt:* vbi pro *rationis*, reponat quis *Orationis*. Et mox. *Exſpectamus Oraculum, quo ſalutariter, vt veſtro Numini familiare eſt, Patrum decreta firmentur.* Hâc porrò voce vſi Principes ad earum maximè legum commendationem, vbi vel fœdum aliquid vel inuerecundum, calumniæue materiam præbens abrogaretur: honeſtati contra ſecuritatiue publicæ conſuleretur.

Ait lex *Indulta eſt* &c. Indulgentiam ſcilicet generalem, vt dixi, opponit hic Arcadius ſpeciali indulto ſeu reſcripto, quo antea opus erat: De quo Honorius Arcadij frater in *l.vn. C.Th. ſi nuptiæ ex reſcripto petantur: Nec vnquam poſtulatæ* INDVLGENTIÆ, *adnotationiſue Principis* INDVLTO, *efficacem ſe veniæ effectum meruiſſe.* Et mox. *Exceptis his, quos Conſobrinorum, hoc eſt quarti gradus, coniunctionem Lex Triumphalis memoriæ Patris noſtri, exemplo* INDVLTORVM, *ſupplicare non vetauit.* Sic & Symmacho indulta poſſeſſio, *lib.10.ep.29.* tempora indulta. *lib.10.ep.52.* Idem Arcadius noſter A.401. *l.23.C.Th.de petitionib.* & *l.17.de bonis proſcriptorum*, vbi de donatione bonorum proſcriptorum: *Nec habeant aliquas vires* INDVLTA. V.& *l.14.d.t.* Valentinianus etiam Imp. A.D.365. *l.2. C.Th.ſi vagum mancip. petatur: qui Sacro nominabuntur* INDVLTO. Propria verò vox hæc in iis quæ à Principe vel communi Lege, vel ſingulari liberalitate, indulgentur, donantur.

Ait lex, *reuocatâ* priſci iuris auctoritate: vbi *reuocare* eſt deſitum quid vel ademptum abrogatúmve reducere, reuehere. Quomodo & Suetonius, *in Octauio, c.24.* in ſimili prorſus re: *In re militari & commutauit multa & inſtituit, atque etiam ad antiquum morem nonnulla reuocauit.* Et Symmachus dixit, *lib.5. ep.6.* reuocare in lucem. Imò Arcadius ipſe A.D.395. in *l.5.Cod.Theod.de princip. agentium: Omnia citatoria ad principes ſpecialiter reuocari præ-*

cipimus. Et anno 398. *l.3.C.Th.de his qui ad Eccl.* ad eundem Eutychianum PP. *Ad priſtinam ſortem velut manu mox iniectâ reuocentur.* Item ad eundem *l.159. de decurion. Ad Curiam velut manu mox iniectâ reuocandos.* Et *l.45. de operib.publ. Ad formam priſtinam ciuitatis habitus reuocetur.* Ait lex, *Iuris auctoritate*, propriâ, omninò voce. Sic & Symmachus *lib.2. ep.44.* ad Flauianum; *Præfectus vrbi Auctoritate iuris & fiduciâ tui perſonas ſibi ac negotium vindicauit.* Imò Arcadius ipſe *l.4.C.Th. de vſuris, pro huius Legis auctoritate:* & l.28.de erogat mil.ann. *Hoc quoque legis auctoritate complexo.* Ait lex, *reſtinctis* &c. quomodo & probatiſſimi ſcriptores loquuntur omnis æui, de bello incendioue extincto, vide vel Velleium, Curtium, alioſque. Ait lex, *Calumniarum fomentis.* Vbi *calumniæ* vox propria, cùm de bonis proſcriptorum eorúmque delatione & petitione agitur, dè quibus ſanè in hâc ſpecie agebatur ex Theodoſij M. lege & alterâ Arcadij, licet moderatiore, *l.3. C.Th.de inceſtis nupt.* Eo omninò ſenſu *calumniæ* vox vſurpatur in *l.2. C.Th.de petitionibus bonorum.* Quas quidem calumnias hic ceſſare vult Arcadius, qui & aliàs petitionibus huiuſmodi bonorum atque adeò calumniis modum poſuit, veluti *l.17.C.Th.de bonis proſcriptorum*, & *l.23.24.eod. Cod.de petitionibus:* etſi Zoſimus *lib.5.p.800*, aſſerat, calumniis & συκοφαντίαις huiuſmodi infame Arcadij imperium extitiſſe, quibus videl. bona paſſim aliorum per calumniam petebantur & impetrabantur. Et hæc quidem de proprio hic *calumniarum* vocis ſignificatu: quam cùm ignorarent nonnulli, neſcio quas ſibi hîc calumnias finxêre aulæ & curiæ iſtorum temporum in dogma Ambroſianum, quæ eo mortuo audacius eructauerint. Ait tandem lex, *calumniarum fomentis.* Fomenta, pro fomite. Sic & *fomes calumniæ* in ſimili prorſus argumento delationis bonorum & petitionis in Honorij *l.29.in fi.C.Th.de petitionibus. Nullum fomitem calumniæ patimur litis accendi*, vbi legam, *calumnioſæ litis.* Aliàs, vt vetuſtiora omittam, apud Symmachum quoque dicuntur, fomenta benignitatis *lib.6. ep.17.* fomenta blanda, *lib.2. ep.34.*

Sic quoque patet, nullas Triboniani impolitias, nullam

eius

eius ſtribliginem in *l.celebrandis* intermicare, quin totam ad faſciam ſtylumque Arcadij factum. Alioquin enim ſi hanc conſtitutionem Tribonianus efformaſſet, in hæc proculdubio ferme verba eam concepturus fuiſſet.

Cùm anterioribus Legibus noſtris & Parentis noſtri diuæ memoriæ Conſobrini conſobrinæ ad matrimonium venire nullatenus poſſent, niſi precibus Imperatoriæ clementiæ oblatis Imperialem indulgentiam meruiſſent, noſque ipſi duritiem paternæ legis in aliquibus iam emendauerimus, & calumniæ nihilominus inde multæ in Orbem intraſſent, multaque interpellationes nobis factæ fuiſſent, Nos ad Priſcas leges & Iuris antiqui conditores reſpicientes præſenti ſanctione clementiſſimâ & generali lege cenſemus, dantes omnibus licentiam, nuptias has volentibus ſua poteſtate contrahere, non amplius indigentibus Imperialibus reſcriptis, nec amplius ſcitû præteritarum legum tale coniugium infirmum aut inceſtum videri, ſed ita validum huiuſmodi permanere matrimonium, vt ipſi contrahentes nullo timore teneantur, & liberos ex tali matrimonio procreandos ſuos & legitimos patribus eſſe velimus, vt bona eorum tam ab inteſtato quàm ex teſtamento iſti ſine vllo impedimento percipere poßint. His & illud addentes, veteréſque ſanctiones adimplentes, ſtatuimus, eandem obſeruantiam cuſtodiri oportere, & ſuperiora omnia in his nuptÿs locum habere, ſiue duorum fratrum liberi ſint, id eſt patrueles, ſiue duarum ſororum qui conſobrini vocantur, ſiue ex fratre & ſorore geniti, qui amitini nominantur.

Puto me Triboniani manum ſtylúmque hic ex parte expreſſiſſe: cui ſi quid affine in *d.l.celebrandis* occurreret, de architecto Triboniano dubitari minus poſſet. Verùm quid terſius, quid breuius, quid ad Theodoſiani ſæculi normam conuenientius? contra quid alienum magis à Triboniani genio, quàm quod ibi poſitum exſtat?

Sed nunc tempus eſt videamus, quibus contrariæ ſententiæ patroni hanc l. argumentis in falſi ſuſpicionem adducant.

Primum præiudicium habent illi, quod Lex illa, Cuiacio teſte, in antiquis *Codicibus Iuſtinianeis* nonnullis non exſtet. Iſto verò argumento, ſi validum, non id iam efficitur, vt Triboniano

magis quàm Arcadio tribuenda lex illa veniat, verùm vt in vniuerſum tanquàm ſuppoſititia & reicula expungenda videatur. Sed enim eſto, abeſſe eam à MSS. nonnullis Iuſtinianeis, ideò ne fides eius ob vnius forte alteriúſue codicis inemendati labem vel lacunam nutare debet? Neque enim omnes MSS. inter ſe vbique conueniunt: Illud abunde eſt, quod meliores codices, quod editiones omnes eam conſtanter habent. Fieri enim poteſt, vt in paucis ſcriptis vel per negligentiam omiſſa ea fuerit, vel ſtudio, quod eam librarius improbaret, expuncta.

Alterum mouet eos præiudicium, quod neque in *Codice Theodoſiano* hæc lex exſtet, in quem alioquin Codicem relatæ ſunt Arcadij & Honorij conſtitutiones. Verum equidem id hodie, ſed enim id inde euenit atque eodem fato, quo & complurimæ aliæ ibi hodie intercīderunt: ac nominatim eæ quæ libris quinque prioribus, vbi & titulus de Nuptiis occurrit, Codicis Theodoſiani continebantur. Nam cùm reliqui ferme libri Codicis illius integri ad nos diuinâ virgula à Viris Clariſſimis è ſitu eruti peruenerint; exiguum tantum quinque priorum illorum Breuiarium à Gothorum manu confectum hodie ſupereſt, paucæque adeò exinde numero leges, ſeu *ſcintillæ*, vt vocabant, reliquæ. Ingenti profectò iacturâ, quam ſarciri poſſe ſpes mihi nulla amplius ſupereſt, quando per Orientem quoque eos fruſtrà per amicos iamdudùm inueſtigari curaui. In eo igitur deperditarum ibi Legum cenſu eſt Lex *celebrandis*, vt multæ aliæ, vel eo ipſo titulo *de Nuptijs*, alteroue *de Inceſtis nuptijs*, quæ tamen inde in Codicem Iuſtinianeum relatæ extant: veluti *lex à caligato* 25. *Cod. Iuſt. de nuptijs* (quæ proculdubio coniungenda eſt cum *l. vlt. C. Th. de libertis*, & *l. vlt. C. eod.*) Titulo verò de inceſtis nuptiis, lex *qui contra legum* 4. & *lex fratris vxorem* 5. (de quâ ſupra.) Quas tamen nemo fictas-falſas, ſuppoſititiáſque id eò prodidit, vel etiam prodere poterit. Vt omittam tot alias per alios titulos eodem Codice Iuſtinianeo ſparſas, in quibus nonnullæ ipſius nec Arcadij occurrunt, veluti *l. 12. Cod. Iuſt. de ſententijs & interlocut. Iudicum, l. 1. Cod. de cupreſſis, l. 2. de Alluuionibus.*

nibus, vt & Honorij, veluti *l. 1. Cod. de ſtatuis*, *l. vn. de off. vicary*, quas tamen nemo non Arcadij Honoriique eſſe iudicauerit.

Tertiò mouentur illi vel eo maximè, quod Lex illa *celebrandis* contraria ſit eorundem Arcadij & Honorij legibus, quæ integræ extant Codice Theodoſiano, puta *legi 3. de inceſtis nuptijs*, quæ altero poſt Theodoſij mortem anno 396 data eſt, & *legi vnica C. Th. ſi nuptiæ ex reſcripto petantur*, quæ data eſt anno 409: illa, ante l. celebrandis, hæc poſt eam: Quà vtraque Conſobrinorum coniugia ab Imperatoribus illis improbantur: Vt proinde minimè conſentaneum videatur, vt *d. lex celebrandis* ab iis edita ſit: Qui enim, inquiunt, par eſt credere, duos iſtos Principes, qui primo (imò ſecundo) Imperij ſui anno conſobrinarum nuptias Patris exemplo interdixerant *l. 3. C. Theod. de inceſtis nuptiis*, ſuam ipſorum legem poſt nouem annos reſcidiſſe, atque iterum quarto poſt anno velut immemorem ſui Honorium contrariam huic legem *vnicam ſi nuptiæ ex reſcripto petantur*, condidiſſe, quâ paternam legem de vetitis conſobrinarum nuptiis mutato rurſus conſilio comprobauit. Præcipuum iſtud contrariæ ſententiæ patronorum argumentum eſt, ex multiplici errore conflatum, dum neque Imperatores ipſos ſatis diſtinguunt, neque temporum rationem quam præ ſe tamen ferunt, exactam habent. Enimuerò, è tribus illis legibus quæ Arcadium & Honorium Impp. ex æquo inſcriptos præferunt, puta A. D. 396. *lex 3. C. Th. inceſtis nuptijs*: A. 404. lex *celebrandis*: Anno verò 409. *lex vn. C. Th. ſi nuptiæ ex reſcripto*, duæ Arcadium Orientis Imp. ſignatò auctorem habent, puta *d. lex 3.* & *d. l. celebrandis*: tertia, Honorium Occidentis Imp. puta *d. l. vn.* Nam vt maximè vtriuſque Imperatoris nomina præferant tres illæ leges, pro more videl. tùm recepto, quo Imperatorum omnium qui eodem tempore imperabant, diuiſis tamen Imperij partibus, nomina, conſtitutionibus ab vno latis ex æquo inſcribebantur, attamen ſuos reuera ſinguloſque Imperatores auctores eæ habent: quod ex eorum partim nominibus quibus inſcriptæ ſunt leges illæ, partim ex loci ſubſcriptione vbi eæ datæ ſunt, colligere licet: Arcadius-

inquam auctor eſt *d. legis* 3. *& d. l. celebrandis*, quæ vtraque data eſt ad Eutychianum PP. Orientis ſcil. de quo iam dicere memini ad *l. Quiſquis Cod. ad l. Iul. maieſtatis*, quæ & ipſa eidem Eutychiano PP. inſcribitur : quin *d.* lex 3 data Conſtantinopoli : Honorium verò auctorem habet A. D. 409. *d. lex vn. ſi nuptiæ ex reſcripto*, vt pote data ad Theodorum PP. [Italiæ ſcil.] idque Rauennæ.

Hoc poſito, conciliatio iam in procliui, omni hæſitatione ceſſante: Arcadius ſcil. Orientalium partium Imperator initio quidem A. D. 396. *d. l.* 3. patris Theodoſij exemplo Conſobrinorum coniugium inter illicita habuerat, ſic tamen vt pœnam tantum à patre ſtatutam temperaret : Idem verò poſtea mutato conſilio A. D. 405. in *l. celebrandis*, nuptias illas prorſus pro legitimis haberi voluit. Hactenus Arcadius per Orientem. Atque adeò legis *celebrandis* auctor ſolus Arcadius, non Honorius, neque vterque fingendus eſt. Quid Honorius igitur per Occidentem? Is anno 409. & ſic poſt *d. l. celebrandis* à fratre latam, *d. l. vn. ſi nuptiæ ex reſcripto*, nonniſi ex reſcripto legitimas haſce Nuptias eſſe voluit. His ita diſtinctis, nulla hic *ἀντινομία* intercedit, neque Honorius vllo modo ſui immemor vel, vt quidam ſcribunt, tertiùm mutaſſe: fingendus eſt, quandoquidem is nunquam ante *d. l. vn.* Conſobrinorum nuptias pro legitimis haberi voluit : neque in eo vlla conſilij mutatio fingenda, verùm in Arcadio. Hæc ſi ita quoque diſtinxiſſent Contius & Briſſonius, non illi fruſtrà ſeſe torſiſſent: Contius animi anceps primùm putabat *ſubſeciuarum lectionum lib.* 1. *c.* 9. Legem *celebrandis* ab Arcadio & Honorio (hoc ſemper male addit) minimè ſcriptam fuiſſe, falſoque eam illi in Cod. Iuſtin. adſcribi: Mox idem mutatâ ſententiâ *lib.* 2. *c.* 1. pronunciat, legem illam reuerà Arcadium & Honorium auctores habere, ſed tamen vel non ita ab iis ſcriptam, vel certe ab Honorio rursùm abrogatam *d. l. vn.* Briſſonius vero *libro ſingulari de Iure Connubiorum*, cenſuit, Theodoſij M. legem ilicò ab vtroque filio Arcadio & Honorio protinùs abrogatam: duaſque illas leges, quibus ea confirmatur, puta *legem* 3. *de inceſtis nuptijs*, & *l. vlt. ſi nuptiæ ex reſcripto pet.* non ſic ab illis ſcriptas fuiſſe, vt nunc

E ij in *Cod.*

in *Cod.Theod.* leguntur, verùm quomodo in Iuſtinianeum tranſlatæ ſunt, ſine clauſulis illis quibus nuptias illas pro illegitimis habent, ac proinde clauſulas illas duabus illis legibus in Cod. Theod.præter auctorum ſeu Imperatorum mentem ex Gothorum moribus inſertas. Ita contrario planè errore percelli Leges illas videmus: Ab illis videl. Tribonianus inſimulatur, quaſi auctor & architectus legis *celebrandis*: ab his verò in Gothos falſi ſuſpicio transfertur, quaſi duas alias leges inſerto emblemate corruperint. Quod vtrumque inane, quando vtrique, & Tribonianus & Gothi hac parte culpâ ſuſpicionéue omni vacui ſunt, ſolâ Imperatorum annorumque diſtinctione facta. Cæterùm Arcadium hac parte ſententiam mutaſſe nil mirum. Nam vt hic Arcadio contigit à priore ſententiâ Theodoſiique lege, imò & ſuâ, migrare, ita & idem, ne cæterorum Imperatorum exempla hic aduocem, quibus Codex Theodoſianus abundat, aliàs ſæpè conſilium mutaſſe in rebus grauiſſimis deprehenditur. Tria tantum exempla hic apponam. Eunomianis ille Theodoſij patris iudicium (quod exſtat *l.17.C.Th.de hæreticis*) ſecutus teſtamenti factionem dederat a.395. *l.27.eod.tit.* At idem poſteà ademit: mox rursùm reddidit a.399. *l.36.eod.* Maiumæ item ſpectaculum antea ademptum reddiderat a.396. *l.1. C.Th. de Maiumâ:* ademit idem a.399. *l.2.dicto tit.* Vſurarum denique ſtipulatione Senatoribus interdixerat, ſeu fœnus exercere eos prohibuerat (minoribus exceptis) a.397. *l.3. C.Th.de vſuris*, (de quo interdicto extat quoque inſignis Chryſoſtomi locus, *homiliâ in Matthæum 56.ſub fin ἐν τῇ ἠθικῇ* editionis Sauilianæ *tomo 2. p.362.)* Atenim idem octennio poſt, amoto iam Chryſoſtomo a. 405. (eodem anno quo *lex celebrandis* ab eo lata eſt) medias centeſimas his permiſit.

His ita probe conſtitutis, vltrò concidit iam Quartum contrariæ ſententiæ auctorum argumentum: Aiunt illi, neminem ſibi perſuadere poſſe, abrogaſſe filios legem Theodoſij, cùm eandem poſteà perſeueraſſe ſeu in vſu adhuc fuiſſe viguiſſéque arguant Auguſtinus, *lib.15.de Ciuitate Dei. c.16*, qui tum cum libros illos ſcriberet, hoc eſt annis amplius viginti poſt alterum

Stilichonis Conſulatum,quo data dicitur *d.lex celebrandis*,Theodoſij legem ſtetiſſe dicit: imò & Caſſiodorus *lib.7.c.46.* centum annis poſt. Qui & addunt, ſi tùm adhuc Theodoſij prohibitio perſtabat, aut ignotam tot annis,quòd nemo dixerit,Auguſtino legem fuiſſe oportet,qui conſobrinorum nuptias reſciſsâ Theodoſij lege dicitur indulſiſſe,aut nullam omnino ad id tempus extitiſſe. Nihil horum: tertium enim ſupereſt quod ante dixi, quodque vnum omnem hunc tumultum componit: nempe ius aliud in Oriente Arcadij conſtitutione inuectum, aliud deinceps quoque in Occidente poſt Honorij legem obſeruatum, de quo ſunt Auguſtini & Caſſiodori loca: Caſſiodori inquam qui eâ ipsâ ætate ſcripſit, quâ Codex Iuſtiniani Inſtitutioneſque prodiêre, quibus probata Arcadij lex. Ac proinde falſum,quod nonnulli opinantur, vel nunquam legem celebrandis ab Arcadio latam, vel communi conſenſu damnatam,& nunquam receptam fuiſſe, ſed probatam vſu Legem Theodoſij, Auguſtini videlicet præiudicio. Nam & alias ita ſæpenumero in Oriente & Occidente diuerſo iure agebatur, vt patet vel ex Honorij *l.158.de decurionibus*, quæ data eſt a.398.

Vltimum, ſed nouum iam præſidium indiciúmque ad falſi ſuſpicionem attulit nuper doctiſſimus Triplicis Quæſtionis author, nempe,quod ipſa ſibi Lex *celebrandis* repugnare,aduerſarique Inſcriptioni ſubſcriptio videatur:Miſſam enim eam dici ad Eutychianum PP. datam verò Stilicone 2. & Anthemio COSS: atquin,ſi Anthemio Conſule data eſt,ad Eutychianum PP.mitti NON POTVIT,quia quo Cõſulatu Anthemius Cos.fuit,Præfecturam Prætorianam geſſit non Eutychianus verùm Anthemius. Addunt & huic argumento firmando, ſubſcriptionem non in primis editionibus modò, ſed in MSS. pleriſque deſiderari: Quare veroſimile, quempiam olim extitiſſe, qui ſuâpte coniecturâ Stiliconem 2. & Anthemium COSS. ſubſcribendos putaret. Verum id omne gratis dicitur. Verum equidem eſt, Stilicone 2. & Anthemio COSS. eundem Anthemium PP. fuiſſe: ſed enim vetus illud, a menſe primùm Iulio eum PP. reperiri in *l.1. C.Theod. ne quis in Palatijs maneat*: Eutychianum vero,

verò, qui iterùm PP. eſſe cœpit a. 404, (quod docet lex 25. *C. Th. de Iudæis*, lex 42. *de operibus publicis*, vt & in rebus Chryſoſtomi Georgius Alexandrinus *n.* 61. & Theodorus Diaconus apud Palladium *in dialogo*, vbi male *Pratoris* pro *Pratorio* editum) ad finem eiuſdem anni eſſe perſtitiſſe, quod teſtatur *lex vlt. Cod. Theod. de his qui ſuper religione*, quæ data eſt XIV. Kal. Decemb. eo anno Honorio 6. & Ariſtæneto Coss. ſic vt idem Eutychianus PP. porrò eſſe potuerit initio anni, ſeu Conſulatus proximi A. 405. Neque mouere nos debet Chryſoſtomi locus *ep.* 147. vbi is vtrumque Anthemio honorem, Conſulatum inquam & Præfecturam, *ſimul* gratulatur: Nam & nos fatemur, in eundem Conſulatum Anthemij eiuſdem Præfecturam incidere, quod plures leges nos docent, verùm id quæritur, an initio ſtatim vnà cum Conſulatu SIMVL Præfecturam indeptus inde probetur. Gratulatur equidem Chryſoſtomus SIMVL de vtroque honore Anthemio, ſed non de eo SIMVL ſeu eodem momento delato. Nam vt cœteroquin ſeræ huiuſmodi gratulationes à nonnullis per epiſtolas emiſſæ, vt innumera exempla apud Symmachum teſtantur, ita ſanè ſera eſſe potuit Chryſoſtomi gratulatio vtrumque honorem coniungentis: quando is hoc ipſo tempore in quo nunc verſamur, Cucuſum Armeniæ in exilium miſſus,. ſiue continuis Iſaurorum excurſibus, ſiue ipſo anni tempore, hyberno inquam & aſperrimo, ſiue tabellariorum infrequentia, denique Cucuſi ſitu à via publica remotiſſimo, præpediebatur: de quo plenæ ſunt epiſtolæ ipſius ἐν ἐξορίᾳ ſcriptæ, ſuperioris anni 404. fine, & hoc anno 405, non ad Olympiadem modò, verùm aliæ paſſim, qui inde ſeſe à ſilentij næuo paſſim excuſat, ob Ἰσαυρῶν, inquam, πόλεμον ſeu ἔφοδον, πᾶσιν ἀβάτους ποιούντων τὰς λεωφόρους, ob σφοδρότητα τοῦ χειμῶνος, ob γραμματοφόρων σπάνιος ſeu ὁδοιπόρων ἀπορίαν, ob id quod Cucuſum à δημοσίᾳ ὁδῷ ἀπῳκίσθαι contingeret. Quare cùm tam multiplici obice viæ impedirentur, temporéque addito opus fuerit, & ad perferendum nuncium de Anthemij honoribus ad Chryſoſtomum, eique retrò diu captanda fuerit occaſio ſcribendi gratulandique Anthemio, & ſic ſera omnia eſſe potue-

rint, ſanè ex illâ eius ep.147,ad Anthemium, de *Conſulatu* Præfecturáque gratulatoria, de tempore collatæ Anthemio Præfecturæ Prætorianæ nihil decerni poteſt: Imò iam tuto dicamus, argumento *d.l. celebrandis*, ſerius eam quam Conſulatum ei delatam. Et ſic Anthemio Conſule ad Eutychianum eam legem mitti ADHVC POTVISSE. Eius proinde legis ſubſcriptio neq; cum inſcriptione colliditur,neque eo loco alij Coss. ſubſtituendi,quod nonnullis in mentem quoque perperam venit.

Sic igitur legem Celebrandis à falſi ſuſpicione omnimodis liberatam ſuo auctori Arcadio reddidimus, quam Triboniano falſo multi adſcribunt: qui alia alioquin Triboniani facinora vt vltrò agnoſcimus, ita nec excuſamus. Sic diuinatio quoque illa concidit,quâ aiunt,credere ſe Legem celebrandis in priori Codice non extitiſſe, verùm in repetitæ lectionis Codice tantum locum habere cœpiſſe.

His verò defuncti manum de tabulâ tolleremus, niſi & nobis CONIECTVRAM hic noſtram in re obſcura addere liberet, de Cauſâ vel occaſione potius Legis illius *Celebrandis* ab Arcadio condendæ: quam tamen nos non vt *κυρίαν δόξαν*, verùm vt coniecturam proponimus, quam indicaſſe nunc ſufficiet, certioribus argumentis, ab aliis, nouâ aliquâ ſcriptorum luce emergente, fors ſtabiliendam. Igitur, cùm omnia vndique circumſpicio,cùm horum temporum rationem oculis meis ſubjicio, cùm huius æui ſcripta euoluo, cùm Arcadij Eutychianique nomina, Stiliconémque 2. & Anthemium COSS. penſiculatius attendo, mens mihi ea, *Arſacium* Epiſcopum Conſtantinopolitanum huic l.ferendæ conſilium præbuiſſe. Arſacius hic ſcilicet, amoto Ioanni Chryſoſtomo Cucuſum,ſuffectus ab Arcadio vel potius ab Eudoxia fuit A.D. 404. 6.Kal. Iul,Nectarij quondam Ep. Conſtantinopolitani frater, vt præter Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſcriptores teſtantur Chryſoſtomus ipſe ep. *ad Cyriacum Ep. circa f.* (vbi malè *Nectarij* nomen pro *Arſacio* nonnulli ſubſtituunt) & auctor Chronici Alexandrini (vbi malè *Οὐρσάκιος* editum, & Interpres ibi ſeruat.) Idemque in eo Epiſcopatu manſit menſes quatuordecim, vel etiam plures, ad menſem

ſem inquam Nouembrem anni 405, quo Conſules fuêre *Stilico* 2. *& Anthemius*, illi inquam, qui *Legi celebrandis* ſubſcripti ſunt, de quo Socrates, *lib.6. c.18.* & Palladius, *in dialogo.* Propter huius verò Arſacij ordinationem magni tumultus Conſtantinopoli exorti, ſiue Ioannis Chryſoſtomi gratiâ apud vulgus prævalente, ſiue odio in Arſacium, qui vt Epiſcopatu indignus, & vt λύκος προβατοχήμων differebatur, multis paſſim eâ re communionem eius auerſantibus: quam & ideò fine anni 404, Arcadio imperare viſum, conſtitutione ad eundem Eutychianum PP. emiſsâ, 14 Kal. Decemb. *l.vlt. C.Theod. de his qui ſuper religione contendunt*; iuſſis iis qui ab eo, vt & à Theophili & Porphyrij communione diſſentirent, ab Eccleſiâ repelli. Igitur & tum lata hæc lex ab Arcadio, amoto Chryſoſtomo, qui proculdubio Conſobrinorum nuptias nũquam probaturus fuiſſet. Vt cœteroquin alia nonnulla amoto Chryſoſtomo, eaque occaſione, ab Arcadio ſancita mutataque deprehendere licet. & quidem hoc ipſo anno 405, in argumento vſurarum aduerſus ciuilem honeſtatem *l.vlt. C.Theod.de vſuris*, tùm aduerſus ſuammet ipſius legem a. 397. ad eundem Eutychianum PP. datam, tum aduerſus apertam Chryſoſtomi mentem, *homiliâ in Matthæum 56 ſub finem*, de quo iam ſuprà. Tùm ergo quoque, eademque occaſione, lata hæc Lex *celebrandis* ab Arcadio, qui amoto Chryſoſtomo Arſacio obnoxius erat, ac proinde non ſine eiuſdem conſilio: vt cœteroquin Imperatores Chriſtiani de Epiſcoporum conſilio conſtitutiones, eas præſertim quæ vel ad religionem, vel ad honeſtatem ſaltem pudoremque & verecundiam pertinere viderentur, condere ſoliti: quod compluribus exemplis probari poteſt, & inter alia exemplo *Legis ſi vindicari vtroque Codice de pœnis.* Quomodo viceuerſa coniicere licet, Theodoſium M. ſuam illam de illicitis Conſobrinorum nuptiis conſtitutionem de Nectarij Ep. Conſtantinopolitani, qui Arſacij frater erat, verùm ab eo multum diuerſus (de cuius inter alios laudibus Theodoritus *lib.5.c.8.*) promulgaſſe, quandoquidem in Epiſcopatus eius tempus æram Legis illius Theodoſianæ incidere ſuperius oſtendimus: quomodo & in aliis Theodo-

ſius Nectarij iſtius conſilium ſecutus: veluti anno 383 in his quæ narrant Socrates, *lib.5.c.10.* & Sozomenus, *lib.7.c.12.* De hoc tandem Nectario,& Arſacio duo adhuc parallela hîc notare libet. Prius, quemadmodum Nectario Ioannes Chryſoſtomus ſuffectus fuit,ita retrò Chryſoſtomo Arſacium Nectarij fratré in Epiſcopatu Conſtantinopolitano ſubrogatum: Poſterius,quemadmodum Arcadius conſtitutione ſuâ Arſacij communionem imperauit *d.l.vlt. de his qui ſuper religione*, ita & retrò Theodoſium M. Arcadij patrem Nectarij antea communionem imperaſſe *l.3. Cod.Theod. de fide Catholicâ*: cuius Legis meminit & Sozomenus, *lib.7.c.9.* & Facundus, *lib.4.p.162*: & iterùm, *lib.11.c.3.* Et hæc quidem interim coniectura quoque noſtra eſt, de cauſis & occaſionibus promulgandarum à Theodoſio M.Arcadioque, ſuper *Conſobrinorum nuptijs*, conſtitutionibus inter ſe contrariis: Quæ quiſque accipiat vti volet: Nobis enim illud hîc in præſens abunde, quod certiſſimis argumentis *Legem celebrandis* Arcadio Imperatori vindicauerimus.

POSTERIOR

POSTERIOR

DISSERTATIO,

De Teſtamento Tempore PESTIS, vel à Teſtatore Peſte contacto, condito:

VBI,

Lex Caſus maioris 8. *Cod. de Teſtamentis* illuſtratur; oſtenditúrque, eam de Peſte non agere.

ET huic quòque Legi, ſeu Iuris Conſtitutioni, peculiarem *Diſſertationem* dicare nunc libet, quam & alioquin difficilem explicatu fatentur omnes, etſi eam haud æquè *αἰθνεσγεγραφεῖσθαι*, ſeu floridè adeò ex Hiſtoriâ illuſtrari poſſe ſperem, vti factum opinor in aliis, quarum hactenùs illuſtrationem adgreſſus ſum. Quanquam & illud in tranſcurſu obſeruare licet, hanc conſtitutionem à Diocletiano Imper: iiſdem Conſulibus (qui incidunt in annum Domini CCXC) eodemque die datam, quo Lex 12. *Cod. ad l. Falcidiam*, ſic tamen, vt ad aliam perſonam ea lex emiſſa ſit. Item, etſi illud quoque conjicere liceat, *Marcellinum*, cui hæc lex inſcribitur, prouinciæ alicuius Rectorem fuiſſe, ad cuius hæſitationem & Conſultationem Diocletianus reſcripſerit; pariter, vti datæ hoc ipſo anno ad Præſidem Syriæ lex 9. *Cod. de quæſtionibus*, & ad Correctorem Italiæ lex 3. *Cod. quibus non obijcitur longi temporis præſcriptio*. Tertiò, etſi coniicere rurſum liceat, hanc conſtitutionem à Diocletiano

ſcriptam, vel in Pannoniâ vel in Myſiâ conſtituto, vbi is hoc tempore inligatus erat bello aduerſus Sarmatas & Scythas (vnde & *Sarmatici* cognomentum nactus eſt) de quo vel Mamertinus, *panegyrico altero*, & indicium quoque faciunt leges nonnullæ: Quomodo hoc ipſo anno Leges aliæ occurrunt ab eodem Diocletiano datæ *Sirmij* in Pannoniâ, puta *lex* 19. *Cod. de pactis, lex* 6. *Cod. de iure delib. lex* 5. *Cod.* (Iuſtinianeo & Gregoriano) *de Sicarijs:* & *Hadrianopoli* in Myſiâ, *lex* 2. *Cod. de ſuis & legitimis*, vt omittam eas quæ ab eodem datæ ſunt *Philippopoli* in Thraciâ, puta legem 1. *Cod. de his qui per metum Iudicis non appella. & l.* 12. *eod. tit. Cod. de Teſtamentis*, quæ haud adeò improbabiliter & ipſæ ad hunc eundem annum referantur. Poſtremùm, etſi illud quoque obſeruare liceat, quemadmodum hac Diocletiani lege agitur *de Timore contagionis*, & legitimo *aduerſus* eum remedio, ita eiuſdem Diocletiani conſtitutiones alias plures, & quidem hoc ipſo anno, occurrere, in quibus de *timore ſeu metu* pariter agitur, deque remediis aduerſus eum: puta de metu à latronibus, vel hoſtibus, *legem* 4. *Cod. de adquir. vel retin poſſ:* de metu accuſationis & potentium patrocinio, *legem* 23. *C. de adulterijs:* de metu legis, *legem* 5. *C. de ſicarijs:* de metu iudicis, dictam *l.* 1. *C. de his qui per metum iudicis non appell.* Quæ tamen ſuperiores quatuor obſeruationes, etſi fortè haud prorſus iniucundæ, parum tamen ad huiuſce Legis intellectum & illuſtrationem conferre videntur. Quid igitur? ſuſcepta hæc à me Conſtitutionis iſtius interpretatio, vt eius quoque, periculo, non modò oſtenderem, quod iam ſæpe profeſſus ſum, quamplurima adhuc in Legibus noſtris ſiue eruenda, ſiue vindicanda ſupereſſe: verùm, & maximè quidem, vti palam facerem, quàm interſit publicè, Legum & Conſtitutionum, quæ in foro & vel maximè celebrantur, ſeu *ſolemnes* audiunt, imò quæ *ſedes & Claues* iam materiarum, próque fundamento *Diſceptationum Forenſium* communi ſæpe opinione habentur, verum & genuinum ſemel ſenſum haberi: Quo ſanè minus intellecto, hiſce vtentes, in deuia, immò abrupta, magis magiſque, haud aliter atque falſo lumine ſemel oſtenſo, trahi abripique neceſſe eſt. Hoc verò in-

cenſu jamdiu collocare ſoleo, inter alias plures, Legem hanc *Caſus maioris* 8. *Cod. de Teſtamentis.* Nam & ea quoque inter celebratiſſimas, ſeu de *ſolemnium* numero, non in ſcholis tantùm, ſed & toto foro, habetur, quotiens videlicet *de Teſtamento tempore peſtis facto*, vel *à teſtatore peſte contacto condito*, quæritur: ad eum ſcilicet finem, vti ſciatur, quid & quatenus ex ſolemnibus teſtamentorum eo caſu relaxetur, & nominatim, verum aliquid de ſolemni alioquin teſtium numero remittatur. Et eadem tamen à pleriſque fermè tam malè hodienum accipitur laudaturque, vel à celebratiſſimis ſcriptoribus, Togatiſque, vti nulla temere magis: ſiue *ſpeciem* eius ſeu caſum & materiam ſubiectam ſpectes, ſiue *Quæſtionem* eius & *deciſionem*. Et quidquid tandem plerique moliantur, illud rebus ipſis fateri neceſſe habent, & naturali rationi, & Iuris Romani principiis aduerſari eam quæ illius vulgo creditur ſententiam, Legitimum ſcilicet plenumque & ſolemnem teſtium numerum, qui iure Romano ſeptem teſtium fuit, *in teſtamento quoque tempore peſtis, vel à teſtatore peſte contacto condito eâ l. requiri.* Imò & omnium gentium obſeruantiæ, vbi fori vſus, ſeu praxis, vbique oſtendit, eo caſu de ſolemni teſtium numero aliquid remittendum eſſe. Quod quidem præiudicium vel vnum efficere apud eos debuerat, ne eam huiuſce conſtitutionis ſententiam putarent, quæ vt modò dixi, paſſiuitus ſed peſſimè inoleuit: A Diocletiani Imp. ipſiuſmet inſuper genio, qui veterem Iuriſprudentiam Romanam ſoriò vbique æquiſſimis conſtitutionibus ſuis ſecutus eſt, penitus abhorrentem. Nam vt maximè infame Diocletiani imperium fuerit, ob excitatam & exercitam (ſerius tamen adhuc, & poſt huius demum conſtitutionis æram, teſte Euſebio) ſæuiſſimam in Chriſtianos perſecutionem, & priuata inſuper vitia nonnulla, attamen & aliàs laudatiſſimum Principem fuiſſe, & conſtitutiones de iure nobiliſſimas, & æquiſſimas promulgaſſe conſtat, & quidem ex veteri Iuriſprudentiâ paſſim petitas, & ad eius normam compoſitas. Quod vt ipſemet paſſim profitetur, & conſtitutiones eius fermè omnes clamant, vbi *iura publica*, *veteris iuris diſciplinam*, *authoritatem*, aliaque id genus, paſſim aduocare

ſolet, ita vel inde quoque patet, quòd Papiniani, Pauli, Vlpiani, aliorumque Iuris authorum præiudicia ſeu placita, Reſponſa Iuriſprudentium, veteriſque adeo Iuris authoritatem, conſtitutionibus ſuis, variis locis diſertè obtendat, veluti *l.11 C. de falſis l.11. 12. Cod. de quæſtionibus, lib. 2. Cod. Hermogen. de calumniatoribus* (quam repetit & veteris Conſultationis author) *& l.3 Cod. de donationib. quæ ſub modo, l.12. Cod. ad l. Falcid.* (quæ vti dixi hoc ipſo anno dieque, quo lex *Caſus maioris* data eſt). Nolo veterum elogia hîc ſternere, & in his Iulij Capitolini, *in vitâ Marci*. Lampridijq; *non vno loco*, Panegyriſtarum item illius æui, vt & Sexti Aurelij Victoris (quem Andreas Schottus bono publico vulgauit) Eutropij, & poſt eum Ioannis Antiocheni, & ex eo Suidæ, de ſanctimonia morum Diocletiani, & laudabili eius aliàs Imperio, ex quibus facile quoque de *æquiſſimis* eius Conſtitutionibus coniectura duci poteſt, certè Sextus ille Aurelius Victor id diſertè de iis profitetur: *Neque minore*, inquit, *ſtudio pacis officia vincta* LEGIBVS ÆQVISSIMIS. Cœterùm, quid ab æquitate Legum magis ſemotum, quàm ſolemnem ſeptem teſtium numerum in Teſtamento quoque tempore peſtis, vel à Teſtatore peſte contacto, condito requiri? Quid teſtantium vtilitati tam aduerſum? Quid denique peculiari Diocletiani genio tam contrarium, qui, ſi quiſquam alius Principum, præcipuam Teſtamentorum rationem habuit, enixeque teſtantium vtilitati conſultum iuit: vti videre eſt è compluribus eius conſtitutionibus, circa materiam Teſtamentariam occupatis: veluti *l.14. C. de teſtament. militis: l.2.3.4. Cod. qui teſtam. fac. poſſ. l.6.7.9.10.11.12. 13.14. eod. tit. C. de teſtamentis*, & aliis præterea nonnullis conſtitutionibus, per varios titulos ſparſis. E quibus notari cupio, occupatas quoque quamplurimas circa ſolemnitates, ſeu ſolemnia & obſeruationem teſtamentorum, pariter vt hæc noſtra circa ea verſatur (in quâ diſertè de ſolemnitate, & obſeruatione agitur) Nempe enim *d.l.7. C. de Teſtamentis* definitur, *Errore ſcribentis teſtamentum, iuris ſolemnitatem mutilari neutiquam poſſe.* Dictâ *l.14. C. de teſtam. mil.* ſtatuitur, iuxta veteris iuris diſciplinam, *Teſtamenti militaris ſcripturam, quamuis non contineat iuris obſer-*

obſeruationem, valere: Dictâ *l.9. C.de teſtam.* proponitur, *ſpeciali priuilegio patriæ iuris obſeruationem relaxari poſſe.* Dictâ *l.12* (cuius initium, *ſi vnus*) *Cod. de teſtam. iuris ſolemnitas* memoratur confirmaturque, *quâ* ſcilicet *& ſeptem teſtes in teſtamento requiruntur, & vt coram teſtatore omnes eodem loco ſignēt,* quod vtrumq; huic l. apprimè conuenit. Dictâ *l.13.* dicitur, *teſtandi de pecunia ſua legibus certis facultatem eſſe permiſſam, non autem Iuriſdictionis mutare formam, vel iuri publico derogare cuiquam permiſſum eſſe.* Ex quibus conſtitutionibus ipſis illud iam videas, vt maximè Diocletianus ſolemnitatem iuriſque obſeruationem in commune in teſtamentis deſideret vrgeatque, eundem tamen tribus prioribus legibus illis de ſolemnitate ſeu obſeruatione iuris aliquid facile remittentem, ob errorem videlicet ſcribentis, in teſtamento item militari, tandem & ob ſpeciale priuilegium patriæ: pariter vt quarto loco, ob caſum maiorem ac nouum contingentem, hâc l. noſtra. Quibus addatur & quinta Diocletiani conſtitutio, puta lex *licet 19.Cod.de pactis,* quæ hoc ipſo quoque anno data eſt, quâ iubet, poſtremi iudicij vim obtinere voluntatem militum, quæ ſuper vltimo vitæ ſpiritu, deque familiaris rei decreto *quoquomodo* contemplatione mortis in ſcripturam deducta fuit, ac nominatim, ſi duo fratres milites ad diſcrimen prælij pergentes ob communem mortis fortunam inuicem pacti ſint, vt ad eum qui ſuperſtes fuiſſet, res eius cuius caſus finem vitæ attuliſſet peruenirent. Addatur & ſexta, puta *lex 5.Cod. ad Trebell.* qua definit, etiam ſine ſcripturâ per fideicommiſſum hæreditatem rectè relinqui, veluti ab vxore & nouercâ in diſcrimine mortis conſtitutâ. Ex quibus proinde iam nemo non ſatis colligat, Diocletianum propoſito peſtilentiæ caſu ſeu diſcrimine & periculo, multo magis, pluraque etiam de ſolemnitate & obſeruatione Iuris remiſſurum fuiſſe. Et quidem ſecundum receptam Iuriſprudentiam: pariter vt in huius l. ſpecie veteris receptique iuris normam in remittenda aliqua iuris ſolemnitate ſectari ſeſe apertè indicat, hiſce verbis, quæ à nemine hactenus ponderantur, *aliquid de iure laxatum eſt:* item, *Remiſſum eſt.* Nempe enim id hiſce verbis ſignificatum voluit

Diocletianus, ſeſe non noui iuris hâc in re, laxanda inquam quadamtenus remittendaque iuris ſolemnitate, conditorem eſſe, verùm antiqui receptique iuris tantum non obſeruatorem: & ſic ea ipſa de re qua de agebatur in partem veteri iam iure legibuſque præiudicatum cautumque fuiſſe. Quomodo & idem Diocletianus ſimili formula, in *l.16.Cod.ad l.Cornel.de falſis*, ait, *de fide teſtamenti quærenti duplex via Tributa E S T.* Item *l.3.Cod. quibus ex cauſis in integrum reſtit.* ait, *recepto iure moram fieri creditum* E S T: Receptam videl. iam Iuriſprudentiam verbis illis pariter indicans. Neque Diocletianus in inuidiam eo vocandus, quaſi non tam concinno quam conciſo nimis, & ſic obſcuro ſtylo, vel etiam ſemibarbaro iam, crucem Interpretibus hâc l. fixerit. Nam vt maximè fatendum, ſtylum eius grauiſſimo comptiſſimoque illi Papiniani, vel lucidiſſimo Vlpiani, aliorumque eius æui ſtylo haud æquandum, attamen non id Diocletiani vitium, ſed ſæculi fuit, ſi quod fuit. Imò in eo ſtyli genere qui tum inoleuerat Gallicanæ fermè facundiæ, Diocletiani conſtitutiones, vel Quæſtorum eius (qui Eminentiſſimi hodie *Cancellarij* ſunt) ſtylum non eminere tantum contendo, verùm & admirari ſæpe ipſe ſoleo: neque alium aut terſiorem, aut elegantiorem eius æui, ſeu cadentis Latinitatis, ſcriptorem reperias. Videantur ſaltem elegantiſſimæ duæ eius conſtitutiones, quas refert author collationis Legum Moſaicarum ex Codice Gregoriano, *tit.de inceſtis nuptijs.* & *tit. de maleficis.* Committantur contra Claudij Mamertini, Eumenij, aliorum eius æui orationes Panegyricæ, non certè Latinæ magis, niſi quod eloquentiæ vela plenius ibi laxentur, pro ſuſcepti videl. argumenti, Panegyrici, inquam, ratione. Contendantur Arnobij, Afri alioquin etiam ſcriptoris, *Diſputationes aduerſus gentes*, quæ eo ipſo æuo, paucis admodum poſt hanc l. annis, ſcriptæ. Spectentur Hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptores, qui eadem ætate, imo & ad ipſummet etiam Diocletianum ſcripsêre: non comptiores certè illi vel perſpicui magis. Quid quod, neque obſcuritas in hac l. vlla, quod poſtea oſtendemus, verùm Interpretum vel incogitantia mera, vel ſecordia tantum, qui verba ipſa Legis haud ſatis adſe-

adſectati, vel vim eorum adſecuti minus ſunt: quæ tamen & elegantia & *σημαντικὰ* omnia prorſus ſunt, quorumque nullum temerè poſitum exſtat. Quod cùm vulgo exploratum non ſit, factum inde, varias vt in Interpretationes Lex iſta incurrerit, vimque non vno loco paſſa ſit. Aduerſus quæ deinceps conſiſtendum nobis eſt, pro genuino videlicet huiuſce l. ſenſu, ſimul & verborum defenſione: petitis ſæpè è nuda mediaque verborum ſignificatione argumentis: Quod deprecari fermè, prout huius ſæculi ſiue faſtidium, ſiue literionum quorundam ſupercilium eſt, neceſſe putarem, niſi hæc ipſa, etſi ſpecie leuia, ad ſummam tamen rei paulatim vt alibi, ita & hic quoque palam facerent: Quod nemo non deinceps, poſt hanc operam noſtram, vti ſpero perſpecturus eſt.

II. Ante omnia ſingulæ huiuſce Conſtitutionis Interpretationes quæ hodie circumferuntur, à nobis proponendæ ſunt: Ex quo apparebit, quantam Lex iſta *Caſus maioris* caſuum varietatam paſſa ſit, imò quis illi *maior caſus*, quàm infelix fatum obtigerit, quàm altis *oppreſſa* vulneribus & *παρερμηνείαις* fœdata *iaceat*. A Græcis initium facere lubet, vnde & prima iuris Iuſtinianei interpretatio proceſſit. Sic igitur illi, *Synopſi βασιλικῶν*, ex Leonclauij editione, *lib.*38. *tit.*2.*c.*7. huiuſce legis ſententiam expreſsêre: *δεδιότας οἱ μάρτυρες πλησιάζειν τῷ διατιθεμένῳ, διὰ τὸ μὴ τῆς νόσου μεταλαβεῖν, συγχωρείσθωσαν κεχωρισμένως ἐξ αὐτοῦ σφραγῆσαι.* Nempe eam Græci illi Legis *caſus maioris* ſententiam fuiſſe volunt, *Teſtibus qui ad teſtatorem accedere formident ne morbo contingantur, licere ſeparatim & ſecretim ab eo teſtamentum ſignare.* Hæc Græci, qui certè non de Teſtamento tempore graſſantis peſtis condito exertè loquuntur, quantum equidem Synopſis Baſilicon hactenùs præfert, quod iis tamen nonnulli perperàm adſcribunt, imò ne de peſte quidem diſertè agunt, quod Cuiacius tamen etiam prodidit, *lib.*26. *obſeruat.c.*10: Verùm generatim, de teſtatore, quem accedere teſtes formident, *διὰ τὸ μὴ τῆς νόσου μεταλαβεῖν.* Et hic ipſe tamen primus Græcorum error eſt, quod *Caſum* ponant in Teſtatore morbo oppreſſo, quem teſtes accedere formident, cùm tamen in teſte

propriè caſus huius l. ponendus ſit. Quorum alter etiam hic error eſt circa *Deciſionem*, quod *hac* l. id definiri putent, vti liceat in ſpecie huius l. teſtibus ſeparatim, ſeu alio loco, teſtamentum ſignare, quàm vbi teſtator conſiſtit, κεχωρισμένως ἐξ αὐτοῦ, & ſic extra conſpectum eius: cùm tamen non de eo in ſp. huius l. quæſitum fuerit, verùm de duobus aliis longè diuerſis; puta vtrum intermiſſus, interciſus, interpellatus, caſu aliquo teſtandi actus, ob caſum videl. aliquem maiorem ac nouum contingentem, quidquam teſtamento noceat: Item, vtrum ſeptem teſtes & coniunctim quidem ſeu ſimul neceſſariò hoc quoque caſu requirantur, quod poſtremum etiam Græci omiſêre. Interea, dum illi Græcorum errores profligantur, illud hic ſemel ſtudioſos iuris præmonere operæ puto, haud vilem equidem Græcorum Interpretum authoritatem eſſe, & inter alia quidem ad ſtabiliendam ſæpe veram legis lectionem, atque in componendis inter ſe iuris textibus, ſuique ſœculi Iuriſprudentiâ indicandâ, non tantam tamen haberi oportere, vt in explorando genuino legum Romanarum, qui controuerſus eſſe poteſt, ſenſu horum ſententiæ protinus, ſeu ἀβασανίστως καὶ ἀνεξετάστως, adhæreſcendum putemus. Nam vt Iuriſprudentiæ Romanæ dignitas omnis ipſorum æuo iam conciderat, certè non illi hodie eſſe poſſunt, quos hac parte arbitros vnos tutò adigas, quoſque pro fundo ſeu fundamento in huiuſcemodi dubiis quæſtionibus habeas: Quando & Imperij Romani veteris illius neque vola iam neque veſtigium fermè amplius eo tempore extabat, verborúmque ad ius pertinentium ſignificationem exploratam ipſi non ſemper habuêre, imò vim ſermonis Latini, ne adſequerentur quidem ſæpe: abſque quo tamen, nemo vnquam genuinum Legum ſenſum adſequi ſperet. Quare, & hic, vt & aliàs, optimum quod medioxumum: Qua de re alibi fortè plenius. Hac parte certè, vt in viam redeamus, è recentioribus multi magni nominis viri dum pedibus in Græcorum ſententiam protinus iuêre, à vero etiam multum receſſêre: dùm opinati ſunt, id hac lege caueri (quæ iam ſecunda

Inter-

Interpretatio eſt) vt ſi teſtator peſte correptus fuerit, id remittatur, ne teſtes in eodem conclaui & cubiculo ei operam dent, adeoque ſeorſim alióque loco teſtes eſſe ſignareq; poſſint, dummodo (quod nonnulli etiam addunt) teſtatoris vocem exaudire valeant: *arg. l. 21. ff. qui teſtam. fac. poſſ.* idque eſſe, quod Imp. hîc reſcribat, *de iure laxatum & remiſſum eſſe.* Quod omne falsò huic l. affingitur.

Tertia Interpretatio eſt v. CL. *Cuiacij* (in quâ tamen ipſemet Cuiacius ſibi non placet, non conſtat) *recitationibus ad hanc l.* nempe putabat is aliquando, accipiendam hanc l. de Teſtamento peſte graſſante condito, deque teſtatore vel teſte vno (id enim in promiſcuo ponit, ſic tamen vt in hoc poſtremo de teſte caſu ſubſiſtat) inter teſtandum peſte correpto: Cùm tamen neque de tempore peſtis, neque de teſtatore hâc l. agatur, imò ne de peſte quidem.

Et verò idem Cuiacius *alibi* (quæ iam *Quarta* huius l. Interpretatio numeretur) *lib. 26. obſeruat. cap.* 10. paulò aliter hanc l. accipit: puta de Tempore graſſantis morbi contagioſi, & teſtatore eo morbo laborante, vel certè de teſtibus exiſtimantibus teſtatorem ex eo morbo decumbere, ac nullo modo de teſte ipſo peſte correpto: & ſic de teſtibus huiuſmodi terrore *oppreſſis*, id eſt (nam ita vocem hanc interpretatur) circumſeſſis. Quod exemplum interim adjici velim aliis *Variationibus* Cuiacianis, quarum iuſtum inſtar nuper edidit V. CL. Merillius, Iuriſprudentiæ noſtræ per Galliam ocellus, idemque amicus meus ſummus. Quâ parte nominatim Cuiacium in varias diſtrictum diſtractumque ſententias videmus, pro variis quas adhibendas credidit verborum interpretationibus. Primùm enim, quod ex eius ſcriptis videre eſt, verba illa *caſus maioris* &c. triplici ſenſu accepit: modò, pro ipſa peſte, qua iam ſiue Teſtator, ſiue teſtis contactus fuerit: modò, pro caſu maiore víque diuinâ quæ contagionem adferre poteſt ſi quis accedat ad eum vel ad eos (nam hæc eius verba ſunt) qui ea corripiuntur, vel denique pro caſu maioris neceſſitatis, quæ aliquid de ſummo iure laxari iubet. Secundò vocem *oppreſſos* accepit Cuiacius

modò pro contactos, correptos, modò pro circumſeſſos.

Cuiacianis Interpretationibus proxima accedat & illa quorundam explicatio, quæ *Quinta* iam ordine eſt, agi ſcil. hâc l. de teſtamento tempore peſtis facto, quo etſi neque teſtator, neque teſtis peſte correptus fuerit, attamen teſtes huiuſmodi morbo oppreſſi fuerint: *oppreſſi*, id eſt non morbo contacti, (quæ vera interpretatio eſt, excepto quod id de peſte accipiendum non ſit) non circumſeſſi (quomodo Cuiacius) verùm (tertio iam ſenſu) metu tantùm mali ſeu peſtis correpti, dum videl. quiſque peſtilentiæ tempore timet ſeſe cœtui & conuentui miſcere, ne fortè quæ infectionis cauſa ab aliquo adferatur, & ſic caſus maior ac nouus *contingat* id eſt (nam id ita ioculariter prorſus explicant) qui contingere poteſt, & cùm contingit in aliquo, in eo nouus eſt. Atque ita verba illa *teſtes huiuſmodi morbo oppreſſis* explicant, metu ſolo morbi correptos: vt *morbus opprimere* dicatur, non vitioſâ modo qualitate, ſed metu ſolo.

Hæ Cuiacij aliorumque veſtigia eius ex parte prementium, interpretationes ſunt circa ſpeciem huius l. ponendam. Quod Deciſionem eius attinet, nonnihilum & in eo ſibi diuerſus Cuiacius deprehenditur, pro caſuum videl. diuerſitate. Nempe enim quo caſu teſtem peſte contactum ponit, id *hâc l.* definiri cenſet, vt is teſtis à cœteris ſciungatur, ratumque ſit teſtamentum, licet ille vnus ſeorſim ſignauerit, propter horrorem videl. cœterorum teſtium: Alibi verò, quo caſu teſtatorem peſte contactum, vel tempus graſſantis morbi, ſupponit, id definiri hâc l. tradit, nihilominus valere teſtamentum, etſi teſtes omnes huiuſmodi terrore circumſeſſi, coràm teſtatore non ſignauerint; dummodo eodem die ſeptem teſtium numerus conuenerit extra conſpectum teſtatoris teſtamentumque ſignauerint. In quo iam Græcorum ſententiæ Cuiacius accedit. Imò tandem *Conſultatione* 48. *& ad l.* 21. *in fi. ff. qui teſtam. fac poſſ.* ita mentem ſuam expromit, rationem contagionis efficere, vt non neceſſe ſit teſtes vno eodemque tempore adhiberi, contra diuerſis horis obſignare poſſe.

Sexta Interpretatio eſt eorum qui hanc conſtitutionem accipiunt

piunt de Teſtibus morbo contagioſo correptis eo ipſo iam momento antequam ſeu cùm ad teſtamentum rogarentur. Cuius interpretationis ſententiam quidam ita efferunt, quòd videl. hæc lex ſit de tempore peſtis graſſantis, quo cùm teſtator ſanos teſtes inuenire non poſſet, alios eodem morbo laborantes adhibuit. Et hanc quæſtionem motam volunt, num teſtamentum valeret: addito, hanc iuſtam interpretationem eſſe, ſi verbis Legis velimus ſeruire. Verum hæc omnium ridicula maximè Interpretatio eſt: quam ne memorare quidem ſuſtinuiſſem, niſi & omnes recenſere inſtituiſſem.

His addatur *ſeptima* iam interpretatio eorum, qui ſiue retenta voce *conueniendi* (ibi, *conueniendi numeri eorum*) ſiue eius loco ſubſtitutâ voce *conuenientis*, non id definiri hâc l. putant, quod ſeptem teſtes tempore peſtis quoque & præcisè adhiberi debeant, verùm iſtud, *conuenientem* aliquem numerum *conuenire* debere, veluti quinque vel trium prout reperiri ſéque illi dare poſſunt.

Accedat & *Octaua* eorum Interpretatio, qui cenſent, caſum huius l. ponendum eſſe in teſte peſte contacto, & illud *hâc l.* definiri ſeu decidi nominatim putant, in locum teſtis illius alium ſubrogandum, eoque ſic ſubrogato teſtamentum valere. De quâ tamen ſubrogatione nihil *hâc l.* exprimitur: etſi verum ſit, ad eam ſubrogationem quandoque deueniendum, ſub ea diſtinctione quam proponit Iuſtinianus conſtitutione ſua, *d. l. cùm antiquitas 28. Cod. de teſtamentis.*

III. Sequitur Interpretatio, vnica è proditis hactenus, veritati propior, & ipſa tamen ſuis adhuc næuis quibuſdam laborans, ordine iam NONA: veterum ſcil. Interpretum Latinorum, qui poſt reſtitutam per Occidentem iuris Iuſtinianei prudentiam, exorti ſunt, in quis Accurſius, Cynus, Bartolus, Baldus, Salicetus, Caſtrenſis, Iaſon, quos ſecuti ſunt nonnulli hac etiam ætate. Hi omnes quidem rectè Legem noſtram accepêre, non de teſtamento tempore peſtis condito, non de teſtatore teſtéve peſte contacto, verùm de caſu ſeu morbo maiore nouoque quodam qui condendi teſtamenti tempore teſtatori vel certè teſti

(quod poſtremum veriſſimum eſſe poſtea oſtendemus) ſuperuenit: Sic quidem etiam, vt in morbo Comitiali ſeu Epilepſiâ exemplum ſeu caſum ponant, arg. *d. l. cùm antiquitas 28. eodem titul. Cod. de Teſtamentis.* Hæc verò illa eſt, vti dixi, veritati propior interpretatio, quam & hac ætate è recentioribus nonnulli amplexati ſunt, qui eiuſce gloriam ſibi velut primis authoribus vindicare auſi ſunt. Et in hac ipſa tamen interpretatione, quam aliter atque aliter etiam efferunt, non vnus adhuc error reſidet, ſiue caſum, ſiue Deciſionem ſpectes. Primus quidem in eo, quod multi ex his ſpeciem huius l. ponant promiſcuè in teſtatore & in teſte: cùm tamen, vti dixi, genuina ſpecies ponenda ſit in teſte, quod etiam nonnulli ex his rectè viderunt: etſi verum alioquin ſit, ex identitate rationis, idem quoque iuris eodem caſu propoſito ſtatuendum in teſtatore.

Secundus, quòd multi, non exempli causâ in morbo caduco caſum ponant, verùm hactenus ſubſiſtant, ignari & alios quoque caſus maiores ac nouos dari, teſtamentique tempore contingere poſſe, ex quibus timor contagionis oriri, eâque re teſtes deterreri, mox & diſſociari, diſiungique poſſint. Tertius, quòd nonnulli ex his contrà *contagionis* verbum latius accipiant, pro quouis morbo atrociore, quem abhorrere ſolent homines, in quibus eſt & Ripa: dicere enim debuerant, hic agi de quouis morbo vnde timor contagionis aliis ſuperſtitibus ſeu præſentibus addi poteſt, vtpote qui, ſiue per adproximationem ſeu contactum, ſiue ἀφεξῆς ad diſtantia procedere ſeu tranſcendere poſſit. Non omne ſcilicet quod abhorremus, & contagionem adfert, vel contagionis metum iniicit. Poſtremus error eſt, quod ex his nonnulli id hâc l. decidi, id remitti putant, vt neceſſe non ſit teſtes ſimul ad teſtimonium perhibendum iungi, eodemque tempore ſubſcribere & ſubſignare: cùm tamen, quod & veterum plerique alij rectè cenſent, id tantùm hac l. definiatur, *eo tempore*, ſeu interim dum morbus ille durat, actum ſeu contextum teſtamenti ſuſpendi ſeu intermitti poſſe, verùm interpoſitum aliquandiu mox reſumi, integrari oportere, & vt Iuſtinianus loquitur *d. l. cùm antiquitas 28*, iterum ſolita adimpleri,

pleri, ſeu iterum introductis teſtibus conſequentia factionis teſtamenti procedere: ita quidem, vt legitimus ſemper teſtium numerus, & ſimul quidem, conueniat; & vt rectè Viuianus, *Licet ob talem neceſſitatem remiſſum ſit teſtibus vt conueniant, non tamen eis remiſſum ne redeant, ſed redire debent, quia neceſſe eſt, vt ſufficiens numerus teſtium adhibeatur*, & vt Accurſius ipſe, conceſſum eſt teſtibus diſſociari, dum tamen ſtatim vel ipſi iidem redeant, vt *l. qui teſtamento in fin. & l. heredes ſin. π. eod.* vel, ſi neceſſe erit, alij ſupponantur &c. vt *d. l. cùm antiquitas. § ſin autem. C. eod. tit.* Vnde etiam Baldus id efficiebat, quod Sacerdos propter ſuperuenientes excommunicatos officium Miſſæ (quod vno alioquin contextu peragendum eſt) ſuſpendere poſſit.

III. Veriſſima igitur tandem, næuiſque omnibus repurgata interpretatio iſthæc eſt, ſub hac ſpecie. Ego teſtamentum conditurus teſtes legitimo numero, ſeptem videlicet, à me rogatos adhibui, mox & teſtari cœpi: Inter teſtandum, ſeu cùm iam actus teſtandi procederet, vnus fortè, vel etiam vnus aut alter e teſtibus deſubito, *caſu* quodam *maiore ac nouo contingente, huiuſmodi morbo oppreſſus* fuit, vt *timor contagionis* cæteros teſtes inuaſerit, eaque re *deterritos diſiunxerit, diſſociarit*, & ſic actus ſeu contextus teſtamenti interruptus, interpellatus, interciſus neceſſariò fuerit? Certè hoc caſu, ex neceſſitate *aliquid de iure laxandum eſt*, ſeu aliquid de iure ordinario *remittendum* venit, puta, vt EO TEMPORE, ſeu quamdiu teſtis ille morbo *opprimitur*, quamdiu *timor contagionis* alios inuaſos tenet, iure ij *diſiungantur*, diſſocientur, hæcque adeo intercapedo, interruptio, ſeceſſio, teſtamento meo vitium non objiciat, ſeu teſtamentum meum non labefactet, cùm alias vno contextu ſeu tenore, & perdurantibus ad finem vſque teſtibus, interque ſe iunctis-ſociatis, teſtamentum de iure texi, contexi, pertexi debeat. Hactenus ſcil. neceſſitati hoc caſu ſubcumbendum ſuccurrendúmque venit, hactenus *remittendum* de iure ordinario aliquid eſt, vt EO TEMPORE teſtes iungi ſociarique neceſſe non ſit, imò per id tempus citra noxam vllam diſiungi diſſociari ij poſſint. Sed quærebatur, num & hoc caſu de legitimo quoque teſtium numero remit-

tendum aliquid foret, ſic vt reliqui ſex fortè teſtes iam ſufficerent, protrito ſeu præterito eo qui morbo opprimitur: Quæſitum fortè &, vtrum diſſociati ita ſemel teſtes teſtatori ſeparatim operam dare ſignaréque adeo poſſent? Quod vtrumque hac l. negatur: Scilicet, vt maximè actum ſeu contextum teſtandi diffindi, ſuſpendi hoc caſu neceſſe ſit *Eo tempore* quo caſus ille maior ac nouus euenit, attamen *poſt id tempus* mox redintegrato actu ſolemnem adhuc teſtium *numerum* adhiberi, cúmque ſimul *conuenire* oportere. Cùm quatuor ſcil. hæc inter cætera ad *ſolennitatem* & *obſeruantiam* teſtamentorum requirantur, puta 1. vt teſtes numero legitimo adhibeantur. 2. Vt teſtator vno contextu teſtetur. 3. Vt teſtes iuncti inter ſe ſociatique vno eodemque loco ſemper ad teſtificandum ſibi cohæreant adhæreántque. 4. Vt ad finem iidem perdurent: Caſus equidem ille maior & nouus contingens, contextum *Eo tempore* abrumpi, teſteſque diſiungi-diſſociari interim permittit, at non & de numero teſtium, eoque ſimultaneo, vbi ad teſtificandum rurſum reditum fuerit, quidquam remitti patitur: de cuius differentiæ ratione poſtea viderimus.

Hæc genuina eſt huiuſce Legis ſententia, hæc ſpecies, hæc deciſio. Quæ vt adſtruere poſſimus omnia, atque à falſis partim Interpretationibus, partim & emendationibus, vindicare ſemel, ipſa primùm Legis ipſius verba hîc ſterni atque ob oculos poni oportet.

Impp. Diocletianus & Maximianus A A. Marcellino.

Caſus maioris ac noui contingentis ratione, aduerſus timorem contagionis quæ teſtes deterret, licet aliquid de iure laxatum eſt, non tamen prorſus reliqua teſtamentorum ſolemnitas perempta eſt: Teſtes enim huiuſmodi morbo oppreſſos eo tempore iungi atque ſociari remiſſum eſt, non etiam conueniendi numeri eorum obſeruatio ſublata eſt. Dat. XII. Kalend. Iul. ipſis IV. & III. AA. Coss. (i. A. D. CCXC.)

IV. Pro-

IV. Propoſitis Diocletianeæ conſtitutionis verbis, adpoſita ſimul vera eius interpretatione ſeu paraphraſi, *Caſus* primùm eius, ſeu genuina ſpecies ſuperius à nobis tradita, vindicanda venit. Ea verò parte primo omnium loco euincendum nobis eſt, non agi hac l. de *Tempore peſtis*, ſeu de peſtilitate (vt loquitur Lucretius) & ſic de teſtamento peſte graſſante condito, verùm de caſu quodam maiore nouoque & morbo ſontico aliquo, qui timorem contagionis teſtibus addiderit, vni ex his contingente, ſeu in teſtamenti tempus incidente, & per id teſtamento interrupto, interciſo, diffiſo. Id verò comprobat integer Legis ipſius contextus, qui ſanè totus in perſonam (teſtium videl.) & in negotij ſeu condendi teſtamenti tempus conceptus eſt ſeu dirigitur, totúſque adeo eſt de morbo quodam ſingulari, momentaneo, *ἀπροσδοκήτῳ καὶ ὀλιγοχρονίῳ*, nulla peſtilitatis ſeu *ἐπιδημίας* vel *πανδημίας* vel minima mentione indicioue facto. Quod ſigillatim nunc oſtendendum nobis eſt: eoque fine, ſimul & ad illuſtrandam penitùs legem, *κατὰ λέξιν* ducenda nobis eſt per ſingulas penè legis iſtius voces interpretatio, quæ *σημαντικαὶ* ſunt & propriæ omnes.

Primùm igitur ait lex. CASVS *maioris ac noui contingentis ratione*. Nempe hac voce *Caſus* generatim indicatur quod inopino ſeu fortuitò accidit, teſte etiam Feſto, *συντυχία, συμφορὰ*, quæ fortuito nec-opino ingruit, & cùm de negotio aliquo agitur, (vt in hac ſp. de teſtamenti ordinatione) eo tempore ipſo quo negotium illud geritur, contrahitur, celebratur, in id incidit, & exinde, in ſp. huius l. eos qui negotio illi intenti ſunt quà opprimit quà deterret: vnde & Iuſtinianus in eadem ſp. verſans, in *d. l. cùm antiquitas*, *fortuitum caſum* quoque vocauit. Breuiter, vt rectè Gloſſa definit, ad §. *theſauros Inſt. de rer. diu*, *Caſus* eſt *inopinatus rei euentus ex diuerſis cauſis proueniens ob aliud & aliud inceptis*. Nullo modo verò *Caſus* præexiſtentem aliquam calamitatem, eiuſue propagationem, & ſic tempus graſſantis peſtis, adſignificat. Nam vt maximè peſtilitas in genere, atque in abſtracto, caſibus maioribus annumeretur, quomodo ſanè & *caſum peſtilentiæ* dixit Cornelius Celſus, *lib. 3. c. 7.* & Eutropius, & ex eo

Paulus Diaconus, vbi de peſte agunt quæ ſub Marco Imp. ſæuiſſima extiterat, nemo tamen vnquam rectè dixerit *caſum* ſimpliciter pro ἐπιδημία ſeu tempore peſtis graſſantis, quæ vtique tractum temporis ſeu tempus ſucceſſiuum requirit, verum pro Caſu ſingulari qui in actum aliquem *ingruit* (quę vox etiam hîc propria) & in eum incidit: quomodo & *repentini caſus iniquitas* dicitur *l. 3. Cod. de inoff. teſtam*: ac nominatim quidem in ſpecie huius l. vox *Caſus* vſurpatur pro caſu ſingulari, qui ſingularem perſonam aliquam, ſingulari negotio intentam, opprimere deſubito cœpit, & ſic pro morbo ei contingente: *Caſus* ſcil. *maioris* appellationem vſurpauit hic Diocletianus pro eo caſus genere qui natura accidit, ac ſpeciatim pro morbo nec-opino aliquem inuadente: quare & quod initio dixerat, *Caſus maioris ac noui contingentis rationę*, mox id ita efferε, *teſtes enim huiuſmodi* MORBO *oppreſſos*. Sic ſanè & idem Diocletianus, *caſum corporis* pro morbo dixit, in *l. caſus corporis C. qui morbo ſe excuſant*. Tandem, quod notari maximè cupio, & vox hæc ipſa *caſus*, Comitiali morbo (de quo etiam hæc lex accipienda eſt) propriè conuenit, de quo mox.

Secundò ait lex, NOVI *caſus contingentis ratione*. Nempe *nouus* caſus dicitur, qui nouiter in negotium aliquod incidit, inopinò, νεωςὶ, νοχμὸς; qui ſanè nouus non eſt, cùm tempus ipſum peſtis graſſantis eſt, cùm πανδημία eſt: nam cùm tempus peſtis eſt, cùm caſus peſtilentiæ eſt, cùm peſtilitas, ſi quæ ſingularis perſona eâ corripitur, non hic iam *nouus caſus* dici poteſt, verùm peſtilentia, quæ iam inualuit, quæ vulgatur, quæ graſſatur, quæ ſæuit, quæ ſerpit, in eam perſonam diffundi-tranſcendere, denique ἐπιδημία, πανδημία, καὶ κοινὸν νόσημα, cùm iam ratio Libitinæ ſeu ephemeris publicè conficitur. Ergo *nouus caſus* in hac l. qui & publicè nouus, & in negotio cœpto inopinus. Quid quod *Nouus* hîc quoque dicitur, pro extraordinario caſu, inſolenti, inuſitato, maiore ſolito (vnde *&* *maior &* *nouus* hîc coniunguntur) quo ſenſu vox ea paſſim quoque accipitur, vt apud ſcriptores alios, ita & maiorum noſtri libris: Nouus inquam, & nouitate ipſa & inſolentia ſi nil nouus. Sic *viſu vel vagitu nouum* portentum vel monſtrum.

monſtrum *l.135. ff. de verbor. ſignific.* Sic & in alterâ eiuſdem Diocletiani conſtitutione, apud auctorem collationis legum Moſaicarum, *noua inopinata prodigia*, de Manichæis: ſic & apud Paulum 5. *ſentent.21*, *Noua & vſu incognitæ religiones.* Sic apud Tacitum ſæpe, inter alia 3. *Hiſtor.18.* *re nouâ attonitos* dixit, vt hîc dicuntur *teſtes caſu nouo deterriti.* Sic Aurelius Victor, de eodem Diocletiano Imperium abdicante: *Quæ res poſt memoriam humanam noua atque inopinabilis fuit.* Sic apud Caſſiodorum, *Nouum eſt, ſub amore Principis, cuſtodire modeſtiam.* Sic & *nouitas crucis* apud Tertullianum lib. 1. *ad nationes* 8. de eâ quam Regulus excepit. *Sic nouitas vulneris* apud Florum *lib.4.c.3.* Sic apud Virgilium ſæpe: inter alia.

Tum verò tremefacta nouus per pectora cunctis
Inſinuat pauor. Vbi pariter ex caſu maiore quodam & nouo contingente, *nouus pauor* dicitur *tremefacere pectora*, quomodo *hâc l. caſus* maior ac nouus contingens *timorem contagionis addere, teſteſq́; deterrere* dicitur. Contrà in iure noſtro paſſim, *non nouum* dicitur pro vſitato.

Tertiò ait lex, CONTINGENTIS *caſus maioris ac noui.* *Cõtingentis*, id eſt qui in ipſo actu & negotio cũ ei opera datur, contingit, euenit, ingruit, & præſentes, vel aliquem è præſentibus, opprimit, veluti ſubitaneum telum aliquod, συμβᾶσα περίστασις. Quomodo & Græci in hâc ipsâ re voce ἐμπεπτωκέναι vtuntur, vt Xenophon *Cyropæd.8.* νόσον φάσκων ἐμπεπτωκέναι. Ridiculum verò maximè eſt, quòd nonnulli hîc *Contingentis* vocem adiectiuo ſenſu accipiunt, pro eo qui contingere poteſt.

Quartò ait Lex. *Teſtes ex huiuſmodi caſu maiore ac nouo contingente*, TIMORE CONTAGIONIS *correptos.* Non igitur ex peſtilentiâ graſſante. *Contagio* non eſt, quomodo hæc vox paſſim hodie effertur, tempus peſtilentiæ, verùm ſingularis cuiuſdam συμπάθεια πάθους, de quo poſtea plura: atque adeo timor contagionis, non graſſantis, verùm quæ metuitur ex vno aliquo caſu maiore ac nouo vni perſonæ in vno aliquo actu contingente, vnde cœteri timore contagionis corripiuntur, atque adeo deterriti diſſociantur diſiunguntur.

Quintò ait Lex, *Contagionis quæ teſtes* DETERRET. *Deterrendi* ſcil. vox, etſi alias generaliter pro *abſterrendi* voce vſurpetur, etiam cùm quis à negotio aliquo inchoando-occipiendo terretur, vel etiam *pro terrendi* voce ſimpliciter, & validè quidem, quomodo vel Tullius, *de optimo genere dicendi: Nec verò Ariſtotelem in Philoſophiâ deterruit à ſcribendo amplitudo Platonis:* & idem *primâ Tuſculanâ. Itaque non deterret ſapientem mors, quæ propter incertos* CASVS *quotidie imminet, & propter breuitatem vitæ nunquam longè poteſt abeſſe:* & Tacitus primo Annalium *c.1*, vexato aliàs loco, *ingenia g iſcente adulatione deterrita à ſcribendo*, dixit. Etſi rurſum (quod Priſcianus dixit *lib.14.*) *de* in voce deterrendi ſit incentiuum, vt in *deprehendo, dedo, deprauo, deprimo, deminuo, debiſ o, deligo:* Attamen propriè adhuc magis *deterrendi* vox idem valet, quod ſubito metu ſeu timore, abs-ſeu à negotio aliquo iam cœpto auertendi, terrendi, auocandi, ob caſum videl. nouum & maiorem aliquem negotio cœpto ingruentem-contingentem, quo ſanè ſenſu hîc omnino ea vox accipienda eſt.

Sextò ait Lex RELIQVA, ibi, *Non tamen prorſus reliqua teſtamentorum ſolemnitas perempta eſt. Reliquum*, etſi generaliter vſurpetur de eo quod ex re aliquâ vel negotio vel mente tantum concepto ſupereſt, propriè tamen adhuc magis, quod ex re aliqua vel negotio reuera cœpto, verum deintegrato, diffiſo, interrupto, peragendum ſupereſt. Et ſic *reliqua Teſtamentorum ſolemnitas hl.* eſt, quæ interrupta (vt Gloſſa rectè vidit) propter caſum tum primùm & maiorem contingentem, peragenda, adhibenda ſupereſt.

Septimò ait lex, *non tamen* PEREMPTA EST. Hæc ſcilicet vox *perempta* pertinet ad negotium cœptum quidem at interruptum; eaque formula *non tamen perempta eſt* indicatur, negotium quod interrumpi percelli labefactari caſu reue aliqua cœpit, non ideo penitus exſtinctum. Sic & Tullius, *de Aruſpicum reſponſis: Si ludi non intermiſſi, ſed perempti atque ſublati ſunt.* Qui locus huic conueniens eſt in huius quippe legis ſpecie videbatur, ſolemnitatem Teſtamenti ob caſum maiorem ac nouum contin-

contingentem, non tantùm *intermiſſam* interpellatam, interciſam, diffiſam, verùm *ſublatam* penitus *peremptamque* & remiſſam: Et contrarium tamen definitur, puta vt actus quidem eo tempore intermittatur, vt teſtes diſiungantur diſſocientur, at non & ideo remiſſam, ſublatam, peremptam *reliquam*, quæ agenda, quæ celebranda ſupereſt, quæ iure deſideratur, teſtamenti ſolemnitatem & obſeruationem. Denique, *perimere* eſt rem vel vniuerſitatem rei aliquam, quæ iam aliquatenus re caſuue aut tempore concuſſa fuit & labefactata, extinguere, & vt (Priſcianus ait *lib.*14.) *per* eſt perfectiuum; Vt omittam, quæ omnibus expoſita, ſunt, de *peremptorio vocabulo*, de *peremptorijs Rubricis*, *peremptali fulgure*, *peremptoria præſcriptione*, ita certè *perimi actio*, *communio*, *præſcriptio* id genus alia dicuntur. Imò & hæc ipſa formula quæ hac l. vſurpatur, *perempta non eſt*, vel *perempta eſt*, eodem planè ſenſu & alibi pluries occurrit, & in Digeſtis *l.*51. *ff. de pactis*, *l.*76. *π. de ſolutionibus*, *l.* 1. *§. ſi in tutela* 21. *π. de tutelæ & rationibus*: Et in Codice, veluti *l.*1. *Cod. de iudiciis*, vbi dicitur, *iudicio* COEPTO, *vſurarum ſtipulationem non eſſe* PEREMPTAM. Et *l.*3. *Cod. ad exhibendum*. *Neque ad exhibendum actio, neque proprietatis vindicatio ſi nunc competit, propterea* PEREMPTA EST, *quod* ALIQVANDO *aduerſus te ad exhibendum aliter pronuntiatum eſt: quia commutatione litis alia res eſſe incipit.*

Octauò ait lex, OPPRESSOS *huiuſmodi morbo teſtes*: vbi duæ voces iſtæ, *huiuſmodi* & *oppreſſos*, planiſſimè oſtendunt, teſtibus in ipſo teſtandi actu occupatis, intentis, caſum hunc maiorem & nouum contigiſſe, non verò ex lue graſſante, ſeu *ἐπιδημίᾳ* morbum hunc contractum. Id enim & vox iſta *huiuſmodi* omninò ſignificat, vtpote relatiua ad ſuperiora & initialia illa quorum vim iam ſuperius expendimus, *Caſus maioris ac noui contingentis ratione*: vt & vox oppreſſos: *Opprimendi* quippe vox, etſi aliquando ſignificet id quod valde premat, quomodo & *magnis ægritudinibus oppreſſos* dixit Firmicus, *lib.*5.*c.*3.*p.*124. attamen hic omnino pertinet ad caſum aliquem ſingularem, nouum & repentinum: ſic enim & *ruina oppreſſus* quis dicitur, *l.* 5. *§. vlt. ff. de condict. cauſâ datâ*. *l.* 11. *§. ſi plures ff. ad l. Aquiliam*. *l.* 8. *ff. de hæredib.*

inſtit. & apud alios ſcriptores. Sic & apud Plautum, *Caſinâ Actu* 5. *Sc.*4, *oppreſſi* i. in ipſo flagitio inopinò deprehenſi dicuntur: & apud Terentium, *opprimere* eſt ſubito deprehendere; Græci dicunt καταλαβεῖν, ἐπιλαμβάνειν (vnde & ἐπιληψία .i. Comitiali morbo nomen) quod & propriè *opprimere*, de quo poſteà. Sic & *opprimendorum deſertorum* facultas prouincialibus permitti dicitur, *l.*2 *C. quando liceat vnicuique ſine Iudice*, ſeu *l.*14.*C.Th. de deſertoribus*, cui addenda eſt & *lex* 13.*eod.tit.* Denique *opprimere* ſubitis rebus proprium: vnde & eleganter dixit Plautus, *Aſinaria, Actu* 2.*Sc.*2, *Opprimere occaſionem quæ obuenit.* Et Tacitus inter alia, 12. *Annal.*44. *&* 4.*Hiſtor.*56, *incautum opprimere*. Imò & Comitiali morbo (de quo morbo inter alios accipienda eſt hæc conſtitutio noſtra) propriè hæc vox competit, qui vtique derepente opprimit, & niſi incipiens occupetur (vt loquitur Seneca 3. *de ira* 10) occupat ipſe (quà voce hâc in re ipsâ vtitur quoque Iuriſconſultus, *in l.*1. *in fi.* π. *de author.tutor.*) imò, ſi non opprimatur, opprimit: Seneca *ibid. Proderit morbum ſuum noſſe, & vires eius antequam ſpatientur*, OPPRIMERE. Et verò, cùm hac voce opprimi ſeſe videret Cuiacius, viderent quoque alij hoc in argumento verſantes, vocem hanc *oppreſſos* violenter interpretati ſunt pro *circumſeſſos*, vel pro *metu morbi correptos*: quod velut maniſſimum, validiſſimis deinceps argumentis opprimemus.

Tandem ait lex, EO TEMPORE; ibi, *Eo tempore iungi atque ſociari remiſſum eſt. Eo tempore*, id eſt eo temporis momento, quo caſus maior atque nouus ille contingit, quo teſtem vnum fortè vel alterum morbus oppreſſit: *Eo tempore*, relatiuè ſcil. ad caſum ſeu morbum ſingularem contingentem & incidentem momento teſtamenti ordinandi, non verò tempore peſtilentiæ ſeu peſtis graſſantis, & ſic eo tempore inſtanti, momentaneo, quo videl. vno forte alteróue e teſtibus morbo oppreſſo, cæteri deterriti fugatique fuerunt. Et ita quidem hæ voces *eo tempore* clariſſimo ſenſu hic accipiendæ ſunt: quas cum non intelligerent multi, emendare etiam adniſi ſunt, de quo poſteà.

V. Superius oſtenſum ſatis puto, hanc conſtitutionem non

de tem-

de tempore peſtis intelligendam eſſe, verùm de caſu quodam maiore & nouo, ſeu de morbo repentino inter teſtandum contingente, proximo nunc loco oſtendendum eſt, non agi etiam eâ de Teſtatore, verùm *de Teſtibus*, vel Teſte etiam vnico eo morbo correptis.

In id verò expreſſiſſima ſunt huiuſce conſtitutionis verba: TESTES *enim*, inquit ea, *huiuſmodi morbo* OPPRESSOS, *eo tempore iungi atque ſociari remiſſum eſt.* Quo ſanè nihil expreſſius dici potuit. Et tamen, vt ad teſtatorem hanc l. potius referrent Viri nonnulli iuris conſultiſſimi, deque Iuriſprudentiâ alioquin optimè meriti, repoſitum iuêre, loco *oppreſſos*, vocem *oppreſſis* (ſcil. teſtatoribus) arbitrati ſcil. hâc l. agi de tempore peſtis, & de teſtatore peſte contacto, ad quem teſtamenti ordinandi gratiâ teſtes vocati accedere formident, quod poſtremum & Græci, de teſtatore videl., cenſuêre.] Quaſi verò non & teſtes aliquando morbus ſeu caſus maior ac nouus inter teſtandum opprimere poſſit: quæ ſanè ſpecies huiuſce legis eſt, quod iam antea oſtenſum eſt. Quibus nunc addo, ſuperiori emendationi aduerſari, contrà vulgatæ lectioni adſtipulari ſequentia tria. Primò quidem, conſtans omnium Codicum fides vocem *oppreſſos* hîc tuetur. Secundò ipſa numeri collectiui ratio, vocem *oppreſſis* (teſtatoribus ſcil.) vt illi volunt, reſpuit: quandoquidem in ſpecie caſu ſingulari huius l. de quo Diocletianus conſultus fuerat, nonniſi vnicus teſtator præſupponi poteſt, & debet, ac proinde vox *oppreſſis* (teſtatoribus ſcil.) congruere non poteſt: optimè verò vox hæc collectiua *oppreſſos*, teſtibus conuenit, qui vtique plures ſunt, & de quorum vno vel altero etiam morbo oppreſſo, & exinde diſiungendis teſtibus diſſociandiſque, mox rurſum *conueniendis* (vt hæc lex loquitur) agitur.

Tertiò ſuperiori emendationi, & vel maximè, refragantur verba illa, IVNGI, atque SOCIARI: ibi, *Teſtes enim huiuſmodi morbo oppreſſos eo tempore iungi atque ſociari remiſſum eſt*, vt & vox CONVENIENDI: ibi, *non etiam conueniendi numeri eorum obſeruatio ſublata eſt.* Nempe enim verba illa ad teſtes omnino per-

tinent, hi enim non teſtatori, verùm inter ſe *iungi,ſociari* dicuntur: vt & *conuenire*, vt *h.l.* ita *& l.26.Cod.eod.tit.de teſtam:* pariter vt, conuocari *l. Diuus 24. ff. de teſtam. mil:* colligi, *l.21.§.in teſtamento ff.qui teſtam.facere poſſ: l.hac conſultiſſima 21. §.2.Cod.de teſtamentis.* Voces quippe hæ omnes, vt propriè pertinent ad perſonas, è quibus in vnum contractis, iunctis, ſociatis, conuenientibus, collectis in vnum cœtum ſeu Synodum, corpus aliquod conficitur, ita eò nominatim hîc pertinent, quòd Teſtes DE IVRE (vt hac ipſa lege dicitur) ſeu regulariter omnes non modò vno eodemque tempore eodem loco ſimul conuenire, coire, colligi, iungi, ſociari, ſed & collectos ſibi mutuò adhærere iugiter, & exinde operam iunctim, ſociatim, teſtatori dare oportuit; vti conſtat quoque ex alterâ eiuſdem Diocletiani conſtitutione, puta *l. ſi vnus 12. eod. tit. Cod. de teſtamentis*, & Theodoſij Iun. *d. l. hac conſultiſſima 21.* Iuſtiniani *l.26.Cod. eod. tit.* *Iungi* denique & *Sociari* eſt, vel oratione, vel iure, vel re ipſa, id eſt, iuncturâ & ſocietate, plura in vnum veluti corpus compellere, ſocium aliquid alteri ſocio adplicare: Quomodo certe teſtes eidem negotio adpliciti, *συμμάρτυρες*, hâc ratione inter ſe ſocij quidam ſunt, ſeu *conſocij* (quâ voce non tantùm Tertullianus vtitur, *lib.1. ad nationes cap.2.* verùm & idem Diocletianus *l. 3. Cod. de conueniendis fiſci debitoribus)* teſtimonij videlicet perhibendi gratiâ: Sic enim & *ſocietas* pro collegio & corpore quodam accipitur. Certè & Tacitus 14. *Annal.* 40, de ſubdito quodam & obſignato teſtamento agens, in hac ipſa re *ſociandi* voce vtitur. *Valerius Fabianus ſubdidit teſtamentum, aſcitis Vitio Rufino & Terentio Lentino, Equitibus Romanis: illi Antonium Primum & Aſinium Marcellum* SOCIAVERANT. *Igitur Fabianus tabulas ijs quos memoraui, & aliis minus illuſtribus, obſignat.* Ergo de teſtibus morbo inter teſtandum oppreſſis *hâc l.* agitur, deque iis ob morbum huiuſmodi ſeu caſum maiorem ac nouum contingentem aliquo tempore diſiungendis, diſſociandis, contra receptam alioquin iuris regulam, quam ſuprà memorauimus: Quò pertinent illa, *aliquid* DE IVRE *Laxatum eſt*: Item, REMISSVM *eſt*, quibus indicatur,

dicatur, in ſp. huius l. propter æquitatem ſeu neceſſitatem aliquam, iuris ordinarij regulam perfringi, deq; eius rigore aliquid laxari, ſeu remitti, puta vt *diſiungi diſſociari* teſtes interim ſeu *eo tempore* & ad tempus poſſint: Vt *remitti*, ita & *de Iure laxari* eſt de rigore iuris aliquid remitti, *h.l.* & *l.32. π.de donationibus inter virum & vxorem.* Sic ſanè & idem Diocletianus proximâ poſt Legem *caſus maioris*, *Lege* 9, ait, *ſpeciali patriæ priuilegio iuris obſeruationem quandoque relaxatam.* Atenim nuſpiam, puto, id de iure requiritur, vel vnquam requiſitum fuit, vel requiri poteſt, vt teſtes teſtatori ipſi *iungantur*, ſeu *ſocientur*, verùm hactenus, vt *in conſpectu* teſtatoris officio fungantur, vt ipſemet Diocletianus loquitur, proxima poſt hanc ipſam *d. l. 9. Cod. teſtamentis*, & *coram teſtatore* omnes eodem loco ſignent, idem *d.l.ſi vnus* 12. *eod.tit.*

Tandem aio, ſi quid hic immutandum foret, reponendum potius & probabilius viſum iri, eodem tamen ſemper ſenſu quem tuemur, *oppreſſo:* hoc ſcilicet: teſtes alios timore contagionis deterritos vni teſti *oppreſſo* eo tempore iungi & ſociari nil neceſſe eſſe. Verùm, nihil, vti dixi, immutandum eſt: potuit enim fieri, vt in ſp. huius l. non vnus modò, ſed & alter è teſtibus caſu maiore ac nouo inter teſtandum contingente ſeu morbo opprimeretur, quod certè fieri poſſe proximè liquebit.

Et tamen, vt hæc veriſſima ſint, in ſpecie huius conſtitutionis non agi de teſtatore (quod ideo vrgeo, vt ex eo magis magiſque appareat non agi hac l. de teſtatore peſte contacto) verùm de teſtibus morbo repentino oppreſſis, nihilominus ex paritate iuris ſeu identitate rationis, ad eum quoque caſum huiuſce l. æquitatem extendi debere fateor, vbi teſtator ipſe inter teſtandum morbo repentino correptus ſeu oppreſſus fuit, vt inquam teſtes interim pauliſper eo tempore à teſtatore *ſeparari* poſſint, mox iterum introducendi, vt propriè loquitur & definit Iuſtinianus *d.l.cùm antiquitas* 28. *Cod. eod.tit. de teſtamentis*, quod vtique etiam fieri poteſt, remanentibus teſtibus etſi extra conſpectum teſtatoris, attamen vno eodemque loco, quo ſeſe

eo tempore receperint, inter ſe iunctis ſociatiſque, qui contra in ſp. huius l. interim diſiunguntur, diſſociantur.

VI. Tertium nunc, & potiſſimum quidem in ſpecie huius Diocletianeæ conſtitutionis vindicandum nobis ſupereſt, ne *de Peſte* quidem hac l. agi, verùm de alio quodam morbi genere, caſuque maiore ac nouo, inter teſtandum contingente, ſeu quo in ipſo teſtandi actu vnus fortè vel alter è teſtibus ſubitò correptus ſeu oppreſſus fuit, indéque cœteri, timore contagionis correpti, deterriti, diſſociati, diſiunctique, & ſic actus ſeu contextus teſtandi interciſus, diffiſus, interruptus fuerit. Quem proinde morbum magnum, ſonticum, inſolitum, & extraordinarium eſſe oportet. Vt vel hinc iam mirari ſubeat Interpretes, & in his quoque Salicetum, qui vel in ſolo *Vomitu* teſtatoris exemplum ad hanc l. adponunt, propter quem teſtes de camerâ receſſerint poſteaque reuerſi fuerint. Neque enim ſolus vomitus, niſi alius aliunde extrinſecus timor accedat, *timorem contagionis* iniicit, teſteſque adeò deterret, imò ne maior quidem aut nouus hic caſus, ſeu morbus eſt, imò ne morbus quidem propriè, verùm ἀῤῥωςία quædam. Vt ad verum igitur peruenire poſſimus, tria potiſſimum notanda ſunt, quæ de hoc caſu morbóue hic prædicantur. Nempe, quòd *maior* is dicatur: quod *nouus* ſeu inſolens, & inuſitatus: quod *contingens, timorem contagionis iniiciat.* Neque ideo tamen peſtis hîc exaudienda venit, vt maximè fatear, & ipſam peſtem in *momento* ſeu actu teſtandi teſtem vnum aut alterum forte inuadere poſſe, & ita ſæuiter quoque vt is cœpto teſtamento amplius ſupereſſe non poſſit, & ita manifeſtè, vt cœteri inde deterriti ſeu timore contagionis correpti, ab eo diſiungãtur diſſocientur. Quid igitur? *Contagionis* vox hîc pertinet ad caſum alium maiorem, nouum & inſolitum, vnde iam præſentes alij in ſe idem exinde metuant: *Timor contagionis* eſt, non ſuſpicio de aliquo peſte contacto, verùm metus ex morbo aliquo, qui ita alios ἐκπλήττει, percellit, vt eundem in ſe cœteri metuant, id eſt, ne caſus ille maior nouúſque vni fortè contingens ἐμπίπτων, ſe quoque *contingat*, id enim eſt contagio, ſeu contagies vel contagium, is *contagionis timor*, φόβος ἐκ τῆς

παραυτίκα

παραυτίκα πτώσεως, vt Ammonius, περὶ διαφόρων λέξεων: Et alioquin Timor contagionis, vt timor litis, in *l.2.C.de tranſectionib.* Nam vt non omnis contagio ex peſte oritur, ſeu non omnia contagia peſtibilia ſunt, quod dixit Arnobius, *lib.7.adu.gentes*, ita neque ex peſte tantùm contagio metuitur, ſed & aliunde quoque timor contagionis oboritur; ex caſu videl. maiore nouoque, & aliunde teſtes deterrentur, diſiunguntur, diſſocianturque. Eſt enim *Contagio* generaliter affectio omnis, συμπάθεια πάθους, quæ alteri per alterum communicatur, ſeu productio ſimilis affectionis in alios νοσηρῇ ὑποχείσει, vel μιάσματι, ſeminario & inquinamento, denique ab vno in aliud tranſiens infectio vel affectio. Vnde rectè etiam in Gloſſis, quę vulgo Philoxeni, *Contagia* μολυσμοὶ μιάσματα αἱ ἐξ ἁφῆς γινομένης, συμπάθεια πάθους, id eſt, *inquinamenta, pollutiones per conuerſationem, compaſſio ſeu communicatio affectus.* Nempe enim, cùm morbi contagioſi duplici ratione & vehiculo fiant & tranſiliant tranſcendantque: immediatè ſcilicet, per contactum duorum corporum, ſeu ad contactum corporis, vt Seneca ait *lib.de ira*, ſeu per contactum Mathematicum, vt vocant nonnulli, & adproximationem corporis, κατὰ διάδοσιν ἐπὶ τοὺς ἐγγίζοντας, quod & Baſilius dixit in *Pſalmum* 1. ab extrinſecus rei venientis attactu, vt Arnobius *lib.7:* vel mediatè, per fomitem & ad diſtantia, ἀφεξῆς. Rurſum, cùm iidem morbi contagioſi, ratione obiecti & effectus, in triplici cenſu ſint; vel enim in vitam agunt, vel corporis cutem ſolum afficiunt, vel deniq; animum potiſſimùm alienant & externant: ſanè, hæc lex noſtra propriè eſt de omni eo morbi genere, cuius contagio ad animum præcipuè vel primùm ſerpit, timore videl. ex vnius caſu maiore nouóque in alios præſentes diffuſo.

In eò verò contagioſorum morborum cenſu eſt quoque morbus *Comitialis* ſeu Epilepſia. Quod quidem exemplum hic rectè appoſuerunt è veteribus Interpretibus Latinis nonnulli, puta Azo, Viuianus, Iaſon, Caſtrenſis, alij, ex Iuſtiniani *l. cùm antiquitas 28.cod.tit. C. de teſtamentis:* vti disertè Iuſtinianus, in eodem argumento, interrupti videl. ſeu diffiſi per actum caſumue aliquem teſtamenti, verſans, ſpeciem nominatim ponit in morbo

Comitiali,qui (quod & ipſe factum aliquando compererit) vni ex teſtibus contigerit, atque eâ re interruptum teſtamentum fuerit, etſi nullum ibi *contagionis* vel *timoris contagionis* (quod hæc lex noſtra præcipuum habet) mentionem faciat. Certè, antiquitas omnis Comitialem hunc morbum contagioſum credidit, & quanquam ἐπὶ τὸ πλεῖστον comitialis morbus euentu ipſo non communicetur,& vt princeps Medicorum ſecundum Hippocratem & Galenum Fernelius definit, *lib.2. de abditis rerum cauſis cap.*11, qui venenum haurit, aut qui comitiali morbo laborat,neque halitu,neque contactu alios inficere poteſt, vel vt alij aiunt ex epilepſiâ leue contagionis periculum immineat, vel non tam certum & euidens,neq; tam de facili,attamen & quandoque per contagionem ab eo qui eo morbo opprimitur communicari cum frequentior Medicorum ſchola ſciſcit: de quo Bertin.*lib.22.ſuæ Medic.cap.*3. etiam per ſolum viſum, teſte Chriſtophoro à Vega *lib.3. artis Medicæ c.*12. quem vtrumque laudat Schenkius,*lib.* 1.*obſeruat.tit.de Epilepſia*.& Paulus Zacchia,*quæſtionum Medico Legalium lib.3.p.*220. Quare, etſi morbus comitialis non ſemper contagioſus ſit,attamen timorem cõtagionis addere ſolet. Hinc adeo & morbum hunc apud Gentiles olim velut contagioſum deſpuere ſoliti,teſte Plinio,*lib.*10.*c.*23. & *lib.*28.*c.*4. vbi diſertè: *Deſpuimus*,inquit,*Comitiales morbos,hoc eſt* CONTAGIA *regerimus:ſimili modo & faſcinationes repercutimus*, v.& Apuleij *Apologiam:* Vt cœteroquin olim auerruncando malo cuicunque omini,vel etiam faſcino,deſpuere mos fuit,vnde & morbus Comitialis ϖειφευστικῶς dictus morbus *qui inſputari ſolet*, apud Plautum:de quo inter alios Doctiſſimus Mercurialis,*lib.5.Variar. c.*11.nempe quia exſpuere inter amuleta, ſiue cõtagij ſiue faſcini, habitum.Sic igitur liquet,exemplum ad hãc l.recte poni in morbo Comitiali, quando (quod alterum argumentum ipſe habeo, præter primum illud, quod inquam deſumitur ex *d.l.cùm antiquitas)* & inde *timor contagionis* oboritur,contra quam Cuiacius, qui conſtare dicebat,*non eſſe eum habitum morbum contagioſum.*

Et verò quinque inſuper alia huic comitiali morbo conueniunt, quæ hac l. de morbo caſúue maiore illo ac nouo ſiue prædi-

prædicantur ſiue indicantur. Primùm ipſa *Caſus*, pariter vt *Caduci*, appellatio, huic morbo propriè conuenit, quomodo hic *caſus* maior ac nouus dicitur. Seneca, *lib.3. de ira cap.10. Qui Comitiali vitio ſolent corripi &c. ſolitis remedijs incipientem* CASVM *occupant.* Quam quidem etiam lectionem à viris doctis ſollicitari non patior: etſi, quod nonnulli codices ibi præferunt, vocem *cauſam* defendi quoque poſſe ſcio. Secundò, quemadmodum hac l. *Maior caſus* ac nouus ſeu morbus dicitur, ita & Comitialis quoque morbus vulgò *maior morbus* dictus eſt, teſte Cornelio Celſo, *lib.3.c.23.* & Apuleio, *in apologiâ*, Feſto, in *voce prohibere:* & Iuſtino *lib.13.c.2.* valetudo maior: *magnus morbus* Hippocrati, *lib.6.Epidem. Sect.6. textu 7.* Heſychius quoque *in voce νόσος. νόσος μεγάλη, ἐπιληψία.* Quo nomine etiam hodie apud nonnullas gentes hic morbus audit. Dictus idem eſt & *ἱερὰ νόσος*, eadem ratione, ob ſui videlicet magnitudinem; *ἱερὸν γὰρ τὸ μέγα*, teſte Galeno & Aretæo, *de cauſis & ſignis morborum diuturnorum, lib.1.c.4.* vt & *Herculeus*, eâdem ſemper ratione, ob ſæuitiam videl. & magnitudinem, *ἐνδεικτικῷ ὀνόματι τοῦ μεγέθους*, teſte Hippocrate & Galeno, *lib.6. Epidem. in f.* & propter *τὸ δυσκαταμάχητον.* Tandem & *Morbi Regij* quoque appellatione eum nonnulli, teſte Acrone, apud Horatium, loco quem mox laudabo, quique huc apprimè facit, intelligunt. Tertiò, vt in hac l.caſus maior ac nouus *contingere*, teſteſque morbus *opprimere* (de quâ voce etiam ſupra aliquid) dicitur, ita & comitiali morbo laborantes acceſſione eius *opprimi*, ſeu ſubitò corripi, inuadi, & exinde corruere, concidere, labi ſolent: Quâ causâ etiam, non *caducus* modò, ſed & *ſubitus morbus* Senecæ & Celſo dicitur: imò & ἐπιλήψει inde nomen, ἀπὸ τοῦ ἐπιλαμβάνειν, quod eſt omnino incautum inuadere, & *opprimere:* apud Ariſtotelem 5. *Politic.* ἐπιλαβόμενος γὰρ στασιαζόντων τῶν γνωρίμων ὁ δῆμος, καὶ λαβὼν προστάτην ἐξ αὐτῶν ἐπιθέμενος ἐκράτησε. Thucydides. Καὶ τὴν φυλακὴν ὁ χειμὼν ἐπίλαβε. Quod alioquin & de peſte quoque dixit Thucydides *lib.2.* δὶς γὰρ τὸν αὐτὸν ὥστε καὶ κτείνειν οὐκ ἐπελάμβανε. Quartò, quemadmodum *hac l.* caſus maior & nouus ſeu morbus inter teſtandum contingere, teſtéſque

opprimere dicitur, quò ſanè hominum frequentia coire ſolet, ita & comitialis quoque morbus in rerum actu ſeu comitiis, & concione, ἐκκλησίᾳ (vt apud Dionem) cœtu, conuentu hominum (cuiuſmodi eſt & ciuilis teſtamenti ordinandi actus) contingere, inuadere, corripere & opprimere ſæpe ſolet. Sic ſanè & de Iulio Cæſare, Suetonius & Plutarchus memorant, cum *Comitiali morbo inter res agendas aliquando correptum*, ſeu *oppreſſum*. Neque iam dubito, quin *Comitiali* morbo nomen inde potius inditum fuerit, à comitio inquam, ſeu comitiatu populi, quod is, vti dixi, in comitiis ſeu frequentia hominum maximè inuadere & opprimere ſoleat: Vti contra, maximum Comitiali morbo laborantibus, non ſolatium modo, ſed & remedium, auerruncando malo, exiſtit, vt fugere ſollicitudines negotiaque omnia, ita & vitare turbam, vt Seneca ait; vt Plutarchus ἀποκρύπτειν καὶ καθορμίζειν εἰς ἡσυχίαν, diſiungique & diſſociari. Poſtremùm, vt *hâc l.* cœptus teſtamenti ſeu teſtandi actus propter caſum maiorem ac nouum contingentem, teſteſque hinc opprimentem, inde deterrentem, diffindi iubetur, ita & Comitialis olim morbus & publica & ciuilia officia, imò & comitia, prohibebat, dirimebat; teſte Catone, Seneca, Sereno, & Feſto, *in v prohibere* (vnde alij Comitialem morbum dictum malunt, & in his Feſtus ipſe, vel potius Verrius Flaccus, *in dictâ v. prohibere*) & inter alios morbos Sonticos iudicij diem idem diffindebat, de quo vel Interpretes XII Tabularum: ſic vt & Comitialis morbus *Sonticus morbus* propriè etiam vocaretur, teſte Plinio, cum de Gagate lapide agens, *lib.36. cap.19.* ſcribit; *Deprehendit*, inquit, *ſonticum morbum & virginitatem ſuffitus*: pro quo Dioſcorides, *lib.5. c.146.* lapidem illum ait, ἔλεγχον eſſe ἐπιληπτικῶν ὑποθυμιαθέντα: cùm *Sonticus* alias morbus in genere ſit, qui cuicûnque rei agendæ impedimento eſt, quomodo Iuriſconſulti noſtri definiunt, (nè de aliis nunc dicam) *l.60. ff. de re iudicata, & l.113. ff. de verbor. ſignificat*: quibus adde & *l.vlt. ff. de ædilit. edicto*: Publica, inquam & Ciuilia officia Comitialis olim morbus dirimebat, diffindebat: quo ſane ciuilium officiorum numero fuit quoque teſtamenti ordinatio, & in eo teſtatio, vt

vel

vel ex *l.2.ff.de regulis iuris* alibi oſtendo. Quo in argumento (de Teſtamentis inquam) de Comitiali morbo à IC[tis] tractatum ſæpe deprehendo. Nempe enim cùm in Digeſtis duobus tantùm locis mentio fiat morbi Comitialis, puta *l.53.ff.de ædilitio edicto, & l.1.ff.de authoritate tutorum*, priorem illam deſumptam comperio ex libro 1.Iauoleni ex poſterioribus Labeonis, poſteriorem ex libro 1.Vlpiani ad Sabinum: quo ſanè vtroque libro Iuriſconſulti illi verſati ſunt circa materiam teſtamentariam. Iauoleni verba ſunt. *Qui tertianâ aut quartanâ febri aut podagrâ vexarentur, quiue Comitialem morbum haberent* (Græci 19. *Synop.t.10.c.40.*δαιμονιζόμενον malè vertunt) *ne quidem his diebus quibus morbus vacaret, rectè ſani dicuntur.* Quod quidem à Iauoleno ideò ſcriptum, vt indicaret, etſi quoad Ædilitium edictum & redhibitoriam pertinet ſani nunquá eſſent comitiali morbo laborantes, attamen quoad teſtamenti cauſam attinet non eo minus iiſdem diebus quibus morbo non opprimerentur comitiali morbo obnoxios animo ſanos eſſe, & ſic per ea interualla rectè tum vt teſtari, ita & teſtes in teſtamento adhiberi poſſe. Vlpiani verò hæc verba ſunt. *Tutor ſi inuitus retentus fuit per vim, non valet quod agitur, neque enim præſentia corporis ſufficit ad authoritatem, vt ſi ſomno aut morbo comitiali occupatus tacuiſſet.* Quod quidem etiam ad hunc ipſum de teſtibus teſtamentariis tractatum pertinet. Nempe enim cum Vlpianus, eo libro 1.ad Sabinum *l.20.§.vlt.ff qui teſtamenta facere poſſunt*, ſcripſiſſet, ſi detenti ſint inuiti teſtes, non valere teſtamentum: ſtatim ſubiecit, idem obtinere & in auctoritate à tutore interponenda, ratione inſuper addita: nec enim *ſufficere præſentiam corporis ſolam, non magis quàm ſi aut ſomno quis aut morbo comitiali occupatus tacuiſſet* (vel potius *iacuiſſet*, ita enim forte ibi legendum) hoc ſenſu, parem eſſe rationem eius qui per vim detentus fuit, atque eius qui vel ſomno ſepultus, vel morbo comitiali oppreſſus *iacet:* Nam vt maximè corpore præſens ſit vterque, attamen neuter animo præſens eſt, pariter vt qui vi detinetur: Vt vis ſcil, ita & ſomnus morbúſque comitialis animum conſilium & voluntatem adimunt & externant: Omnia denique illa ex æquo vim intentant, & voluntatis iuſtiꝗ; iudicij & conſilij ἐμποδίσματα ſunt.

Atque hactenus de morbo Comitiali, eóque contagioſo, in quo ſpeciem ſeu exemplum huius l. rectè ponebant Interpretes Latini: ſic tamen vt (qui eorum inter alios næuus eſt) in eo hactenus ſubſiſtant, cùm tamen & alia exempla ſeu genera *huiuſmodi morborum contagioſorum*, vel timorem ſaltem contagionis incutientium, citra peſtem, habeantur; veluti *Rabies*, quæ etiam ab homine rabioſo per morſum communicatur, propagatur: συμμεταβαίνει γάρ τι τοῦ πάθους ἅμα τῷ δήγματι καὶ πολυγονεῖται ἡ νόσος καὶ πολλὴ γίγνεται τῆς μανίας διαδοχὴ, vt inquit Lucianus *in Nigrino in fine*, vel etiam per ſaliuam & per oſculum. Imò ex Dioſcoride & Cœlio Aureliano probatur, etiam ex ſola inſpiratione aëris à tabidis per exſpirationem emiſſi, rabiem contrahi poſſe: quod medicorum filiis diſcutiendum relinquo. Habentur & contagioſi habitique Lunatici (quæ *epilepſia moleſta* & *confirmata* dicitur) Arreptitij, Energumeni, δαιμονιζόμενοι (qui & ipſi ἐπιληπτοὶ dicti, non minus quàm morbo Comitiali oppreſſi, teſte Heſychio) non tamen iidem cùm comitiali morbo laborantibus, quique à catabolicis & paredris ſpiritibus, de quibus Tertullianus *de anima*, afflati derepente raptantur, deiiciuntur, ſolo affliguntur (vnde & *Catabolicis* nomen) haud aliter atque Comitiali morbo correpti, engaſtrimythi ſeu ventriloqui, aliique, qui καταβολῇ ſeu ἐπιπνοίᾳ θεοῦ καὶ καθέδρῳ adflati repente corripiuntur vel etiam concidunt. Quo in cenſu fuêre quoque olim apud Gentiles Fanatici, de quibus Horatius *de arte Poëtica*, ad hanc rem noſtram,

Vt mala quem ſcabies, aut morbus regius vrget,
Aut FANATICVS *error, & iracunda Diana,*
Veſanum TETIGISSE TIMENT *fugiuntq́ poetam*
Qui ſapiunt.

Bellonarij item Iſiaci, Galli Sacerdotes, gallantes fanatic, caput rotantes, comam iactantes ῥιψαυχένες (vt eos vocauit Pindarus) quique ad Phrygiam tibiam inſaniebant, & verò apud ſaniores è Gentilibus in inſanorum numero habiti fuêre: de quo fidem facit vel Satyra Varronis, *Eumenidibus*, de quibus eſt & *lex* 1. §. 9 *ff de ædilit. edicto*. Ipſi quippe repente numine, vt Gentilitas credidit, impleti, & aliis terrorem timoremque *contagionis*, συμπάθειαν πάθους incutiebant. Perſius, *Satyra* I.

Hinc

Hinc grandes Galli, & cum ſiſtro luſca Sacerdos
INCVSSERE *Deos inflantes corpora, ſi non*
Prædictum ter mane guſtaueris alli.

Vbi & vetus Scholiaſtes interpretatur *terrentes homines, & malum futurum denunciantes,* &c. Denique vt Galli iſti Sacerdotes adſpectu ipſo deprehendebantur, ſuffocationis cuiuſdam ſpecie laborantes tumidique, ita & timorem tumoremque aliis incutiebant, morbos immittebant, de quo, ne prolixior ſim, videndi viri docti *ad Perſium.* De his itaque quoque caſibus maioribus nouiſque contingentibus ſeu morbis teſtes opprimentibus, vnde pariter timor contagionis oboriebatur, ſenſiſſe potuit Diocletianus hâc l. noſtrâ, Gentilis ipſe: inanium etſi cœteroquin ſuperſtitionum oſor: quod etiam arguit conſtitutio ipſius, quam è Codice Gregoriano refert Patiator Legum Moſaicarum, *tit. de mathematicis & maleficis* (cum qua conſtitutione componi, committi velim, quod de Diocletiano Sex. Aurelius Victor ſcribit *Veterrimas religiones caſtiſſimè ab eo curatas*) & *lex* 2. *C. de maleficis.* Multi denique morbi ſunt contagioſi, propter abditas rerum cauſas, ſolo etiam ſæpe timore contagionem trahente: Certè quàm pernicioſi, quàm irreuocabiles ſint hâc parte metus, quidnam, inquam, & quantum *timor contagionis,* ſæpe etiam lymphaticus, in huiuſmodi caſibus maioribus ac nouis contingentibus, morbiſque efficere ſoleat, Medicorum filij facilè agnoſcunt, vtpote timore animum mentemque excutiente, externante: vnde (quod Seneca diceret) *pericula trahuntur:* nam cuiuſq; mens metu ſemel excuſſa, ſibi facilè excidit, & vehementius turbata συμπάθειαν πάθους contrahit, vel in morbum & demẽtiam transfertur. Addam ex eodem Senecâ, 1. *Natural.* 29. (quando de lymphaticis, & vaticinatoribus & ipſis quoq; contagioſis dicere cœpi) *Inde inter bella errauêre lymphatici, nec vſquam plura exempla vaticinantium inuenias, quàm vbi formido mentes religione mixta percuſſit.* Poſtremùm & faſcini ſpeciẽ Medici agnoſcunt, quæ à metu ſolo dependet, mala ſibi timendo atque imaginando ab aliquâ perſonâ, vel etiam intuendo, de quo Cardanus *l. de venenis c.* 17.

Ex his igitur tandem apparet, hâc l. de *huiuſmodi* potiſſimum

morborum contagioſorum genere agi,qui animum ſeu mentem prius excutiunt & externant.Et verò de tali etiam (quod octauo loco hâc l.indicatur,& huiuſmodi morbis repentinis ſeu caſibus maioribus & nouis apprimè conuenit) quo in inſtanti oppreſſus aliquis, atque ideo ab aliis ad tempus diſiunctus diſſociatus, vel remediis mali abſolutoriis (vt loquitur Plinius *lib.*28.*c.*6.)quibus confeſtim morbo oppreſſus recreatur (vt idem ait *lib.*30. *c.*10.) vel interpoſito (exiguo ſcil.) tempore (quod diſertè ſcribit Celſus *lib.*3.*c.*23, de maiore ſeu comitiali morbo agens) ad ſe mox redire ſeu reuerti, ſibique reddi, & ſic in cœtum hominum rurſum redire poteſt. Quod quidem validiſſimum ipſe, præter alia, argumentum habeo,non agi hac l.de peſte,quâ vtique contactus eo die ipſo vel hora nunquam reſtituitur, cùm contrà in ſpecie huius l. pariter vt in *d. l. cum antiquitas*, morbus ὀλιγοχρόνιος prorſus indicetur: ex quo interpoſito breuiſſimi temporis interuallo, eadem forte etiam horâ, morbo oppreſſus ad ſe redire, & in cœtum rurſum conuenire poteſt. Quod his verbis indicatur, *Teſtes enim huiuſmodi morbo oppreſſos* EO TEMPORE *iungi atque ſo iri remiſſum eſt*; quaſi diceret à contrario, *poſt id tempus* & ex interuallo ſeu interpoſito tempore,morbo oppreſſo ad ſe redeunte,teſtes iterum iungi & ſociari,& vt mox loquitur CONVENIRE rurſum poſſe,& ſic actum intercíſum, interruptum repetere integrare.Quod certe Comitiali morbo conuenit,vbi ei qui per *comitialem morbum affligatur,paulatim viſus ſenſusq́ redituros* (quod Tacitus dixit 13.*Annal.*16.) ſpes eſt.

Et ſic oſtendimus iam octo,ſiue argumentis,ſiue parallelis,in huius ſpecie de Comitiali morbo & ſimilibus agi. Retrò, ex ſuperioribus conſtat,non eſſe hanc l.accipiendá,de quouis morbo atrociore, quem abhorrere abominari μυσάττεσθαι ſolent homines,quod quidam effusè nimis tradidere, cùm multi huiuſmodi morbi ſint, qui timorem contagionis non iniiciunt: verum ſpecialius & ſignatè, de eo morbi genere quem *in ſe* præſentes alij horrere ſeu timere,ne contagione quadam & ipſi eo contingantur, ſolent.

VII. Hactenus de ſpecie ſeu caſu huiuſce l.ſubiectaque adeò eius.

eius materia: Nunc (quæ Diatribæ huius pars altera eſt) de *Deciſione* eius, ſeu Reſcripto ipſo Imperatoris Diocletiani, & quidnam hoc caſu, quem ſuperius firmauimus, de iure laxatum, ſeu de teſtamentorum ſolemnitate ſeu obſeruatione remiſſum is voluerit, quid verò non.

In genere igitur initio dicitur, *Caſus maioris ac noui contingentis ratione, aduerſus timorem contagionis, quæ teſtes deterret, licet aliquid de iure laxatum ſit, non tamen prorſus reliquam teſtamentorum ſolemnitatem peremptam eſſe:* hoc ſenſu: Æquum equidem eſſe, vti hoc caſu *de iure*, id eſt de iuris rigore, & ſolemnitate teſtamentorum nonnihilum relaxetur: Idque *aduerſus timorem contagionis*, id eſt pro remedio abſolutorio aduerſus timorem contagionis, ſiue conceptum, ſiue depellendum, auerruncandum, quomodo & vulgo dicitur, hoc vel illud remedium *aduerſus* ſeu *contra* hũc vel illum morbum facere, vel non facere, veluti *aduerſus peſtilentiam*, apud Senecam 3. *de ira c.*8 & *aduerſus Comitiales morbos*, Plinius *lib.*32. *c.*4. qui & aliàs ſæpè meminit remediorum *contra Comitiales morbos*. Sic & *conſtans quis aduerſus metus* dicitur Tacito *hiſtor.*4. *c.*5. Denique *aduerſus timorem contagionis*. i. vt ab eà teſtes immunes & incolumes ſeruari poſſint. Et ſic his verbis ratio ſimul & finis huius temperamenti redditur. Hactenus ſcilicet de rigore iuris, deque obſeruatione & ſolemnitate teſtamentorum remittendũ aliquid venit, vti teſtes à metu mali liberari, eorumque ſalus in tuto locari interim poſſit, at non & reliqua quæ nihilominus rectè citra metum mali & contagionis, vel eo ceſſante, iam expediri poſſunt. Hæc in genere Diocletianus: In ſpecie verò iam & expreſſius id ita idem explicat & expandit. *Teſtes* ſcilicet *huiuſmodi morbo oppreſſos eo tempore iungi atque ſociari remiſſum eſſe, non etiam conueniendi numeri eorum obſeruationem ſublatam:* hoc ſenſu: *ſuſpendi* equidem, interiungi, diffindi, interponi actum ſeu contextum teſtamenti poſſe *eo tempore*, quo & quandiu vnus fortè pluréſve è teſtibus huiuſmodi morbo oppreſſi tenentur, ſeu teſtes interim diſiungẽdos diſſociandos citra vllum præiudicium: ſedenim *poſt id tempus*, repetito teſtandi actu, cõuenire rurſum teſtes in vnum, & legitimo quidem numero, debere. Quod quidem

Bartolus, Iaſon, Paulus de Caſtro, aliique nonnulli hoc breui ſummario ita incluſêre, *Propter neceſſitatem ſuſpendi diſpoſitionem iuris ad tempus. ſed non tolli in totum.*

De vtroque diſtinctè, & de priore quidem illo prius: Quò vt perueniatur, operæpretium puto, hoc loco paulò prolixius & accuratius de eo agere quod vulgo iactatur, *Vno contextu teſtamentum fieri oportere*: quando etiam nonnulla haud adeò vulgata ſuper eo adhuc monenda ſuperſunt. Igitur certum eſt, fuiſſe hanc olim Iuris Ciuilis, quod Iuriſconſultorum authoritas inuexerat, regulam, quam & ideò Sabinus libris ſuis de *Iure Ciuili* indiderat, quamque Vlpianus ad eum ſcribens libro 2. commemorat, ſimul & explicat, in *l. hæredes palam* 21. § *vlt. ff. qui teſtam facere poſſunt*, Teſtatorem *Vno contextu actus teſtari oportere*, vbi & rectè habet Archetypum Florentinum *actus*, non verò vt alij, *actionis*: nempe enim *Actuum* vocabulo vſi ſunt potius Iuriſconſulti in deſignandis ſolemnibus quibuſque & legitimis hominum actibus ſeu negotiis: v. ſaltem *l. actus legitimi* 77. *ff. de regulis Iuris. Vno* verò *contextu*, id eſt vno tenore, continuâ ſerie, & proceſſu, vno ſpiritu, vno ſudore, ſine interruptione, ſine intercapedine (quomodo & aliis plurimis rebus & negotiis, vel in libris noſtris *contextus* vox adplicatur, ad indicandam ſeriem & tenorem rei, veluti *contextus teſtamenti, rationum, ædificiorum*) ſic vt nihil ſit, quod telam exorſam abrumpat, imò contrà cœpta ſemel ea contexatur, detexatur, pertexatúrque. Theophilus Harmenopulus & Attaliates Græci dixêre, *μιᾷ ὁρμῇ ϗ συναπτῶς*. Et verò Vlpianus *d. loco* id ita explicat, vno contextu teſtari, eſſe nullum actum alienum teſtamento intermiſcere: vel vt Theodoſius Iun. id effert Nouellâ 9. *de teſtamentis*, ſeu *l. hac conſultiſſimâ* 21. *C. de teſtamentis* (quæ exinde deſumpta eſt) nullo actu (Tribonianus addidit, *extraneo*) interueniente: pariter vt Iuſtinianus *d. l. cùm antiquitas* 28. *Cod. eod. tit. nullo actu interueniente*, item, *nullis ſuperfluis interuenientibus.* Actus alienus, extraneus, ſuperfluus eſt, qui (intermedius & interiectus, intercalaris, impertinens, vt loquuntur noſtri, embolimæus) ad teſtamentum nullo modo pertinet, vt idem Vlpianus *ibidem* explicat: cùm poſt ſuperiora illa quæ iam commemorauimus

uimus verba, ſtatim ſubjicit: *Quòd ſi aliquid pertinens ad teſtamentum faciat, teſtamentum non vitiatur.* Quibus etiam verbis id indicat Vlpianus, etſi teſtatio ſeu conteſtatio teſtatoris, & ſic ſeries contextus tenorque, teſtandi actu aliquo quiad teſtamentum, aliquomodo pertineat, interruptus ſit, dummodò is non extraneus & impertinens ſit, teſtamentum nihilominus valere. Nos exemplum aliquod apponamus. Finge, teſtatorem, rogatis iam & aduocatis ad ſe ſignatoribus, vel teſtibus, & familiæ iam mancipatione factâ, inter mancipationem & nũcupationem teſtamenti (quæ propriè vt *nuncupatio*, ita & *teſtatio* dicebatur, teſte Vlpiano, *in fragmentis tit. de teſtamentis* ſeu *teſtari* propriè; eſt enim teſtari, volũtatem ſuam coram teſtibus expromere, atq; inde etiam *teſtamentum* dictum, eiuſque definitio, quòd ſit mentis noſtræ iuſta conteſtatio, vt Vlpianus definit *in iiſdem fragme*, ſuprema conteſtatio *l. 20. ff qui teſtam. fac. poſſ.*) tum demum inquam teſtatorem tabulas teſtamenti pertudiſſe, perforaſſe, linumque per foramina traieciſſe, & ſic tandem obſignari curaſſe, ex Senatuſconſulto Neronianis temporibus facto: de quo Suetonius, *Nerone c. 17.* & Paulus, *lib. 5. ſentent. 25. §. 8.?* Sanè, hi actus etſi contextum teſtandi interrumpant, vtpote cùm non ilicò, non contextim, familiæ mancipationem nuncupatio ſeu teſtatio ſequatur, attamen quia actus illi pertinent ad teſtamentum, non vitiant teſtamentum: Non magis quàm ceræ calefactio, quod exemplum ponebat Accurſius *ad eam l.* vel lintei etiam aptatio teſtamento inuoluẽdo, vt *Baldus*, vel, vt alij, ſi in memoriali fortè ſchedâ, quam antea teſtator ſibi fecerat & præparauerat ſed diiectâ, quærenda adlaboret. Atque hic iam ſenſus eſt loci illius. Quare apage mihi ſis eos, qui in eam ſeſe quæſtionem ibi diffundunt, *Vtrum Contractus, venditio, donatio, pignus, adſignatio, in* TESTAMENTO *fieri poſſint:* Quæ quidem quæſtio ab hoc tractatu aliena prorſus eſt, quandoquidem de iis actibus hic agitur qui INTER teſtandum medij & intergerini quodammodo interiunguntur, non verò de iis qui ipsâ teſtamenti ſcripturâ continẽtur. Et iocularis inſuper quæſtio hæc eſt, quando pignus, venditio, donatio, adſignatio, id genus alia, teſtamento inſerta non ex con-

uentione ſeu contractu vim adſumant, verùm à mera voluntate teſtatoris promanent & dependeant. *Ratio* porrò Regulæ iſtius, cur videl. *vno contextu* teſtatorem teſtari oporteat, gemina reddi ſolet. Prior equidem, quòd digreſſio ad alia videatur ab eo propoſito quod in teſtamento exigitur, auocare, arguereque minus conſtans propoſitum. Altera, quod digreſſio hæc ad alia, id inſuper efficiat, vt aliquid præter mentem teſtatoris incogitantiâ facile recipiatur. Nempe enim teſtandi actus, tantam attentionem mereri viſus eſt, tam intentam meditationem, vti teſtator iuberetur HOC AGERE: haud aliter, atque in ſacris olim *προσέχειν τοῖς ἱεροῖς, καὶ μηδὲν ἔργον ἐμβαλεῖν μεταξὺ μηδὲ χρείαν ἀσχολίας.* Quâ cauſa & actus teſtandi *cauſa ſubtiliſsima* vocatur à Iuſtiniano, *d.l. cùm antiquitas* 28. i. non inſtabili animo, non inconſtanti pectore, non deſultoriâ leuitate, non perfunctoriè aut oſcitanter *καὶ ἐκ παρέργου*, non tralatitiâ ſollicitudine peragenda, verùm vt animo penſo deliberatoque ita & diligētiſſimâ adcuratione, præcipuâ curâ, vt Valerius Maximus, *lib. 7. c. 7.* Atque hæ quidem rationes ſunt, quæ eò tandem redeunt, teſtatorem ſummâ attentione in hanc vnicam curam incumbente teſtari oportere. Neq; enim hic admitto Attaliatæ rationem *tit. 31. διὰ τὸ κακουργίας πάσης ἀπηλλάχθαι τὴν τῶν διαθηκῶν ποίησιν*: Hæc enim ratio alteri illi Regulæ rectè apponitur, quâ extra conſpectum teſtatoris teſtes operam dare ſignareq; vetantur, de quâ mox. Ad regulam ipſam nunc redeamus. Igitur, & vt adhibitâ etiam diſtinctione rem euoluam, & dubitationi quæ moueri alioquin poſſet occurram: ſi nuncupatiuum teſtamentum eſſet, teſtatio omnis vno cōtextu fieri debebat: ſi verò ſcriptum teſtamentum eſſet, ſcribi equidem id in anteceſſum longè ante ſecretò, imò frequenter ſcribi, frequenter retractari, frequenter emendari extra teſtium conſpectum potuit, verùm *teſtatio* ipſa coram teſtibus (quam poſtea ſubſcriptio ſequeretur) vno contextu fieri debebat: de quo eſt elegans Valentiani 3. Nouella, *de teſtamentis l. 2. §. neceſsitatem*, & Theodoſij Iun. Nouella 9. *de teſtam.* ſeu *lex hac conſultiſsima* 21. *verſ. in omnibus.* Denique teſtator qui ſemel teſtari coram teſtibus cœperat, idem & vno cōtextu *perteſtari* debuit: dixiſſe liceat

perteſtari

perteſtari, quomodo & olim *perrogari* populus in ſanciendis legibus, & *perrogari ſententiæ* dicebantur.

Ex his iam apparet, hanc Regulam propriè ipſiuſmet teſtatoris actum & teſtationem reſpexiſſe, ſcilicet vt non poſſet is modò huic actui, modò alij incumbere, & ſic ad alia digredi, verum ſciret is, ſi teſtari ſeu teſtamentum condere ſemel occepiſſet, id etiam, indeſinéter ἀδιαλείπτως pertexeret, vno tenore, vno ſpiritu, vno contextu. Cohiberi ſcil. ita & quodammodo *defigi* in id teſtatoris animum hoc carmine oportuit, inter tot alioquin ſæpiſſimè morbos, varióſque actus fluctuantis, in re maximè quæ ſollicitam vix vnquam ſatis curam adſequi poteſt.

Atenim peculiaris, iam, & ſeparata ab hâc, Regula fuit, de Teſtibus, *vt adhibiti illi durarent donec ſuprema conteſtatio perageretur.* Quæ & ipſa Sabini Regula fuit, & anterius quidem relata ab Vlpiano lib. 1. ad Sabinum, in *l. 20. in fi. ff. qui teſtam. fac. poſſ.* Eâ verò teſtes monebantur, vti ad teſtatorem & ad teſtificandum acceſſuri noſſent, ita ad teſtis officium accedendum ſibi eſſe, vt & diligentiſſimè ad omnia ſingulaque animum aduerterent, & ad ſupremam ideò vſque conteſtationem ibidem perdurarent. Diuerſa inquam hæc Regula à ſuperiore fuit: Hæc quippe teſtes reſpiciebat, illa teſtatorem. Et certè Vlpianus diſertis verbis *in d. l. 21. in fi.* oſtendit, regulam illam priorem *de teſtando vno contextu*, ad teſtatorem propriè pertinere: nam & eam ita concepit (oratione ad teſtatorem directa) *vno actu contextus* TESTARI *oportet.* Et poſt eam propoſitam ſtatim ſubiicit. *Quod ſi aliquid pertinens ad teſtamentum* FACIAT (teſtator ſcil.) *teſtamentum non vitiatur.* Id verò tertio etiam loco comprobat diuerſitas argumentorum libri primi Vlpianei ad Sabinum, vnde deſumpta eſt hæc poſterior regula de teſtibus; & ſecundi, vnde excerpta eſt prior illa de teſtatore ſeu de vno teſtandi contextu. Enimuerò liber ille primus occupatus fuit in viſionibus præparatoriis teſtamentorum de *Perſonis* videl. qui inquam teſtari poſſent, qui teſtes adhiberi, quidue præterea in teſtibus requireretur, vt videre eſt vel ex *l. 18. & d. l. 20. ff. qui teſtamenta fac. poſſ.* (quæ ex eo libro 1. ad Sabinum decerptæ ſunt) Atenim liber iam ſecundus Vlpiani ad

Sabinum occupatus fuit circa *Teſtationem* ipſam ſeu ordinationem teſtamenti, eiuſque formam, vno verbo circa ea quæ ad Teſtatoris partes pertinent. Quam in rem quatuor Regulę à Sabino inter alias eo libro propoſitæ fuerunt, quas omnes Vlpianus eâ *l.*21. enarrare inſtituit. Nempe 1. In nuncupatiuo teſtamento hæredes *palàm* ita vt exaudiri poſſint, à teſtatore nuncupandos, *d.l.*21.*in pr.* 2. *Poſt ſolemnia*, ſeu poſt teſtamentum *ſemel* factùm, nihil poſteà mutandum eſſe, ſed ſi quid mutari placeat, omnia ex integro facienda eſſe, *d.l.*21. §.1. (quò pertinet *& lex* 2.*ff. de iniuſto rupto, irrito teſt.* quæ ex eodem Vlpiani libro 2. ad Sabinum deſumpta eſt) 3. *Rogatos* à teſtatore teſtes nominatim eius rei causâ ad teſtimonium teſtamento perhibendum oportere, non alterius verò rei causâ, & ſufficere tamen (quod Vlpianus addit) ad hoc, vt vel *in inſtanti* & eo ipſo loco ante teſtationem rogati ſint, & certiorati, ad teſtamentum ſeſe adhibitos, *d.l.*21.§.2. 4. Vno deniquè contextu actus teſtari teſtatorem oportere, *d.l.*21.§.3.*ſeu vlt.* Et verò tandem, quod quartum, & vox ipſa *contextus* ni fallor, ad teſtatorem omnino pertinet, is enim eſt, qui teſtationem ſuam texit, contexit, pertexit, teſtes verò hactenus ſui copiam & præſentiam teſtatori faciunt, operam nauant, officiumque præſtant.

Et hæc quidem ita inter ſe diſtinctè accipienda ſunt, duæque adeo Regulæ illæ, quæ vulgò perperam commiſcentur, à ſe inuicem ſeparandæ veniunt. Etſi verùm intereà illud ſit, ad eum quoque finem, vt teſtator vno contextu teſtari poſſit, id etiam requiri, vt omnes teſtes vno eodemq; tempore adhibeantur, & ſimùl omnes eodem loco ad finem vſque iuncti ſociati, & ad ſupremá vſque conteſtationem perdurent. Quomodo cautè Iuſtinianus loquitur §. *ſed & cùm paulatim Inſt. de teſtam. ordin. Vt vno eodemq; tempore, quod Ius Ciuile exigebat quodammodo ſeptem teſtibus adhibitis &c. ita vt teſtes quidem & eorum præſentia, contextu vno teſtamenti celebrandi* GRATIA *à iure ciuili deſcendat.* Et ſic poſterior hęc Regula hoc ſenſu iam priori illi quodammodo ſubordinata eſt: Cuius vtriuſque tamen vim in vnicam hanc lineam & generaliorem hanc Regulam conjicere licet, *vno contextu ſeu continuo*

actu teſtamentum fieri oportere: nullo actu extraneo interueniente, nulla intercapedine, nulla ſeceſſione facta. Actus ſcilicet teſtamenti in eo actuum cenſu eſt, qui indiuidui & continui ſunt, qui συςάδην fieri debent, ἐκ τῆς ἀπος άσεως: cuiuſmodi eſt quoque ſtipulatio *l.1. §.2. l. continuus 137. ff. de verborum obligat.* & duorum reorum conſtitutio, *l.6.12. ff. de duobus reis*, cùm alij contra actus quidam ſint, qui intermedios actus & embolimæos non reſpuant, verum intermiſſo tempore & per interualla, vel ex interuallo peragi, pertexi poſſint, veluti *Emancipatio* liberorũ, vbi ſingulæ olim emancipationes vel iiſdem vel aliis teſtibus fieri poterant, vel eodem die, vel intermiſſo tempore, teſte Paulo *lib.2 Sentent. 26. §.2.* vt proinde error manifeſtarius ſit eorum qui ad Regulam illam & hanc quoque præter ſuperiores rationem adiugant. *Vno contextu teſtamentum fieri debere*, quòd ſcil. teſtamenti ordinatio, legitimus actus ſit: cùm videamus, dari actus legitimos quoſdam qui temporis diuiſionem recipiebant. Verùm ad Regulam noſtram nunc redeamus. Ex eâ certe ſequebatur olim, vt ſi quâ re interruptus-interciſus fuiſſet teſtamenti actus, teſtatore actũ alienum intermiſcente, teſtamentum vitiaretur, *d.l.21. in fi. ff. qui teſtam. fac. poſſ.* omniaque proinde ex integro facienda eſſent, pariter vt in ſp. *d.l.21. §.2.* pariter vt teſtibus ad finem non perdurantibus ſeue inuicem diſſociantibus *d.l.20. in fin. ff. eod.* quia vt Doctores loquuntur, teſtes in principio medio & fine præſentes eſſe oportet: Nos dicamus, teſtes *iunctos ſociatos à principio ad finem partibus ſuis fungi oportere.* Fuit hæc inquam olim iuris Ciuilis Regula, quod etiam hac l. indicatur his verbis, DE IVRE *laxatum eſt.* Quod quidem etiam ita præfractè obſeruatum (maximè quamdiu teſtamentum iure ciuili mancipationibus ſcil. factis ordinari mos fuit) vt ne neceſſarium quidem actum promiſcuè nõnulli exciperent, qui integrando mox mox teſtandi actui nequicquã obeſſet: vel ſaltem (quod Iuſtinianus ait *d.l. cùm antiquitas 28. C. de teſtamentis*) huiuſmodi verborum *nullo actu interueniente* compoſitio non ritè interpretata penè in perniciem & teſtantium & teſtamentorum procederet. Quicquid tamen hâc parte Iuſtinianus dicat, certè hæc ipſa Diocletiani conſtitutio huic rei

temperamentum aliquod addit: Imò iam antea additum commonſtrat, his verbis, *Laxatum eſt*, & mox *remiſſum eſt*, quod & iam antea oſtendimus. Quod tamen omne clarius manifeſtius à ſe digeſtum-tractatú Iuſtinianus pro more ſuo in nomen ſuum deriuatum iuit. Et certè, cùm in ſtipulationibus quoquę, quarum actus continuus pariter eſſe debebat, ſimile quoddam temperamentum receptum olim videamus, puta, vt modicum interuallum ſtipulationem non vitiaret, *l.* 1 §. 2. *ff. de verb. oblig.* ſed momentum aliquod interuenire poſſet, *l.* 137. *ff. eod. tit.* & vt dicitur *l.* 6. §. 2. *ff. de duobus reis*, modicum temporis interuallum, ſeu modicus actus, qui modò contrarius non eſſet, nihil impediret, vbi ſcilicet neque longum ſpatium interponitur, neque is actus qui extraneus ſit obligationi; Quidni & ſimile quoddam temperamentum, & in teſtamento ordinando admiſſum fuerit? (etſi difficilius forte id nonnulli in teſtamento admiſerint, propter *cauſam eius ſubtiliſſimam)* Puta, ſi neceſſarius & ineuitabilis caſus aliquis teſtamenti contextum interturbaſſet. Quod vtique niſi admiſſum fuiſſet (vt rectè Iuſtinianus ait) in perniciem teſtatorum & teſtamentorum hoc ius proceſſiſſet. Qui & ideò rectè *naturæ mederi* ſeſe ait, huiuſmodi cauſis neceſſariis admiſſis. Ergo, & hâc quoque lege Diocletianus id temperamentum admittit, vel potius admiſſum iam olim profitetur, puta vt ob caſum maiorem ac nouum contingentem inter teſtandum vni fortè vel etiam vni atque alteri de teſtibus, ſeu morbo oppreſſo teſte vno vel altero, teſtibus aliis interim & ad tempus permittatur ob timorem contagionis, eíque depellendo, pauliſper ſecedere, & à ſe inuicem diſiungi diſſociari. Quæ genuina huiuſce legis hac parte ſententia eſt. Nempe enim quod dicitur, Eo TEMPORE *teſtes huiuſmodi morbo oppreſſos iungi atque ſociari remiſſum eſſe*, idem valet quod per id tempus, & quandiu morbus huiuſmodi durat teſtibus à ſe inuicem diſiungi diſſociari permiſſum eſſe, vt rectè Accurſius EO TEMPORE, i. eo temporis ſpatio & momento, quo morbus ille momentaneus ὀλιγοχρόνιος durat. Sic & Paulus, *in ſententiis lib.* 3. *tit.* 4. & *in l.* 17. *ff qui teſtam. fac. poſſ. In aduersâ corporis valetudine mente captus* Eo TEMPORE *teſta-*

teſtamentum facere non poteſt, id indicans apertè, poſt tempus illud, & ceſſ... iam morbo teſtari eundem poſſe. Sic contra Vlpianus, libro 1. ad Sabinum in *d. l. 20. §. 4. ff. qui teſtam. fac. poſſ. furioſus ſi habeat intermiſſionem* EO TEMPORE *teſtis adhiberi poteſt:* apertè indicans, poſt tempus illud & redeunte furore eundem teſtem eſſe non poſſe. IVNGI verò & SOCIARI, id eſt iugiter ſibi inuicem adhærere, προσκολλᾶσθαι: quod quidem hoc caſu & eo tempore teſtibus remittitur, & ſic eo tempore diſiungi diſſociari iis permittitur: cùm aliàs teſtes ſemel vocati, rogati, acciti, iunctique & ſociati ſemel deinceps, porrò ſemper inter ſe iuncti-ſociati manere, iugiterque ſibi adhęrere de iure deberent *l. 12. 21. 26. C. de teſtamentis*, § *ſed cùm paulatim Inſt. eod. tit.* de quâ Regula poſtea plura, vt de ratione huius temperamenti, ſeu exceptionis, quæ tamen vt antea dixi paritate rationis ad teſtatoris caſum ſeu morbum porrigi debet, vt rectè Iaſon & Paulus de Caſtro, contra quam Fulgoſius.

VIII. Firmatâ ſuperior genuinâ prioris partis Deciſionis quæ hâc l. continetur ſententiâ, profligandæ nunc veniunt duæ prauæ eiuſdem Interpretationes, quæ ab aliis afferuntur, à me ſuperius iam indicatæ.

Prior eſt illa, quam & Græci & Cuiacius alicubi aliique nonnulli affingunt, quaſi id caueatur, vt in ſp. huius l. teſtes extra conſpectum teſtatoris ſignare poſſint, κεχωρισμένως ἐξ αὐτοῦ. Id quod & verbis Legis, quæ ſuperius iam expendimus, nullo modo congruit, & certiſſimis inſuper Iuris principiis aduerſatur.

Quod *Verba* attinet, non ſunt ea profectò de *Loco*, vbi teſtes teſtatori operam dare ſignaréque poſſunt, imò ſunt ea de Loco, quò teſtes alij EO TEMPORE, quo quidam ex his morbo opprimũtur ſeiungi diſſociari interim poſſunt & ſic ſecedere, mox tamen rurſum cõuenire debent. Et ſic verba illa, momentaneam tantùm ſeiunctionem, ſeceſſionem, diſſociationem, mox tamen integrandam actum adſignificant: quæ ſi id adſignificare haberent, teſtes extra conſpectum teſtatoris ſignare poſſe hoc caſu, longè aliter profectò concepta ea fuiſſent, relatis videl. ad teſtatorem verbis, non ad teſtes ipſos, qui tantùm momento à ſe in-

uicem *diſiungi diſſociari* poſſe verbis illis clarè indicantur, vt ſuperiùs oſtenſum eſt. Quod verò iuris principia attinet, perpetua hæc omnino iuris ciuilis regula fuit, quam & ſex Iuris conſtitutiones inculcant, (puta eiuſdem Diocletiani proxima *lex 9. inf. hoc ipſo tit.* quæ hoc ipſo etiam anno data eſt: Arcadij *lex 3. C.Th. eod.tit.* cuius pars eſt *lex 17. C.Iuſt. eod.tit.* Valentiniani 3. Placidiæ filij *Nouella de teſtamentis:* Iuſtini lex *hac conſultiſſima* 8. *C.qui teſtam. fac.poſſ.* Iuſtiniani *d. l. cùm antiquitas* 28. *eod.tit. Cod. de Teſtamentis*) Nempe, Teſtes teſtatorem videre, ſeu in conſpectu teſtatoris officio fungi oportere, alioquin nullo iure teſtamentum valere, *d.l.9:* vel, vt dicitur *d.l.12.* ſi coràm teſtatore eodem loco omnes teſtes non ſignauerint, iure deficere teſtamentum: Quæ ſanè peremptoria verba ſunt, quæque adeò nullam exceptionem admittunt. Neque vllibi toto iure vlla eius Regulæ exceptio proponitur, vel etiam proponi poteſt, quãdoquidem (vt de ratione eius nunc videamus) id ita præcisè conſtitutum, ſeu ſimultanea hæc omnium teſtium præſentia conſpectúq; teſtatoris requiſita fuêre, vt falſitas videretur. *d. l. hac conſultiſſima in fi. C.qui teſtam.fac.poſſ.* neue ſuppoſitioni locus fieret: cuius copia ſimultaneâ, hâc tum teſtatoris, tum teſtium omnium præſentiâ commodiſſimè præciditur; contrà ſuppoſitionibus faciſimè locus fieret, aliuſue quis, vel aliud quid ſupponi nullo negotio poſſet ſi è conſpectu teſtatoris *κεχωρισμένως δὲ αὐτοῦ*, & ſic vt dicam *μονομερῶς* ſolemnia procederent. Cuius rei etiam exempla vide apud Cynum, & Albericum ad *d.l.9.C.h.t.* Clarum, 3. *ſentent. §.teſtamentum* 9.59. Ranchinum 2. *Variarum* 6. Mollerum, *ad conſtit. Elector. Saxoniæ 3. p.3.* Et ſic falſitas in elogiis nullo negotio committeretur, quæ vt exul fieret à Republicâ, enixè cauerunt ſemper Imperatores, cauit Iuſtinus Imp. inter alios, qui hæc ipſa verba vſurpat *d.l.29. C.de teſtamentis.* In contextu verò ſolo teſtandi, vel in teſtamento ad momentum aliquod tantum interiungendo, ſiſtendo, interponendo, nulla tãlis falſi materies eſt, quando iidem omnes mox repetito teſtandi actu ſeu contextu eadem omnia iam vident repetuntque: neque ea *κακουργίας* materies eſt, quidquid Attaliates ſcribat, quẽ ſuperius refutauimus.

Neque

Neque admittenda eſt corundem rurſus Græcorum,ſiue ſententia,ſiue exceptio, 35. *Synopſ. Baſil* 2.*c*.8. in hæc verba; *εἰ μὴ ἄρα προνόμιον ἰδικὸν ἐστιν ἐν ἐκείνῃ τῇ πόλει, ὥστε μὴ ἐπ' Ὄψει τοῦ διατιθεμένου τὰς σφραγῖδας ἐπιτίθεσθαι* vt & Latinorum,è quorum numero eſt Cynus, imò & Cuiacius ipſe, *recitat. ad Codicem & 14. obſeru.* 12. & poſt eum Marquardus Freherus Camicus meus olim ſummus) 2. *parerg*.3. aliique multi, qui proximâ poſt hanc l. noſtram *l. ſi non ſpeciali 9. Cod. de teſtamentis*, (quæ & Diocletianum eundem authorem habet) exceptionem quandam huius Regulæ contineri putant, quaſi viſæ fuerint olim Ciuitates nonnullæ per orbem Romanum ex priuilegio hoc iure, vt in condendo teſtamento neceſſe non haberent teſtes in conſpectum teſtatoris conuenire, ibique confectioni recitationi & ſubſignationi teſtamenti operam dare ſeu intereſſe,ſed ſatis fuerit in iis ciuitatibus ſubſcriptiones & ſignacula à teſtibus addi, vel cortina pannoue aut pariete interpoſito ſeu intergerino inter teſtatorem & teſtes,imò etiam,ſi Deo placet, teſtamento ad domum miſſo.Id enim omne vt iuri planè aduerſum eſt,nulloq; ſatis priuilegio ſuſtineri poſſit, quod contra *priuilegium* maximè foret, ita rationi quam modo dixi aduerſum,atque adeo teſtantium ipſorum vtilitati iniurium eſt, quod etiam Baldus *ad eam l. 9.* contra Cynum rectè notauit, vt & Salicetus,qui nec per Reſcriptum Principis id concedi poſſe bene quoque adſerit, vt videl.teſtamentum fieri poſſit, pariete forte intermedio inter teſtatorem & teſtes:etſi idem cum Gloſsâ id ſaltem concedi poſſe putat,vt poſtquam teſtes ſemel viderunt,& audiuerunt teſtatorem dicentem *hoc eſſe teſtamentum ſuum*,ſubſcriptiones & ſignacula ſua extra conſpectum teſtatoris apponât ex priuilegio: idq; ita Oldradum tenuiſſe. Quidquid huius ſit, quod poſtremo loco notaui,cui ego litem nunc non facio,certe id eâ *l.9.* non dicitur, quod authores illi volunt,verum duo inter ſe diuerſa eâ l.diſtincte notantur,& ab inuicem ſeparantur. Prius eſt,de *Iuris obſeruatione*:hanc equidem ſpeciali priuilegio alicubi relaxari poſſe ait: alterum verò,& ſeparatum iam à ſuperiore illo,de *Teſte in conſpectu teſtatoris* teſtimonij officio non fungente,quod niſi fiat abſo-

lutè & indiſtinctè teſtamentum nullo iure valere definitur. En verba legis illius 9. *Si non ſpeciali priuilegio patriæ tuæ Iuris obſeruatio relaxata eſt, & teſtes non in conſpectu teſtatoris teſtimoniorum officio functi ſunt, nullo iure teſtamentum valet.* Ecce in ſpecie huius l. duo defectus diuerſi notantur, prior quidem *Iuris obſeruantia*, alter verò Teſtium extra conſpectum teſtatoris operá ei dantium: quorum prius illud equidem priuilegio ſeu vſu & conſuetudine ſingulari Ciuitatis relaxari poſſe definitur, ſeu præſupponitur: de iſto verò nihil. Nempe (vt id euoluam nũc & explicem) prius illud eſt de ſolemnibus ſeu Iuris ſolemnitate in teſtamentis obſeruandâ: *Iuris* ſcil. *obſeruantia* vel *obſeruatio*, vt *d.l.9.* ita & aliis locis pluribus, putá *l.19.§.1.ff. de caſtrenſi peculio, l.1.ff. de teſtam. tut. l. eunuchis C. qui teſtam. fac. poſſ l.35.ff. de inoff. teſtam. l.9 Cod. Th. de donat. l.14. C. de teſtamentis* (quę eiuſdem Diocletiani eſt) ſolemnitas ordinationis, vt vocatur §. *vltim. Inſt. de codicillis*, eſt ea quam teſtator obſeruare debet: Quo in cenſu eſt & ſolemnis ſeptem teſtium numerus. De hâc igitur iuris obſeruatione ſenſit *eâ l.9.* Diocletianus, poſſe ſcil. de eâ aliquid ſpeciali priuilegio patriæ ſeu ciuitatis relaxari: quia ſcil. v.g. numerus hic ſeptem teſtium non eſt de forma ſubſtantiali teſtamenti, atque adeo & conſuetudine, quæ legis vicem habet, minui poteſt, vt in ſp. quoq; *l. vlt. C. eod. tit. de teſtamentis*, & lege ſeu priuilegio, vt in ſp. *l. Diuus ff. de teſtam. militis, l. milites C. eod. tit.* Atenim vt teſtes in conſpectum teſtatoris veniant, & coràm eo officio ſeu partibus fungantur, id iam ad eſſentiam & ſubſtantiam teſtamenti præcisè omnino pertinet, eamque ita afficit, vt ſine eo ne teſtamentum quidem dici poſſit: Et, vt cum Diocletiano fermè loquar, in *l.12. C. eod. tit. de teſtam. ad* FIDEI *rationem id pertinet*, quæ ſi pereat, vtique teſtamentum nec teſtamentum fuerit: Eâ ratione quam ſuprà ediſſeruimus. At de priori remitti quid citra fidei periculum poteſt, & ſpeciali quidem ciuitatis priuilegio, vt cœteroquin ſua variaq; ciuitatum, Rerumpublicarum, municipiorum, per orbem Romanum priuilegia fuêre: ſiue ab antiquo deriuata, quæ iiſdem conſtitêre ſub Romanis rerum dominis, qui eos ſuis legibus vti permisêre, ſiue ab Imperatoribus cõceſſa, in quibus vt loquuntur noſtri,

noſtri, dicatur, *non obſtante lege* &c. De quo iam etiam aliquid dixi *ad l. ἀξίωσις c.5.* & fidem inſuper faciunt inter alias leges cõplures (quas hic non cumulo) aliquot etiam Diocletiani ipſiuſmet noſtri conſtitutiones, puta *lex* 1. *C. de emancip. liber. lex* 1. *C. de bonis vacantibus* (vbi tamen priuilegia quædam huiuſmodi in eius l. ſpecie improbat velut fiſco damnoſa) *lex* 6. *Cod. de incolis* (quæ Marcellino cuidam, pariter, vt hæc noſtra, inſcribitur) & *lex* 4. *C. de iure Reipubl.* Ac nominatim circa numerum teſtium in teſtamentis adhibendorum; ſua quædam priuilegia ciuitates nonnullæ habuêre, quod ſanè *d. l.* 9. præſupponitur; ſic, vt iure Romano ſeu communi hâc in re obſtrictæ non eſſent: quem & alioquin teſtium numerum ſtatuto minui poſſe conſtat: pariter vt circa inteſtatorum ſucceſſiones vindicandas peculiaria nonnullæ ciuitates priuilegia ſibi vindicabant, teſte Plinio, *lib.* 10. *ep.* 88. & *d. l.* 1. *C. de bonis vacantibus*. At de poſteriore vti dixi relaxari quidquam nulla iuris aut priuilegij ratio patitur: neque id etiam, vt modò demonſtraui, *d. l.* 9. indicatur, imò contrà, & vt idem Diocletianus peremptoriis verbis ait, *d. l.* 12. *Cod. de teſtamentis, ſi non coram teſtatore omnes eodem loco teſtes ſignauerint*, IVRE DEFICIT *teſtamentum*.

Sic iam patet, non id hâc l. noſtrâ relaxari, vt ne in ſpecie eius teſtes in conſpectum teſtatoris venire neceſſe habeant; ſeu vt ſeparatim ab eo, κεχωρισμένως ἐξ αὐτοῦ ſignent & ſubſcribant, verùm iſtud, vt ob morbum ſeu caſum maiorem ac nouum vni vel alteri è teſtibus contingentem, contextus teſtamenti interiungi, interponi poſſit; atque adeo teſtes non continuè aut contextè ſibi inuicem omnes adhæreant, iuncti ſociati; verum EO TEMPORE morbi conſtantis citra fraudem diſiungi, diſſociari poſſint.

IX. Sequitur nunc altera è vulgatis Interpretatio eius quod hâc l. dicitur, *Teſtes huiuſmodi morbo oppreſſos eo tempore iungi atque ſociari remiſſum eſſe.* Id ſcilicet his verbis definiri nonnulli cenſent, eo caſu teſtes ſeparatim & ſucceſſiuè vnum poſt alterum, & ſic ſingulos ad teſtatorem intromitti, ſeu ad teſtificandum adhiberi partibuſq; adeò ſuis fungi & ſubſcribere ſignareq; poſſe.

Quæ erronea pariter interpretatio eſt:cui & verba ipſa Legis re-fragantur, & Iuris Ratio. Quod verba attinet. Primùm non ait lex,hoc caſu teſtibus id remiſſum eſſe,vt ne EODEM (quam vo-cem & hic ſubſtitutam iam vellent) tempore,& ſic diuiſim par-tibus ſuis fungantur apud teſtatorem:imo id definitur câl.id re-mitti eis hoc caſu,vt ipſi EO TEMPORE,quo teſtes aliqui mor-bo opprimuntur,ſeiungi diſſociari poſſint:hoc ſcilicet ſenſu,per id tempus,quo & quandiu teſtes illi morbo opprimũtur,teſtium partes officiumque ceſſare & interquieſcere, quandoquidem ex incuitabili neceſſitate diſiungi diſſociari neceſſe eos ſit:Atenim *poſt id tempus* (ceſſante videlicet mox morbo) in vnum rurſùm coire conuenire debere: Ergo EO TEMPORE, morbi ſcil.con-ſtantis, ad differentiam eius temporis quo iam morbus ceſſatu-rus eſt. Et certè, quod ſecundùm, id apertiſſimè indicatur, vulgata contrà interpretatio profligatur,voce CONVENIENDI: *Non etiam*, inquit, *conueniendi numeri eorum obſeruatio ſublata eſt.* Scilicet, vt maximè eo tempore ſeu ad tempus morbi durantis teſtes diſſocientur, & ſic actus ſeu contextus teſtandi diffinda-tur,attamen mox teſtes legitimo numero *conuenire*,i.in vnum ſi-mul omnes coire,conuenire,in cœtum colligi,iungi,ſociari,con-trahi oportere:& ſic teſtatori operam ſimul iunctos ſociatos da-re: *Conuenire* ſcilicet dicuntur,vt hâc *l.ita & l.26. C.eod.tit. de te-ſtamentis & l.4.ff.de teſtam.quemad.aper.& l.4.§.iudicio. ff. de publi-ciana actione,* qui aliàs pleniùs *in vnum conuenire l.7.§.vlt.ff. de pa-ctis* quomodo & *conuenire* dicuntur, qui in vnam ſententiam coëunt *l.1.§.1.ff.d t.de pactis.* Denique *conuenire* eſt colligi, coire, vt etiam Nonius Marcellus explicat;ſimùl proinde,non *κατὰ διέξ*, & vt rectè hic Albericus, *quod dicit conueniendi, dic ſimul.* Vnde ſimul apparet,errare plurimùm Ferrandum, & poſt eum V. CL. Fr. Hotomannum, alioſq; qui vocem *conueniendi* hic *ἀνωμάλως* prorſus ſollicitant,eiuſque loco ſubſtituunt *conuenientis*,vt & eos qui *conueniendi* numeri vocem pro inueniendi,i.qui inueniri po-teſt, accipiunt. Vtrumque peſſimè: *Conueniendus* enim teſtium numerus hic eſt,is quem de iure conuenire coire ſimul oportet, vt partibus ſuis fungi poſſit, teſtiſque officium explere: quod
vtique

vtique explere teſtes non poſſunt, niſi iuncti ſociatique. Quod quidem (vt ad Iuris Ciuilis diſpoſitionem nunc deſcendam) tot iuris textibus paſſim inculcatur. Et quidem Diocletianus idem noſter *l. ſi vnus* 12. *C. eod. tit. de teſtam. ſi vnus*, inquit, *de ſeptem teſtibus defuerit, vel coràm teſtatore* OMNES *eodem loco teſtes non ſignauerint, iure deficit teſtamentum.* Theodoſius Iun. *Nouella* 9. ſeu *l. hac conſultiſſima* 21. *eod. tit.* id quoque ſæpe inculcat. *Omnibus*, inquit, SIMVL *offerre ſignandam & ſubſcribendam.* Et mox: *Et teſtibus vno eodemque die & tempore ſubſcribentibus & ſignantibus. item ſufficiet vno eodemque die, nullo actu interueniente teſtes omnes videlicet* SIMVL *nec diuerſis temporibus ſubſcribere ſignareque teſtamentum.* In nuncupatiuo pariter teſtamento eadem Nouellâ 9. *ſeu d. l.* 21. dicitur, *ſeptem teſtes* SIMVL *vno eodemque tempore* COLLECTI, & mox, *ſub iiſdem teſtibus eo ipſo tempore*: vti & Interpres illius Nouellæ. *Dummodo vnâ die ſub præſentiâ teſtatoris* SIMVL *omnes rogati à teſtatore ſubſcribant.* Et mox *conuocatis*, inquit, SIMVL VNA HORA *ſeptem teſtibus.* Quomodo & Græci verbis inhærentes, puta Scholion Pſelli, ad Synopſin Attaliatæ *tit.* 32. *ἐν ὥρᾳ πάντες τῇ αὐτῇ*, & mox *κατ' αὐτὸ*; vt & in libris Leonis, *κατὰ ταυτόν*. Iuſtinianus etiam *l.* 26. *eod. tit. C. de teſtam. poſtquàm ſeptem teſtes* CONVENERINT, *ſatis ſit voluntatem teſtatoris vel teſtatricis* SIMVL *omnibus manifeſtari*, & §. *ſed cùm paulatim Inſt. de teſtam. ordin. vno eodemque tempore ſeptem teſtibus adhibitis*: & mox *teſtes quidem & eorum præſentia contextu vno teſtamenti celebrandi gratiâ.*

Et verò Ratio Iuris id nullo modo patitur, vt teſtes teſtamentarij vnquam diuidantur, ſeiungantur, diſſocientur, vbi ad teſtificandum ventum eſt. Numerus enim ideo teſtium certus ſtatuſque in teſtamento requiritur, quò omnibus in vnum conuenientibus, ſimùl & cominùs conſtitutis cohærentibus inter ſe ſociatiſque, eandemque rem tot oculis vſurpantibus tot teſtium præſentiâ illuſtrante, tot hominum conſcientiam tenente ex teſtamento fides liquidò adſtruatur, & teſtes inuicem ipſi mutuam ſibi fidem adſtruant: quos contra ſi diuidas, diuellas diſſocies, non poteſt non teſtamenti fides nutare, non poteſt non falſo fabricando *τῇ κακουργίᾳ* materies ampliſſima præberi ſeu feneſtra

aperiri, cui vti dixi, ſimultaneâ tot perſonarum præſentiâ, tot oculorum conſpectu, tot aurium fide, tot hominum conſcientiâ facilimè occurritur.

Vnica tantùm mihi conſtitutio occurrit, Valentiniani, vnquam, Tertij, *Nouellâ de teſtamentis Lege* 2. quæ Romæ data ſimul & propoſita dicitur: ex quâ teſtes diuerſis horis ſub obtutibus teſtatoris ſubſcribere poſſe definitur. *Teſtes autem*, inquit, *ſubſcriptiones ſuas, vno die, vel omnes Pariter* (i. SIMVL) *vel ſi legitimus numerus exiguam moram fecerit, horis præbere diuerſis ſub obtutibus teſtatoris iubemus.* An igitur in holographo tantum teſtamento id à Valentiniano conſtitutum fuerit, de quo initio Nouellæ illius agitur, vt cœteroquin variâ holographi teſtamenti *προνόμια* ſeu priuilegia fuêre? Minimè: nam imò in holographo teſtamento Valentinianus eâ Nouellâ nullos omnino teſtes neceſſarios eſſe voluit: quod & Papinianus, in *Reſponſa* ſua retulit *tit*. 45. & Riciſvvindus, *Viſigothicarum lib*.2.*tit*.5.*l*.16. Quid igitur? In omnibus promiſcuè teſtamentis id voluit Valentinianus, vt horis diuerſis teſtes ſubſcribere poſſent, qui & alia eâ Nouellâ conſtituit, *Latè viam ſupremis arbitrijs aperiens*, vt ipſemet *ibidem* loquitur. An verò id Valentinianus conſtituendum putauit eo caſu ſignatè, quo MORIBVNDVS aliquis teſtamentum condit, cui ideo amplius aliquid indulgendum Valentinianus eâ Nouellâ crediderit, eo quod in extremis ſæpe conſtituto teſtatore non tam properè ſemper teſtes conuocari, ſaltem non tam facilè legitimo numero coire, conuenire, contrahi, colligi poſſunt, contra legitimus numerus moram aliquam ſæpe facere ſolet: ſic vt deficienti *quod ſolum potuit facienti*, & teſtes ſimul omnes habere non valenti, impune id cedere debeat? Quidquid huius ſit, certè alia mens Theodoſio Iun. fuit in myſtico etiam & holographo teſtamento Nouellâ *de teſtamentis* 9. *ſeu d.l.hac conſultiſſimâ* 21. *Cod.de teſtamentis.* quæ inde deſumpta eſt, & à Iuſtiniano probata; ea quippe is teſtamenti ſcripturam omnibus ſimùl offerri debere ſignandam & ſubſcribendam definiuit, de quo ſuprà.

Maneat igitur id hâc l. definiri à Diocletiano, vt propter morbum

bum huiuſmodi, vnde timor contagionis alios corripiat, teſtibus ſeiungi diſſociari liceat, interpoſito diffiſo teſtandi contextu: mox tamen teſtes legitimo numero conuenire oportere ad pertexendum teſtamentum.

Hic iam ſi quæras, num in ſpecie huius l. iidem illi teſtes omnes, ſub quorum præſentia teſtator teſtari cœpit, conuenire debeant, ſic vt is qui morbo huiuſmodi oppreſſus fuit ſibi reddi exſpectetur, reſtitutuſque vna cum cœteris conueniat, an verò ſubdi ſubſtitui, vel ſubrogari alium ſatis ſit, cœteriſque ſociari, iſtud eſt quod hâc l. definiri nego, quod tamen quidam præcipiti iudicio hâc l. indicari volunt. In genere verò ſi iam quæſtionem proponas iam habes Iuſtiniani diſtinctionem *d. l. cum antiquitas* 28. *C. eod. tit.* quâ id ſtatuitur *ſi quidem* ex breui *temporis interuallo morbus tranſire poſſit, iterum eorundem teſtium reuerſum exſpectari & ſolemnia peragi; ſin longiore ſpatio, tunc illo vel illis teſtibus circa quos tale aliquid euenit ſeparatis alios ſubrogari, & ab eo vel ab eis tam teſtatorem quàm alios teſtes ſciſcitari* (paſſiuo ſignificatu) *ea* (ſic lego, non *ſi ea*) *quæ eorum præſentiam antecedunt* & *omnia quæ* (ita reſtituo) *coràm his proceſſiſſent. Et ſi hoc fuerit vndique manifeſtum eos vel eum* VNA CVM *alijs teſtibus ea quæ oportet facere debere, etſi in medio ſubſcriptiones teſtium iam fuerant ſubſecutæ.* Additâ ratione: *ſic etenim & naturæ medemur, & mortuorum elogia in ſuo ſtatu facimus permanere.* Quæ ratio etſi verbis haud adeo elegans, certè reipsâ magni ponderis eſt. Nempe ita neceſſitati ſuccurrendum eſt, ita naturæ medendum, ita de iuris ſolemnibus aliquid eo caſu remittendum, relaxandum venit, vt ne teſtamenti fides vllâ ratione labaſcat, Quæ & ipſa ratio huic l. noſtræ eiuſque diſpoſitioni & diſtinctioni aptanda venit.: & aptata tum verum eius ſenſum quem propoſui firmat, tum alias & alienas Interpretationes refutat.

X. Altera nunc quæſtio, & principalis quidem quæ in ſp. huius l. vertebatur, ſequitur *de Numero*, inquam, *teſtium*: num videl. in eâ quoque, vbi vnus forte alterue è teſtibus huiuſcemodi morbo oppreſſus fuit, vt inde timor contagionis alios perſuaſerit, teſtéſque diſiuncti, diſſociati fuerint, ſeptem adhuc

teſtes ad pertexendum teſtamentum,ſeu ad reliquam teſtamenti ſolemnitatem explendam conuenire debeant, an verò minor numerus aliquis iam ſufficiat? De quo quidem haud parùm quæſitum ſeu dubitatum vel inde apparet, quod ſuper eo ad Imper. Diocletianum itum relatumque fuerit, & vt antea indicaui à Marcellino forte Rectore prouinciæ in hæc fermè verba. *Aue Imp. ſolemne mihi eſt, Domine, omnia de quibus dubito ad te referre: quis enim poteſt melius, vel cunctantiam meam regere, vel ignorantiam inſtruere? Cùm Teſtator quidam nuper Teſtibus legitimo numero aduocatis teſtari cœpiſſet, teſtandiq́; actus procederet, quidam è teſtibus derepente caſu quodam maiore ac nouo contingente, morbo ſcil. Comitiali &* Catabolico *oppreſſi fuêre: Vnde teſtes alij timore contagionis correpti deterriti, diſiuncti diſſociatiq́; fuêre. Teſtator continuato ſeu repetito teſtandi actu minore quàm ſeptem teſtium numero conueniente teſtamentum pertexuit. Inde igitur ſcripti hæredes ſecundum voluntatem defuncti hæreditatem ſibi vindicant: Legitimi contra teſtamentum nullo iure cenſeri contendunt. Rogo Domine conſilio me regas hæſitantem, & vtrum Teſtamentum id iure valeat necne reſcribas velim.*

Agitata verò hæc quæſtio proculdubio in conſiſtorio Principis; Nempe enim, (quæ dubitandi rationes adferri poſſunt) videbatur id teſtamentum omnino valere: Argumento ducto ab eo, quod hoc caſu aliquid de teſtamentorum ſolemnitate & obſeruatione de IVRE laxatum iam conſtaret, ob caſum videl. huiuſmodi maiorem & nouum contingentem, vt cœteroquin fortuiti & inſoliti caſus remedio aliquo indigent. Imò nominatim etiam argumento ducto ab eo, quod conſtaret, remiſſum hoc caſu de iure, vt teſtes interim ſeu *eo tempore* morbi diſiungantur diſſocientur, & ſic contextus teſtamenti (quod alioquin vno contextu perfici oportet) licito obrumpatur. Quare & illud admittendum videri, vt minore quoque teſtium numero continuare ſeu pertexere ſaltem teſtamentum teſtatori hoc caſu liceret. Quid enim? Si è teſtibus aliquis, vt ſunt alij aliis meticuloſiores, timore contagionis correptus, ſocios ſuos fugiens, longè quoque fugit? An ob vnius forte teſtis defectum, fugamue,

teſta-

teſtamento bene cœpto, at non & pertexto miſero teſtatori inteſtato ideo decedere continget? Cùm, contra *viam ſupremi arbitrij aperiri* oporteat? Præſertim cùm & alias in maiore ſæpe numero corpus ſeruetur, & maior pars totius inſtar habeat: etiam in aperiendis tabulis, vbi ſi maior pars ſignatorum fuerit inuenta, poterit ipſis interuenientibus reſignari teſtamentum & recitari. Paulus 4. *ſent.* 6. §. 1. *& l. 6. ff. teſtamenta quemadm. aperiantur.* Hæ fermè dubitandi rationes fuiſſe videntur. Et contrarium tamen à Diocletiano hâc L. reſcribitur, nempe, vt maximè ob morbum & caſum huiuſmodi maiorem ac nouum aliquid de iure laxatum ſit, ac nominatim, vt eo tempore teſtes diſiungi diſſociari poſſint, & ſic contextus teſtamenti abrumpi, attamen non ideo prorſus reliquam quæ agenda ſupereſt, teſtamentorum ſolemnitatem peremptam, ac nominatim non ideo numeri teſtium obſeruationem ſublatam: Et vt Doctores hîc loquuntur, neceſſitatem quidem excuſare ab interpoſitione & ſuſpenſione, non verò ab obmiſſione ſolemnium. Et ſic *differentiam* conſtituit Diocletianus hoc reſcripto ſuo, inter ſolemnitatem teſtamenti contextim ſeu vno contextu faciendi, & inter ſolemnem teſtium numerum & in vnum conuenientiam: illam equidem in propoſito caſu remitti relaxari at non iſtam: Cuius differentiæ, & ſic *Decidendi*, ratio iſthæc fuiſſe videtur, quod contextus interrumpendi neceſſitas ineluctabilis ſit, vbi videl. vnus forte vel alter è teſtibus morbo huiuſmodi oppreſſus fuit, cùm aliter per rerum naturam fieri non poſſit quin cœteri timore contagionis oborto diſiungantur diſſocientur, præſertim cùm continuari vel certè integrari, reſumi idem actus facilè nulloq; diſpendio mox poſſit, ſiue iiſdem teſtibus, ſiue aliis etiam contractis ſubditis, ſic vt actus ille iam nec deintegratus aut interruptus videatur: vt cœteroquin breui reuerſus nec diuertiſſe aut ſeceſſiſſe videtur *l. diuortium ff. de diuortijs, l. quidquid calore ff. de regulis iuris.* Etiam in pœnalibus ſtipulationibus & ſtatutis, vbi pœna fugientem de carcere non comprehendit, ſi breui poſt is reuerſus ſit, Baldus *ad l. 1. nu. 7. C. de ædilit. actionib. & in l. 1. col. 5. verſ. quid de errone C. de ſeruis fugitiuis.* Iaſon *in l. admonendi col. 64. in pr. verſ. 2. de iure-*

iurando: de quâ quæſtione nouiſſimè Giurba, *conſ.* 34. Deniq; momẽtanea, ſeu momento interrupta, nec interrupta quidem fermè videntur de quo Fœnurius de *momento tẽporũ* ac nominatim ſi ex neceſſariâ cauſâ id euenerit. Atenim alia iam ratio eſt ſolẽnis teſtium numeri, quo iure ciuili Romano tota compages fideſque teſtamenti innititur. Et vt de legitimo teſtium numero aliquid hoc caſu remittatur, nulla talis neceſſitas ſubeſt; quando vel redeunte mox eodem teſte, vel certè ſi longiore ſpatio fortuiti caſus refectio egeat; (vt loquitur Iuſtinianus in *d. l. cum antiquitas*) i. ſi morbus quo teſtis oppreſſus fuit diu duret ſubdito ſeu ſubſtituto & ſubrogato alio, vel contractis aliis in eorum qui diffugêre locum teſtamentum pertexi ſeu conſummari poſſit facile, reliquaque teſtamenti ſolemnitas expleri, obſeruatis videlicet iis quæ *eâ l. cùm antiquitas* præſcribuntur: vt proinde hîc valeat iam illud Tertulliani, *exhortat. ad caſtitatem:* *Nulla neceſſitas excuſatur, quæ poteſt eſſe non neceſſitas.*

FINIS.

A01 1469410